CORNELII JANSENII ... SYSTEMA DE GRATIA CHRISTI METHODICE EXPOSITUM, &...

Cornelis Jansen, Fortunato : da Brescia

Digitized by Google

EX BIBLIOTHECA
PATRUM S. PETRI
DE ALCANTARA
CONVENTUS AM-
BROSIANAE
22. Aprilis 1789.

15. 5. 409

15. IV. 5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CORNELII

JANSENII

SYSTEMA

Digitized by Google

Digitized by Google

CORNELII
JANSENII
YPRENSIS EPISCOPI
SYSTEMA
DE GRATIA CHRISTI

Methodice expoſitum, & Theologice *confutatum*

SECUNDIS CURIS
R. P. Fr. FORTUNATI A BRIXIA
ORD. MIN. REF. PROV. BRIXIÆ.
Opus Poſthumum.

Ecce reſcribo vobis, & licet jam non vobiſcum, tamen etiam per vos adhuc ago, quod me ſatis egiſſe credebam.
S. Aug. de Prædeſt. Sanct. Lib. 1. cap. 1.

MATRITI: Ex Typographia Ven. Mat. Mariæ a Jeſu de Agreda. Ann. MDCCLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

P. PETRO JOANNETIO DE MOLINA

MINISTRO GENERALI

TOTIUS ORDINIS MIN. S. P. N. FRANCISCI,

&c. &c.

P. F. CAROLUS A GOLLEONO

Reformatæ Provinciæ Brixiæ.

QUOD Librum hunc poſthumum Clariſsimi Patris Fortunati a Brixia ſecundis curis , ſummaque diligentia elaboratum, nunc autem me curante typis impreſſum , Tuo maxime nomine inſigniri R.me Pater , atque protegi curaverim, multiplex quidem me cauſſa impulit. Optime noveram in primis , opus hoc , illius

hominis eſſe, qui, ſi hactenus ſuperſtes (utinam vero adhuc ille eſſet!), quamquam de veteris ampliſsimi ſui Mæcenatis amiſsione, a quo unice ſemper diligi, atque foveri conſueverat, quin graviter doleret minime poſſet, attamen opportunum nactus Tua in humanitate ſolatium, vix ſibi quidquam arbitror præſidii, ſuiſque rebus, exinde deeſſe ſentiret, hancque meam, de Tui captanda tutela, ſollecitudinem, nedum ea, qua ipſe in Te erat obſervantia, probaret libentiſsime, verum etiam, ea, qua in me poterat, authoritate, expreſſe mandaret. Id unum R.me Pater, quod conjectura modo aſſequutus pronunciavi, tanti apud me eſt ponderis, ut niſi hoc grati animi officium ipſius memoriæ præſtarem, fidem meo Præceptori, & amantiſsimo Patri fregiſſe, conſcientia perpetuo reprehenderet me mea vehementer, ac ſi viventi, jubentique nequaquam obtemperaſſem, cui ceteroquin ſolemne mihi ſemper, ac dulce fuit ad apicem obſecundare

In hac vero mei conjecturandi ratione conſenſuros omnes, eo vel maxime confido, Pater R.me, quod neminem ignorare poſſe putem, quanta Tu quoque benevolentia, quoad vixit, proſequutus illum fueris, quantique feceris, quem non modo diu litterario commercio dignatus es, Tibique tandem in ampliſsimo munere a Secretis eſſe curaſti, verumetiam immaturum ejuſdem inexpe-

cta-

ctatumque interitum adeo doluiſti, ut animi Tui notiſsima fortitudo omnem doloris ſenſum non valuerit diſsimulare. Neque id quidem immerito, cum præſertim optime noſſes, ut innocentiſsimis moribus, doctrinaque non vulgari polleret, quapropter totius Ordinis noſtri, ac Reipublicæ litterariæ exiſtimationem ſibi promeruerat, quemadmodum, cum ex litteris plurium Virorum, eruditione, & dignitate Eminentiſsimorum, ad eum datis, honoris laudiſque plenis, colligitur; tum vel maxime ex illa, qua nuper a Summo Optimoque vivente Pontifice decoratus fuerat, ad inceptum Theologicum curriculum complendum hortante, ſuamque ob id protectionem, gratiamque pollicente. Quis propterea in hac, quam ſuſcepi, provincia, me damnabit audaciæ, quem ex ſocio graviſsimi officii, ejuſdem intuitu, ac meritis, licet imparem oppido viribus, ſucceſſorem voluiſti, tanta profecto humanitate, comitateque dignatus, ut nullam abſque turpiſsima ingrati animi labe occaſionem negligere poſsim, qua, quantum Tibi debeam, publico aliquo valeam monumento teſtari?

Verum quamvis hæc Authoris, meique ratio, validiſsima fuerit, ut librum hunc Tibi nuncupatum in vulgus ederem, accedit, R.me Pater, hujuſmodi lucubrationes, etſi publici judicii periculo, vivente Authore, perfunctæ laudabiter

¶ 4 jam

jam ſint, ac ſine metu rurſus poſsint prodire, validо nihilominus alicujus ſummi Eccleſiaſtici Viri patrocinio indigere, quo protectæ, & obloquentium cavillationes eludere, & declaratorum hoſtium, quorum in dies creſcere videtur jam numerus, conatus, furenteſque impetus valeant proſternere. Incredibili propterea animi voluptate perfundor, quod recuſum jam videam, fauſtiſsimis, quæ gaudens, geſtienſque in fronte præfert, magni Tui nominis auſpiciis impetratis. In te enim vero, & ſtirpis nobiliſsimæ prærogativam, & ſupremam Ordinis dignitatem, & virtutes omnes pulcherrimo ordine, ac miro prorſus modo collectas conſpicio; quæ ſane attendi præſertim a Scriptoribus ſolent, quoties in ſuarum lucubrationum ſubſidium, decus, & ornamentum, de optimo eligendo Patrono meditantur. Re quidem vera, nonne Tu Petrus ille Joannetius, inclytæ auguſtæque Joanniorum ſtirpis feliciſsimum germen, quæ Orientales olim plagas, inde univerſam pene Europam, demum Hiſpaniarum Regnum, & ſuprema dominatione, & Romanorum armis Præfectura, & rerum præclare ubique geſtarum amplitudine illuſtravit? Firmiſsima id docent monumenta (1), nulla invidorum temporum ſerie inter-

(1) Apud P. Franciſcum Diago prima Parte Annalium lib. 7. pag. 377. & Philippum Bergamum in ſupplemento ſui Chronici univerſalis lib. 2. pag. 236.

Digitized by Google

terrupta. Verum ſi proximiores percurrimus ætates, nobiliſsimæ tuæ ſtirpis ſplendores nobis eluceſcunt magis magiſque. *Vix etenim fuit a quingentis annis in Regno Hiſpaniæ tam nobilis Terra Marique ſuſcepta expeditio : Vix ullus tam urgentis belli contra hoſtes motus exercitus , cujus Archiſtrategi ex Domo Joannia , non primam ſemper Victoriæ palmam retulerint : Vix unquam ſolemni pompa ad exteros Reges, & Principes a Regibus Aragoniæ legatio peracta fuit , quæ non ad iſtiuſmodi munus cum dignitate , & Regii nominis exiſtimatione peragendum, unum ex Joannia Domo peridoneum inſolito ſelectu propoſuerit. Hiſpaniæ Monarchæ ægre alios , quam ex generoſa hac progenie Viros ; tum ingenio promptos, tum fide, & integritate notos, Regiæ domus magni ponderis munia ſelegiſſe leguntur* (2). Ita olim unum ex Tuo genere præſtantiſsimum Virum Antonium Joannium Marchionem *de Centellas* Kircherus eſt alloquutus. At ſi mihi Te alloqui modo liceret R.me Pater , aſſerere minime dubitarem , utique Te generis priſcam nobilitatem a vulgo quammaxime ſecernere , Majorum præclariſsimorum famam Te plurimum commendare; præſertim vero Michaelis Juan Ducis exercituum Zenonis Imperatoris , qui eo defuncto , unanimi Imperii conſenſu , totoque populo plaudente in Im-

(2) Athanaſius Kircherus Soc. Jeſu, in ſui Archetypi politici dedicatoria.

Imperatorem electus eſt, & in Templo S. Sophiæ die 22. Novembris (3) anno 820. coronatus; inde Sebaſtiani itidem Juan, ejuſque filii Petri, qui Ducale Reipublicæ Venetæ Solium ſæculo duodecimo tenuere, & horum primus Alexandrum III. Pontificem profugum (4), Friderico Imperatore debellato, ſuæ Sedi reſtituit; ac demum, ne infinitus ſim, Clariſsimus ille Honoratus Joannius Caroli V. Imperatoris Aulicus, & Epiſcopus Oxomenſis, Vir omnigenæ eruditionis, cui Philippus II. Rex Catholicus Filium ſuum Carolum inſtituendum tradidit, pluribuſque Epiſtolis (5) honorificentia, ac ſpeciali dilectione plenis commendavit, nonne Clariſsimum Joanniorum nomen (6), ſtirpiſque tuæ

(3) Ignatius eorum temporum Scriptor apud Baronium tom. 9.

(4) Sanſovinus in lib. de Origine Venetorum: ex quo ſumptum Epitaphium Ducis Sebaſtiani Ziani, ſive Zuannii, citat Cl. Cornelius *Frangipane*, in ſua adverſus Baronium Allegatione n. 17. edit. Helmſtat.

(5) Kircherus ſui Archetypi lib. 2. ſec. 2. cap. 4.

(6) Clariſsimus Cardinalis Reginaldus Polus Honorato Joannio amico ſuo ſcribens, ſuper ipſius ad Epiſcopatum promotionem, & Regii Principis inſtitutionem, epiſtolam ſic concludit: *Vale & in erudiendo Regio iſto Regiæ indolis puero, Nomen Tuum, Cognomenque Tibi propone, & ſequere*. Apud Kircherum ibidem cap. 11.

Videatur quoque apud eundem lib. 2. pag. 235. Obeliſcus Hieroglyphicus immortalitati, & gloriæ Honorati Joannii erectus. Inſigne profecto monumentum eſt.

Digitized by Google

tuæ nobilitatem reddidit immortalem ? At quantuſcumque fuerit Majorum Tuorum ſplendor, quantaque modo etiam ſit patriæ Tuæ Domus (7) notiſsima claritas, nullus, inquam, ego dubito, quin plus per Te Joanniæ Genti famæ ac decoris acceſſerit, quàm Tibi ipſa attulerit inter homines prodeunti. Maxima quidem hæc ſunt ornamenta: verum quam vel Tumet parvi haberes, vix adoleſcens oſtendiſti; Majorum Tuorum ſequens veſtigia (8), ac

(7) Regia Granatenſis Præfectura Joanniæ Domus nobilitatem Genitoribus, Patruiſque Mæcenatis per rectam lineam derivatam declaravit die 16. Julii an. 1740. idque ſolemniter eodem anno 28. Septembris Realis Supremus Caſtellæ Senatus nedum confirmavit, verum mandavit etiam, ut honores ac præeminentiæ, exceptioneſque, in toto Hiſpaniarum Regno, Joannetiis de Molina nullo tempore poſſent denegari.

(8) Vivebat tunc Clariſsimus P. Vincentius Joannetius de Molina Societatis Jeſu, qui Provinciam Aragoniæ doctrina, pietate, prudentia illuſtravit, & rexit, ac moriens famam ſanctitatis poſt ſe reliquit.

Ex Fratribus vero Mæcenatis tres in eadem Aragoniæ Provincia Societati Jeſu nomen dedere, quam in Cathedris omnes illuſtrarunt: ſemel ac iterum Collegiis & Univerſitatibus præfecti; quorum primus totius Provinciæ regimen, maximo omnium plauſu, ſuſtinuit.

Duo alii Mæcenatis Fratres ſub humili Diſcalceatorum habitu Deo inſervire elegerunt, in eadem Provincia S. Joannis Baptiſtæ, in qua exemplar propoſitum, vitæ ſanctimonia, doctrina, & integritate mirum in modum ſunt imitati.

Is

Digitized by Google

ac junioribus Fratribus exemplar factus, ſuperbia ſæcularium, faſtuque valere juſſo, humilem ſatius S. Patris Franciſci vitam eligere duxiſti, tuis tantum, interniſque decoribus ſapientiſſime peroptans exornari, ut mundo ignotus, tutius inter Diſcalceatos, feliciuſque latitares. Sed porro hujuſcemodi novo in inſtituto, quiſnam quæſo citatiſſimum, feliciſſimumque liberalium omnium ſtudiorum, atque humanarum divinarumque ſcientiarum curſum, & Tuum exinde, morum integritate, prudentia, & dexteritate mirifica, repentinum ad ſumma conſcenſum dignis proſequi verbis valeat? Teſtis eſt mihi florentiſſima ſemper litteratis, eruditiſque hominibus Urbs Valentia, quæ nondum ſacro Sacerdotali charactere inſignitum Philoſophicas, inde Theologicas Cathedras, juſſu ſupremi tunc temporis Ordinis noſtri Moderatoris, Te occupantem conſpexit: mox vero novo quodam, & eloquentiſſimo dicendi genere inſtructum, incredibili omnium plauſu, & admiratione, concionantem audivit. Teſtis feliciſſima Valentina Diſcalceatorum Provincia, quæ

pru-

Is vero qui ſuperſtes exiſtit, Pater Antonius, poſt Artium, & Theologiæ Magiſterium, poſt totius Provinciæ regimen, adeo ſimilis Mæcenati prudentia, fide, ac morum facilitate inventus eſt, ut ſuas ipſe vices pluribus in Provinciis viſitandis ei commiſerit, & demum in auxilium ſui ipſius aſſumpſerit, eumque, omnium conſolatione, modo habeat a Secretis.

Digitized by Google

prudentia, & ſagacitate tanti ſui Alumni freta, graviſsimorum, ac difficilium negotiorum curam, procurationemque apud Sanctam Apoſtolicam Sedem uni Tibi committere non dubitavit, quorum deinde expeditionem, nedum proſpero, ut ſperaverat, eventu, ceſsiſſe gaviſa eſt, verum etiam Romæ ex inſperato, Sanctorum Quadraginta Martyrum nobile Cœnobium per Te eſt adepta, ac tanti beneficii nunquam oblitura (9); quemadmodum & univerſus Diſcalceatorum cœtus pro S. Petri Alcan-

(9) Romæ in Conventu SS. Quadraginta, aureis characteribus quadrato lapidi inſculpta, infra veracem Mæcenatis imaginem, ſequens legitur inſcriptio.

REVERENDISSIMO PATRI
P. Petro Joannetio de Molina
Provinciæ S. Joannis Baptiſtæ in Hiſpania Alumno
Olim
Tam Diſcalceatorum, quam Recollectorum
In Romana Curia Procuratori,
Nunc vero
Totius Ordinis S. P.N. Franciſci Miniſtro Generali,
Hujuſce Conventus
FUNDATORI INCLYTO, PARENTI OPTIMO,
BENEFACTORI MUNIFICENTISSIMO
Monumentum hoc, in perenne grati animi obſequium,
Patres ejuſdem Conventus Poſuere
Anno V. Æ. C. MDCCLIV.

Digitized by Google

cantarenſis Statua in Vaticano, Te curante erecta, nomen Tuum celebrare nullo tempore ceſſabit. Teſtis ſemel atque iterum Roma, ſummorum illud quorumcunque Virorum veluti Emporium, ubi vel excellentioribus meritis, magiſque conſpicuis virtutibus eminere aliquem, aut paululum exurgere arduum admodum eſſe videtur: & tamen, quin Te ab omnibus diſcerneret, non potuit, illudque dudum antea prævideret honoris culmen, ad quod poſtea conſcendiſſe Te in poſtremis Generalibus Comitiis, peculiari prorſus gratulatione, ac lætitia Ordinum omnium, Præſulum, ac Purpuratorum, ipſomet SS.mo Patre Præſide, & probante, geſtiit. Teſtis ejuſdem Imperantis hactenus Optimi Maximi Pontificis Benedicti ſingularis in Te propenſio, & charitas, quam in gratiarum conceſsione, ac etiam Authoritatis Apoſtolicæ, quoties oporteat, paratam adeo, effuſamque experiris. Teſtis Sacrarum Congregationum diligens erga Te ſtudium, quo fit, ut ſanctionibus, ſententiiſque Tuis ab iiſdem plurimum ſemper deferatur, idemque ferme ſit, ut Eminentiſsimi illi, rectiſsimique Patres tuas ſore noſcant, ac ſolemniter, unanimiterque confirment. Teſtes omnes denique ampliſsimo Tuo Regimini ſubjecti, qui uno ore Tuam & in agendo prudentiam, & in præcipiendo ſuavitatem, & in

cor-

Digitized by Google

corrigendo moderationem, & in audiendis omnibus manſuetudinem, & in expediendis negotiis celeritatem, æquitatemque deprædicantes, Te juſtitiæ vindicem, diſciplinæ inſtauratorem, Paſtorem vigilantiſsimum, ac Parentem optimum conclamant. Atqui moleſtus ipſe fortaſſe videbor, qui de Tuis hiſce laudibus diutius audeam loqui, quas ceterum novi ut Tu oculere, atque obvelare diligentiſsime ſatagas; etſi tamen ita adhuc emicat earum fulgor, ut in hac ipſa Regali Aula, ubi paucis abhinc annis religioſiſsime obverſaris, nemo tandem ſit, cui latere vel minimum illæ potuerint, magno prorſus Tuæ exiſtimationis incremento. Parcam nihilominus modeſtiæ Tuæ R.me Pater, ut vis, pleraque, quæ reſtarent adhuc, obſequenti ſilentio obvolvam, ne Tibi, quod ſatis vereor, diſpliceam; ac ignoſce, ſi parum mihi memor moderationem illam animi, qua vel tantæ dignitatis lumen offundere gaudes, hac levi commemoratione lædere viſus ſum, cum profecto ſit difficillimum, nullam omnino Tui laudem attingere, qui tot quotidie juſtiſsime promereris. Cautior igitur, ægre licet, calamum hic obtundam, hoc dumtaxat enixe deprecatus, a Te quidem, ne ſcilicet librum hunc ut Tuum protegere, meque fovere ullo tempore de-

Digitized by Google

dedigneris ; à Deo autem immortali, ut Te, Eccleſiæ, Hiſpaniarum Regno, Ordini noſtro, boniſque omnibus, quamdiutiſsime incolumem ſervet. Matriti die 20. Menſis Septembris 1755.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Tandem in lucem prodit, humaniſsime Lector, Janſenii ſyſtema a Cl. P. Fortunato ſecundis curis elaboratum, cujus quidem methodum, atque rationem, qua perfectum eſt, non immoror hic enarrare: ex appoſita Synopſi elucescit ſatis ſuperque. Quod ſilentio hic præterire neutiquam poſſum id eſt, quod omnibus ferme innoteſcit: hujuſce ſcilicet operis Auctorem, quamvis tot illuſtrium Virorum, & Academiarum præconiis celebratum, nonnullorum tamen cenſuras fuiſſe paſſum, eo quod hoc in opere elaborando, *Moliniani* ſyſtematis fautorem, ac vindicem ipſi reputaverint. *Piaculum grande nimis!* Verum injuria prorſus, ut opuſcula hac in re ab ipſo edita palam aperteque teſtantur. Ex iis nemo non videt, Cl. Scriptorem adeo a partium ſtudio alienum fuiſſe, ut nunquam vel *Auguſtinianorum*, vel *Thomiſtarum*, vel etiam *Molinianorum* ſyſtemati adhæſerit. Non ex eo quidem, quod horum ſyſtematum Auctores aliquando ipſe deſpexerit, aut minori quam par erat, veneratione proſequutus ſit: abſit hoc a Viro tanta honeſtate prædito, ac ob religioſam ſui moderationem omnibus caro. Contra potius, & magni feciſſe ſemper, ſemperque ex animo omnes coluiſſe, compertum eſt. Alias ſane ob cauſas id contigit, quas ipſe in quodam indicat autographo, poſt ejus deceſſum una cum aliis invento, quarum ſummam, ad diſsipandam calumniam tanto Viro ab Anonimis cenſoribus omnino gratis impactam, hic dare opportunum cenſui.

In primis itaque ajebat Cl. Vir, præjudiciis omnibus

bus expoliatus : qui fieri poteſt , ut ſyſtema , qualecumque demum illud ſit, hac in parte ſequar, amplectarque , quando illius ſectatores , myſterii altitudine preſsi , ſemel atque iterum , ac ſæpius cum Apoſtolo, & Auguſtino (1) coacti ſunt exclamare : *O altitudo divitiarum &c.* an non ſatius eſt id ipſo in limine candide ingenueque fateri , & tempus , quod breve nobis conceſſum eſt, utilioribus in ſtudiis impendere?

Quid, quod trium ſyſtematum Auctores adeo digladiantur inter ſe ſe , acriterque contendunt , dum gratiam ſive *ſufficientem* , ſive *efficacem* exponunt , hancque cum humana libertate conciliare ſtudent , ut vehemens inter ipſos pugna ſit , æternumque diſsidium? Clariſsimi cujuſque ſyſtematis propugnatores , magna licet eruditione , maximoque ingenio valentes , poſtquam vitam omnem, multumque laborem in adornando proprio ſyſtemate inſumpſerint , diverſam plane a deceſſorum ſuorum , & quandoque etiam coæqualium placitis , ſententiam iniere. Re quidem vera , legantur in *Thomiſtarum* ſyſtemate antiquiores *Thomiſtæ* ; continuo vero conſulantur *Natalis Alexandri* , *Maſſoulie*, *Gra-*

(1) S. Auguſtinus Serm. 22. de Verbis Apoſtoli. *O altitudo divitiarum! Petrus negat, Latro credit: O altitudo divitiarum! hoc nos putas perſcrutari poſſe, quod Apoſtolus expavit? quæris tu rationem; & ego expaveſco altitudinem. Tu ratiocinare , & ego mirer : tu diſputa , ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio. Nemo ergo quærat a me occultorum rationem. Paulus dicit , inſcrutabilia ſunt judicia ejus , & tu ſcrutari veniſti? ſi inſcrutabilia ſcrutari veniſti , & inveſtigabilia veſtigare veniſti, crede, jam periiſti.*

Digitized by Google

Graveſonii, & *Serry* opera. In *Auguſtiniano*, perlegantur Cardinalis *Noriſius*, *Bellelli*, *Crondermus*, *Diroyſius*, *Berti*, utque ceteros taceam, D. Abbas *Milliavacca* legatur, qui ipſum *Berti*, Janſeniſmi inſimulare neutiquam dubitavit. In *Moliniano* demum videantur *Molina*, *Vazquez*, *Petavius*, *Gonzalez*, & Ven. Cardinalis *Bellarminus*. Quot (Deus bone) diſsidia! quot pugnæ! quot ſchiſmata! Nihilo tamen minus in tanta opinionum contrarietate, omnes ſuum clamant *Auguſtinum*, omnes *Auguſtinum* ſedulo legiſſe, ac ſequi gloriantur, unum omnes ducem, ac Magiſtrum prædicant: quamquam utri faveat, conſentiatque S. Doctor, obſcurum valde (omnium pace dicam) uſque modo ſit, & abſque dubio incertum. Quis porro co rdatus vir (ita inde argumentabatur ingenuus Auctor), quis prudens Theologus, a Scholæ præjudiciis, ſtudioque partium magna ſorte liber, ſe ſe huic certamini immiſcere audeat, ubi confuſe, pertinaciter etiam, ac contentioſius, quam par ſit, inutilis agitur pugna?

Addebat idcirco, horum ſyſtematum, in quibus enucleandis tot illuſtrium Scriptorum deſudavit induſtria, nullum prorſus viro Theologo, ad tuenda Catholicæ Religionis dogmata, fore neceſſarium (2); cum in eorum ſingulis, etſi adeo inter ſe contraria ſunt, æque firmius propugnentur. Hinc quemadmodum *Thomiſtæ*, *Moliniani*, *Auguſtiniani*, ad tuendam Eccleſiæ doctrinam, alieno ſyſtemate nequaquam indigent, ſuo-

¶¶ 2 que

(2) S. Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. *Profundiores vero difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui Hæreticis reſponderunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.*

Digitized by Google

que quilibet, pro cuculli varietate ac pallii, ad id præſtandum, contentus abunde eſt; ita, *quis prohibet*, inquiebat ipſe, *quominus meum* de gratia *tractatum*, *nulli ſyſtemati obſtrictus conſcribam?* Conſcripſit autem clariſsima methodo, ac ferme complevit, ſuoque tempore, Deo favente, in publicum prodibit.

Illud demum animadvertere nequaquam omiſit, tria hæc ſyſtemata, ex quo primum nata ſunt, maximoque animorum æſtu in Scholis agitata, diſsidia potius quam commoda, ſchiſmata etiam, & tragœdias in Eccleſia peperiſſe funeſtiſsimas. Olim ſiquidem inventi ſunt, hodieque etiam inveniuntur non pauci, qui Scholæ ſuæ præjudiciis adeo ſunt occupati, ut in alterius ſyſtema libere obloquantur, variiſque pro arbitrio ſuo cenſuris afficiant. Quod vero pejus eſt, Viros ceteroquin Catholicos, ac virtute clariſsimos, invidioſo hæreſeos nomine apud omnes traducunt, ſugillantque. Hic enimvero, ſi ipſos audiamus, *Calvinianus* eſt, ille *Janſeniſta*, purus putuſque hic *Semipelagianus*; atque hiſce carbonibus famoſa trium Scholarum oſtia primo in limine notata conſpicies. Donec itaque tam pugnax conviciandi libido triumphabit in Scholis, quid pacis, quid commodi in Eccleſia Dei poſſumus ominari? Atque utinam ajebat (de tribus ſyſtematibus loquens, quorum *nullum Eccleſia adhuc reprobavit*) utinam nullum unquam hac de re fuiſſet in Scholis ſyſtema! Neque enim Catholicis repoſuiſſent olim *Calviniani*, quod in ſuimet erroris ſubſidium continuo afferebant: *nos nil aliud dicimus*, *quam quidam Catholici*: non publicam lucem vidiſſet unquam *Bajaniſmus*, *& Janſeniſmus redivivi*: non *Theologus Sorbonicus*, nec *Amicus Belga*: non tot *Philaletha*, nec tanta *Anonimorum* turba,

ba, nec alia demum multa prodiiſſent Catholicorum ſcripta, in quibus utique non modica eruditio, ingenii que vis elucet quammaxime, at magna ob id oritur doctrinæ confuſio, funeſtæ excitantur tubæ, multorum audiuntur quærelæ, dicteria, criminationes, quodque magis dolendum, optimus illius caritatis color paulatim deperditur, quæ in unoquoque ſyſtemate Theologum apprime decet, hominemque Chriſtianum.

Hæc ex Italico manuſcripto, brevi ac rudi calamo a me excerpta, in cauſa fuerunt, cur Fortunatus noſter, qui in hujus eruditi ſæculi luce cæcus neutiquam fuit, eaque in re multum meditatus eſt, nunquam adduci potuit, ut ſyſtema amplecteretur. Id maxima ſemper libertate, ingenuoque, revera ſuo, animi candore, Amicis non modo, verum etiam ſummis Viris ſententiam ejus ſcrutantibus repetebat, inculcabatque: *in neutris partibus ſum: nullum eſt ſyſtema, cui acquieſcere poſſim: & in hoc ſtudiorum meorum modo contentus mihi videor, cum id certo ſciam, ſyſtema hac in re non ſequi, nihil mihi prorſus obeſſe.* Quare ſententiam ſuam præclariſsimis Auguſtini verbis (3) ita demum concludebat: *non parvus eſt fructus, ſi aliqua obſcura, & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum ſaltem, certumque ſit nobis, non eſſe quærenda: & quod unuſquiſque vult diſcere, putans prodeſſe ſi ſciat, diſcat non obeſſe ſi neſciat.* Hæc, meo quidem judicio, ſatis eſſe poterunt ad diſſipandam calumniam Fortunato noſtro gratis impactam, quaſi vero hoc in opere *Moliniani* partes egerit, promoverit, defenderitque: cum potius ſuſceptum unice ab eo fuerit atque elaboratum, ut Catholicæ Eccleſiæ dogmata contra *Janſe-*

¶¶ 3

(3) *Lib. de Cura pro mortuis prope finem.*

Digitized by Google

ſenianos firmius propugnarentur, nulluſque niſi volens ab ipſis deciperetur. Idque præſertim optimum factu ea ætate reputavit, in qua Scriptores Catholici, cum hæreticorum agmine pactis veluti induciis, hoſtiliter pugnant inter ſe ſe, acriterque contendunt. Quis porro majoris laudis præconio celebrandus ſit, non is ego ſum, qui valeam ſententiam pronunciare: penes optimum, ingenuumque Lectorem judicium eſto. Sanctæ vero Romanæ infallibili Sedi omnia, quæ hoc in opuſculo continentur, ſubjecta ſint: ipſa corrigat, ipſa emendet, quæ fidei Regula, & Morum Magiſtra eſt.

SY-

Digitized by Google

SYPNOSIS
SIVE
CONSPECTUS OPERIS.

PARS PRIMA
Exponitur ſyſtema divinæ gratiæ Janſenianum.

DEfinitiones *terminorum.* pag. 1.

Principium I. fundamentale ſyſtematis Janſeniani.

Nihil velle, nihilque agere, ſecundum Janſenium, modo poſſumus, ſive boni, ſive mali, niſi voluntas noſtra prævia aliqua delectatione ad illud volendum, faciendumque excitetur, & moveatur. p. 19.

Principium II. fundamentale.

Duplex eſt delectatio, quæ modo ad volendum, & operandum nos movet, terrena, & cæleſtis. Prima excitatur voluntas ad volendum malum, & injuſtum: ſecunda ad bonum, & juſtum excitatur. p. 21.

Utraque delectatio, ſecundum Janſenium, eſt indeliberata, omnem præcedens liberum voluntatis conſenſum. p. 23.

Quidquid modo agimus, neceſſario, ſecundum Janſenium, ex terrena, vel cæleſti indeliberata delectatione proficiſcitur. p. 25.

Agimus, ſecundum Janſenium, moti a terrena *indeliberata delectatione, quidquid a delectatione* cœleſti *minime excitati operamur.* p. 26.
Neceſſitas cœleſtis delectationis in voluntate, ut, quod juſtum eſt, operetur, ſecundum Janſenium, non oritur ex voluntatis natura, ſed ex originali peccato, quo factum eſt, ut a carnali delectatione indeſinenter, & inſuperabiliter ad malum excitetur. p. 27.

Principium III. fundamentale.

In duarum oppoſitarum, terrenæ & cœleſtis, delectationum conflictu, ſi gradibus inæquales fuerint, voluntas illi neceſſario obſequitur, quæ alteram intenſive ſuperat: ſi vero fuerint æquales, neutri obſequitur voluntas, nihilque operatur, ſed veluti in medio hæret ſuſpenſa, penituſque otioſa. p. 29.
Dicti principii pars prima. p. 30.
Pars ſecunda. p. 32.

Corollaria.

Duæ delectationes ſe habent, ſecundum Janſenium, inſtar duorum ponderum, voluntas vero inſtar libræ duas lances habentis &c. p. 33.
Nihil operabitur, nec operari, ſecundum Janſenium, poterit homo, niſi alterutra duarum delectationum, altera gradibus ſuis ſuperior fuerit. p. 34.
Delectatio ſive terrena, ſive cœleſtis, quæ animum ſecum trahit, victrix dicitur; victrix vero non eſt abſolute, *ſed tantum* relative, *quatenus gradibus alteram ſuperat.* p. 35.

Una

Digitized by Google

Una eademque delectatio, poteſt ſimul eſſe victrix, & victa; ſicuti etiam modo victrix, modo victa. Ibidem.
Neceſſitas, qua voluntas, ſecundum Janſenium, vividiori delectationi obſequitur, non eſt conſequens, ſed antecedens. p. 37.
Neceſſitas, qua humana voluntas ſecundum id operatur, quod ipſam magis delectat, non moralis *eſt, ſecundum Janſenium, ſed* vera, realis, & phyſica. p. 43.
Dicta neceſſitas, ſecundum Janſenium, non eſt abſoluta, ſed relativa. p. 48.

PROPOSITIO I.

Medicinalis gratia Chriſti in cœleſti indeliberata delectatione juſtitiæ, ſecundum Janſenium, eſt poſita. p. 49.
Hujuſmodi gratia, de qua loquitur Janſenius, non habitualis, ſed actualis eſt. p. 51.

PROPOSITIO II.

Gratia efficax ſecundum Janſenium, eſt cœleſtis indeliberata delectatio relative ſuperior gradibus, terrena delectatione, cui voluntas originalis peccati cauſa obnoxia eſt &c. p. 52.

PROPOSITIO III.

Gratia Chriſti inefficax, ſecundum Janſenium, eſt cœleſtis indeliberata delectatio gradibus inferior carnali cupiditate. p. 55.
Secundum Janſenium eadem gratia poteſt ſimul eſſe efficax, & inefficax; & inſuper modo efficax, modo inefficax. p. 56.
Gratia efficax, in ſyſtemate Janſeniano, a gratia inefficaci diverſa intrinſecus minime eſt. p. 57.

Con-

Digitized by Google

I. *Phiſice impoſſibile eſt, ut juſtitiam diligamus, niſi cœleſtis delectatio carnalem delectationem ſuperet.* p. 60.

II. *Sine gratia efficaci phyſice impoſſibile eſt, in hoc ſyſtemate, ut homo bene operetur.* Ibidem.

Vera, realis, & phyſica eſt illa impotentia bene agendi, ſecundum Janſenium, cui obnoxius eſt homo, gratia efficaci, ſive cœleſti relative victrice delectatione deſtitutus. p. 64.

III. *Urgente tentatione neceſſario indeclinabili neceſſitate peccabimus, niſi cœleſtis delectatio terrenam intenſive ſuperet.* Ibidem.

IV. *Sine gratia efficaci, urgente tentatione, neceſſario indeclinabili neceſſitate peccabimus.* p. 65.

V. *Phyſice impoſſibile eſt, ut is male agat, in quo cœleſtis delectatio terrenam intenſive ſuperat: & viceverſa.* p. 67.

VI. *Eſt phyſice impoſſibile, ut is male agat, qui gratia efficaci donatus eſt; & viceverſa.* Ibidem.

VII. *Neceſſario neceſſitate phyſica tamdiu bene aget voluntas, quamdiu delectatio cœleſtis ſuperior fuerit terrena; & viciſſim tamdiu illa male operabitur &c.* p. 69.

VIII. *Tamdiu neceſſario neceſſitate phyſica voluntas perſeverabit in bono, quamdiu in ea erit gratia efficax; & ex adverſo tamdiu neceſſario eadem neceſſitate in malo obſtinata perſiſtet, quamdiu illa gratia caruerit.* Ibidem.

IX. *Quidquid modo agimus, neceſſario vel bonum eſt ſive juſtum, vel malum ſive injuſtum.* p. 71.

X. *In omni actu ſuo voluntas peccat neceſſario, niſi cœleſtis in ea delectatio terrenam ſuperet.* p. 72.

XI.

Digitized by Google

XI. *Inde in omni actu peccat neceſſario voluntas gratia efficaci deſtituta.* Ibidem.
Non officit ſuperioribus conſectariis, quod docet Janſenius, videlicet peccandi neceſsitatem inductam originalis culpæ cauſa, non eſſe neceſsitatem peccandi in individuo, ſed in genere. p. 76. & 85.
XII. *Voluntas neque circa bonum, neque circa malum libera eſt libertate exercitii.* p. 77.
XIII. *Voluntas ſub gratia efficaci non eſt libera, in ſyſtemate Janſeniano, libertate a ſimplici neceſsitate.* p. 89.
Non ſibi conſtat Janſenius, quando videtur aliquam libertatem adſtruere. p. 94.
Delectatio cœleſtis ſuperior terrena, cum qua pugnat in voluntate, ſe tenet, ſecundum Janſenium, ex parte potentiæ ſive actus primi &c. p. 98.
Solam libertatem a coactione admittit Janſenius in voluntate, ſub delectatione relative victrice. p. 99.
Veram, realem, & phyſicam neceſsitatem intelligit Janſenius, cum principii loco aſſumit, nos ſecundum id neceſſario operari &c. p. 101.
XIV. *Omnis interior gratia Chriſti, in ſyſtemate Janſeniano, vel efficax eſt, vel ita inefficax, ut ad bene operandum nequaquam ſufficiat.* p. 108.
Ad tollendas æquivocationes attente obſervandum, cœleſtem gratiæ delectationem dupliciter dici poſſe ad bene operandum ſufficere, abſolute nimirum, & relative. p. 110.
Duplex quoque diſtinguenda eſt gratia ſufficiens, abſoluta nimirum, & relativa. Ibidem.
XV. *Sola gratia Chriſti efficax, ſecundum Janſenium, eſt gratia vere, proprieque ſufficiens.* p. 119.
Quamvis Janſenius videatur ſolam gratiam in ſenſu
Mo-

Digitized by Google

Moliniſtico excludere, revera tamen quamcumque gratiam ſufficientem rejecit. p. 122.
Spectata notione gratiæ ſufficientis, qualem Thomiſtæ admittunt, nullam penitus agnitam in ſtatu naturæ lapſæ ab Janſenio fuiſſe gratiam ſufficientem, liquido conſtat. p. 125.
XVI. *Neceſſario demum admittendæ ſunt, tamquam veræ, quinque famoſæ propoſitiones Janſenii ab Innocentio Decimo proſcriptæ.* p. 131.

QUINQUE PROPOSITIONES JANSENII.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundum præſentes &c. ſunt impoſſibilia &c. p. 132.
Omnino certa res eſt, ſecundum Janſenium, per ſolam relative victricem divinæ gratiæ delectationem divina mandata obſervari a nobis poſſe. p. 134.
Quot tantum modis poſſibile ſit, ſecundum Janſenium, ut agat homo, quod juſtum eſt &c. p. 136.
Fucum faciunt Janſeniani, dum ajunt, divina mandata, ab iis, qui carent cœleſti delectatione relative victrice, obſervari quidem non poſſe potentia relativa, ſed potentia abſoluta poſſe. p. 139.
Impotentia implendi præcepta divina, quam etiam juſtis ineſſe, ait Janſenius, tanta eſt, ut neque ad orationem utiliter confugere poſſint. p. 143.
Ad orationem tanta cœleſtis gratiæ delectatio, ſecundum Janſenium eſt neceſſaria, ut gradibus ſuperet terrenam, qua voluntas ab orando retrahitur. p. 144.
Ab Janſenii doctrina non recedunt, qui divina mandata obſervatu poſſibilia dicunt, quatenus impleri ab om-

Digitized by Google

omnibus poſſunt per gratiam, quam Deus omnibus poteſt conferre, & omnes poſſunt recipere. p. 145.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. p. 148.

Illa quoque gratia, quam Janſenius inefficacem vocat, eum ſemper totum obtinet effectum, ipſo fatente, quem poteſt, & propter quem voluntati tribuitur. p. 152.

Error, in hac ſecunda propoſitione proſcriptus, non in eo conſiſtit, quod omnis interior gratia aliquem ſemper conſequatur effectum; ſed in eo quod illum omnem effectum ſemper obtineat, cujus producendi veram, realem, & quidem relativam potentiam voluntati communicat. p. 154.

Tuta fide, & abſque Janſeniſmi ſuſpicione, omnis gratia poteſt dici efficax, quatenus aliquem ſemper in nobis effectum producit, non tamen omnem, cujus relative eſt capax. p. 156.

Quo ſenſu, etiam gratia, quæ parva a Janſenio dicitur, dici poſſit, ſecundum ipſum, efficax. p. 161.

Senſu, in ſuperiori expoſito, ſi accipiatur gratia efficax, non omnis gratia efficax, ſecundum Janſenium, victrix eſt, bene vero omnis gratia victrix eſt efficax. p. 162.

III. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. p. 165.

Hanc propoſitionem in Auguſtino Janſenii extare, demonſtratur. a p. 166. uſque ad 172.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana volun-

tas

tas reſiſtere, vel obtemperare. p. 173.
Omiſſo errore facti, juris errorem in hac propoſitione damnatum, ex principiis Janſenii neceſſario ſequi, & in ipſius Auguſtino contineri, oſtenditur a pag. 174. uſque ad 189. pluribus Scholiis, & Animadverſionibus.
V. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. p. 190.
Quo ſenſu hunc errorem docuerit Janſenius, quidque neceſſe ſit, ut error hujuſmodi declinetur, oſtenditur. a pag. 191. uſque ad 212.

OBSERVATIONES IN SYSTEMA JANSENII.

I. *Turpiter eos decipi, qui arbitrantur, quinque damnatas propoſitiones in Auguſtino Janſenii nequaquam contineri, vel non eo ſenſu ab Janſenio traditas, quo ab Eccleſia fuere confixæ, oſtenditur.* a p. 213. uſque ad 229.
II. *Admitti non poteſt Janſenianum principium duarum delectationum indeliberatarum pro graduum ſuperioritate invincibilium, niſi quinque admittantur Janſenii propoſitiones, & quidem eo ſenſu, quo ab illo traditæ ſunt.* a pag. 180. uſque ad 189.
III. *Velint, nolint, quinque Janſenii propoſitiones debent admittere ii, qui in hoc lapſæ naturæ ſtatu ſolam dari gratiam efficacem contendunt.* p. 185. 186. 187.
IV. *Famoſum Janſenii principium phyſicæ neceſſitatis operandi, ſecundum id quod amplius nos delectat, non ſatis eſt, ad declinandam Janſeniſmi notam, ſive ſuſpicionem, ſi explicetur per neceſſitatem moralem.* p. 240. uſque 250.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

Janſenii ſyſtema Theologice confutatur quatuor propoſitionibus.

PROPOSITIO I.

ADverſatur Sacræ Scripturæ.
I. *Quia docet, hominem neceſſario neceſſitate phyſica agere quidquid agit.* p. 251.
II. *Quia in ipſo traditur, Deum impoſſibilia præcipere.* p. 259.
III. *Quia dicit, interiori gratiæ nunquam reſiſti.* Ibidem.
IV. *Quia in ipſo ſola libertas a coactione ſufficiens ſtatuitur ad merendum, & demerendum.* p. 261.
V. *Quia ponit, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis fuiſſe mortuum.* p. 265.

PROPOSITIO II.

Syſtema Janſenii non habet fundamentum in S. Auguſtino. p. 267.
I. *Quia in ipſo traditur, voluntatem noſtram nihil modo velle ſive boni, ſive mali abſque prævia indeliberata delectatione.* p. 268.
II. *Quia docet, in duarum inæqualium delectationum conflictu, voluntatem illi neceſſario obſequi, quæ alteram intenſive ſuperat.* p. 272.
III. *Quia S. Auguſtinus docet, fuiſſe in libera Sanctorum hominum poteſtate cohibere illicitam delectationem.* p. 277.
IV. *Quia S. Auguſtinus de deliberata delectatione intelli-*

telligendus eſt quando ait : quod amplius nos delectat , ſecundum id operemur neceſſe eſt. p. 279.
V. *Quia a ſola voluntate repetit S. Auguſtinus rationem, quare duo homines æqualiter animo affecti, diverſimode ſe gerant ſub eadem indeliberata delectatione carnali.* p. 282.
VI. *Quia S. Auguſtinus de delectatione intelligendus eſt, quæ neceſſitatem infert operandi, quin libertas lædatur.* p. 285.
VII. *Quia S. Auguſtinus de deliberata delectatione poteſt intelligi in toties memorato teſtimonio.* p. 286.

PROPOSITIO III.

Janſenii ſyſtema, nequit eſſe Sancti Auguſtini, quia plura in illo traduntur, quibus S. Auguſtinus adverſatur.
I. *Traditur, humanam voluntatem non eſſe liberam, libertate indifferentiæ.* p. 287. uſque 301.
II. *Quædam a Deo præcipi, quæ non ſolum infidelibus, verum etiam fidelibus, & juſtis ſunt obſervatu quandoque impoſſibilia.* p. 302.
III. *In ſtatu naturæ lapſæ humanam voluntatem interiori gratiæ nunquam reſiſtere.* p. 310.
IV. *Ad merendum, & demerendum, ſufficere libertatem a coactione.* p. 315.
V. *Gratiam Chriſti ejus eſſe naturæ, ut voluntas vel non poſſit illi obtemperare, ſi velit, vel ſi velit non poſſit illi reſiſtere.* p. 318.
VI. *Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis.* p. 324.
VII. *Quia in Janſeniano ſyſtemate efficacia gratiæ cum libero arbitrio facillime conciliatur.* p. 327.

FRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Janſenii ſyſtema de medicinali gratia Chriſti tantum abeſt ab Auguſtini doctrina, ut imo Lutheri, Calvini, aliorumque damnatorum hominum placitis plane conſentiat.

Probatur Scripto bicolumni, in quo Janſenii aliquæ deſcribuntur Sententiæ in prima columna; in ſecunda vero placita Calvini, aliorumque exarantur, ut poſſint commode adinvicem comparari. p. 328. uſque 352.

PATRUM GRÆCORUM BREVIS VINDICIA.

Plures adducuntur textus S. Auguſtini, quibus calumnia diſſipatur, adverſus Patres Græcos à Calvino, & Janſenio prolata. p. 352. uſque 357.

ANIMADVERSIO.

Eadem via Janſenius, & Calviniſtæ curarunt ſe a Prædeſtinatianorum hæreſi purgare. p. 357.

Digitized by Google

FACULTAS ORDINIS.

FR. Petrus Joannetius de Molina Sacræ Theologiæ Lector, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. S. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus, & Servus. Cum juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones, de mandato noſtro opus poſthumum, cui titulus eſt: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſecundis curis P. Fr. Fortunati a Brixia, noſtræ Reformatæ Provinciæ Brixiæ Lectoris Theologiæ, & Scriptoris Ordinis elaboratum, a duobus Theologis reviſum, & approbatum fuerit, harum noſtrarum tenore, facultatem impertimur P. Fr. Carolo a Golleono ejuſdem Provinciæ Lectori Theologo, & Generali Ordinis Secretario, quatenus ſervatis de reliquo ſervandis ipſum typis mandare poſſit, & valeat. Dat. in hoc noſtro S. P. N. Franciſci Conventu. Matriti die vigeſſima quarta menſis Januarii, ann. Dñi. 1755.

Fr. Petrus Joanetius de Molina
Miniſter Generalis.

D. M. Rmi. in Chriſto Patris.

Fr. Antonius Joannetius de Molina
Secretarius Generalis Ordinis.

DE

Digitized by Google

DE mandato Rmi. Patris Petri Joannetii de Molina Miniſtri Generalis totius Ordinis S. P. N. Franciſci opus poſthumum, cui titulus eſt: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum ſecundis curis P. F. Fortunati a Brixia*, ſerio attentoque animo legimus, teſtamurque nihil in eo penitus contineri, quod Catholicæ Religioni adverſetur, vel ſanctis moribus diſſonum ſit: imo maxima ipſum claritate exaratum admirati ſumus, & conſueta ſui Authoris, Viri revera theologi, ſolida eruditione, argumentandi robore adeo perfectum, ut nihil in ipſo, pro adæquato ſui tituli complemento, deſiderare reliquum videatur. Dignum propterea cenſemus, ut typis mandetur, ſi ita quoque iis videbitur ad quos pertinet &c.

Matriti in Conventu S. P. N. Franciſci die 20. Januarii 1755.

Fr. Joſephus Torrubia.
Arch. Gen. Ordinis.

Fr. Balthaſar Leal.
Lector Jubilatus.

CENSURA D. PETRI DE CASTRO BONONIENSIS Collegii Majoris S. Clementis Alumni, atque illa in Univerſitate Sacræ Theologiæ Recitatoris.

DE mandato Domini Vicarii Matritenſis opus R. quondam P. Fr. Fortunati a Brixia duas in partes diſtributum, cui titulus eſt: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, attente perlegi, & in confutatione nihil Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium inveni. Bono quidem Auctoris nomini, quod ei jam pridem, apud Italos præſertim, alia eruditiſsima opera acquiſierunt, penitus reſpondet. Dicam etiam

quod nunc impletum cerno illud Prov. (a) *Fruſtra autem jacitur rete ante oculos pennatorum* : Clariſsimus enim Auctor è Seraphica fuit familia : pennatus igitur, qui non ſolum Janſeniſtarum retiacula declinavit ; verum etiam penna ſua, veluti calculo, polluta eorum labia tetigit. Propterea, ut horum iniquitas auferatur, deberi illud publica luce donari cenſeo. Matriti, III. Id. Februarii 1755.

Petrus de Caſtro.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Juan Antonio de las Infantas, Canonigo Doctoral de la Santa Igleſia de Toledo, Primada de las Eſpañas, y Vicario de eſta Villa, y ſu Partido, Sedevacante &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſu Autor el R. P. Fr. Fortunatò de Brixia, del Orden de N. P. San Franciſco, atento à que de nueſtra comiſsion ha ſido reconocido, y no contiene coſa opueſta à nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres. Dada en Madrid à diez y nueve de Febrero de mil ſetecientos cinquenta y cinco.

Doctor Infantas.

Por ſu mandado.
Joſeph Daganzo.

CEN-

(a) Cap. 1. v. 17.

Digitized by Google

CENSURA DOCT. D. JOSEPHI DE RADA, *Regis a Sacello Preſbyteri honorarii, Sacriſque a Concionibus, Parochi Palatini, Academiæ Hiſpaniæ Sodalis, &c.*

AB Ampliſsimo Caſtellæ Senatu juſſus librum expendere, qui inſcribitur *Janſenii Yprenſis Epiſcopi Syſtema de Medicinali Gratia Chriſti Redemptoris methodice expoſitum, & Theologice confutatum* ſecundis curis P. Fortunati a Brixia; id opus, ſive methodum, ſive rationum momenta ſpectes, inſcriptioni ſuæ, quamoptime conſentire profiteor. Quid enim differendi & ordine, & perſpicuitate præclarius? in Theologo Geometram facile agnoſcas. Argumentorum, quo Janſenianum is dogma percellit, quid robore validius? quid acie, qua ejuſdem rimatur & concidit viſcera, acrius, ſubtiliuſque? Ut Recentioris Hæreſeos fontes aperit callide! Ut Janſenium cum aliis Sectarum architectis, præſertim Calvino, egregie comparat! Quam apte ſententias ſententiis, verba verbis componit! Hinc illum, audaciſsimum in Eccleſiam Catholicam cœtero qui graſſatorem, ſurreptis aliorum pravis dogmatibus, furem etiam viliſsimum extitiſſe demonſtrat: adeo ut archetypi erroris ne laudem quidem infeliciſsimam ſibi ille arrogare poſsit. In ſumma, modo Brixiani ingenii vel Hæreticorum detegentis latebras, vel errorum tenebras diſcutientis, vel Orthodoxæ Fidei arcana illuſtrantis fulgorem; modo Hæreſeos tela retundentis, impietatis arces ac propugnacula evertentis impetum, ne dicam fulmen, obſtupeſcas. Quantum vero poſteriores curæ prioribus præſtare ſolent, tantum alteram hanc operis editionem ſuperiori anteferendam nemo non fateatur. Multa hic penitius introſpecta, ex-

Digitized by Google

explanata luculentius, uberius, eruditiuſque pertractata: hic demum, quo cumulatius Adverſarium debellaret, ſe etiam Auctor ipſe lubentiſsime ſuperavit. Quæ cum ita plane ſint, nihilque toto opere ſive Regni legibus, ſive Regiis Sanctionibus abſonum occurrat, quam cætera, Viri tum in Mathematicis, tum in Phyſicis, aliiſque diſciplinis clariſsimi ſcripta meruere lucem, ea ſane librum hunc omnino dignum, typorumque æternitati tradendum exiſtimo. Matriti die 25. Maii anno 1755.

Joſephus de Rada.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Conſejo, certifico: Que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia à Fr. Carlos de Golleono, del Orden de San Franciſco, para que por una vez pueda imprimir, y vender en papel fino el libro que dexò eſcrito Fr. Fortunato de Brixia, *Secretario General, que fue de la miſma Orden*, intitulado: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, con que la impreſsion ſe haga por el original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma; y que antes que ſe venda ſe trayga al Conſejo dicho libro impreſſo, junto con ſu original, y Certificacion del Corrector de eſtàr conformes, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte lo firme en Madrid à treinta y uno de Mayo de mil ſetecientos cinquenta y cinco.

Don Joſeph Antonio de Yarza.

ATES-

Digitized by Google

ATESTATIO EMENDATIONUM.

Pag. II.	ſollecitudinem	lege	*ſollicitudinem.*
Pag. III.	laudabiter	lege	*laudabiliter.*
Pag. 14.	Definitio XIV.	lege	*IX. uſque ad XIII.*
Pag. 172.	aglgutinavit,	lege	*agglutinavit.*

Iis paucis erroribus demptis ſuo concordat cum originali Liber, cujus titulus eſt: *Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi Syſtema de Gratia Chriſti Methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſecundis curis R. P. Fr. Fortunati à Brixia, Ord. Min. S. P. Franciſci Reformatæ Provinciæ Brixiæ, opus Poſthumum. Matriti die 24. Septembris ann. 1755.

Lic. Don Emmanuel Licardo de Rivera,
Corrector Generalis.

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro intitulado: *Cornelii Janſenii Syſtema Methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſu Autor el R. P. Fr. Fortunato de Brixia, de la Orden de N. P. S. Franciſco à ſiete maravedis el pliego, el qual tiene quarenta y quatro y medio, ſin principios, ni tablas, à cuyo reſpecto importa treſcientos y once maravedis, como conſta de Certificacion dada por Don Joſeph Yarza, Eſcrivano de Camara del Conſejo, ſu fecha en 6. de Octubre de 1755.

II. AD

Digitized by Google

II. AD TIMOTHEUM *cap. 2. verſ. 20.*

In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile domino, ad omne opus bonum paratum.

S. Auguſtinus in Pſalm. 58. ſerm. 1. n. 6.

Alligavit ergo fortem vinculis dominationis ſuæ, & vaſa ejus arripuit, ac vaſa ſua fecit. Erant enim omnes iniqui vaſa diaboli, qui credentes facti ſunt vaſa Chriſti.

Idem in Pſalm. 61. n. 19.

Nonne erit pluvia illa teſtis in judicio Dei, & dicet, ego dulcis ſuper omnes veni? .... Numquid conſilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt locus, non eſt tempus? Nonne ſi vis, hodie fit? nonne ſi vis, modo fit? Quid empturus es, ut facias? quæ ſymplaſia quæſiturus es? ad quos Indos navigaturus? ... Ecce cum loquor, muta cor; & factum eſt, quod tam ſæpe, & tam diu clamatur, ut fiat.

PARS

PARS PRIMA.

EXPONITUR SYSTEMA DIVINÆ GRATIÆ JANSENIANUM.

A Definitionibus terminorum ; quorum notio neceſſaria eſt , in hoc tradendo , explicandoque ſyſtemate initium ſumo. Ut enim habet elegantiſsimus Cicero , *omnis , quæ ratione ſuſcipitur de aliqua re Inſtitutio , debet à definitione proficiſci* (1) , ut intelligatur quid ſit id , de quo diſputatur.

DEFINITIO I.

1. Tripliciter *impoſsibile* dicitur , ut agens operetur; *metaphyſice , phyſice , & moraliter*. Dicitur *impoſsibile metaphyſice* , ſi illud agere omnino repugnet ; *phyſice* , ſi operari excedat naturales ipſius agentis vires ; *moraliter* , ſi apprime difficile ſit , ut agens ipſum operetur , adeo nimirum ut nonniſi raro admodùm illa operandi difficultas ab ipſo agente vincatur. Sic *metaphyſice impoſsibile* eſt , ut materialis ſubſtantia cogitet ; *phyſice* , ut homo volet ſine alis ; *moraliter* vero , ut qui pronus eſt ad iram atque vindictam , illatam ſibi injuriam patienter ferat. Cogitare quippe repugnat materiali ſubſtantiæ. Volare ſi-

(1) Lib. 1. *de Officiis* cap. 1.

ne alis, naturales hominis vires omnino ſuperat. Tamque difficile eſt homini ad iram prono illatam ſibi de repente injuriam patienter ferre, ut ſcribendum ferme ſit inter miracula, ſi id aliquando contingat.

DEFINITIO II.

2. Triplici quoque ſenſu dicitur agens *neceſſario* agere, ſcilicet primo neceſſario *neceſsitate metaphyſica*; ſecundo neceſſario *neceſsitate phyſica*; tertio neceſſario *neceſsitate morali*. Neceſſario *neceſsitate metaphyſica* operatur agens, ſi illud non operari plane repugnet. Agit vero neceſſario *neceſsitate phyſica*, ſi, ſalvis naturæ legibus, fieri nequaquam poſsit, quominus ipſum operetur. Agit demum neceſſario *morali neceſsitate*, ſi, illud non agere, ſit apprime difficile. Sic Deus neceſſario *neceſsitate metaphyſica* ſe ipſum diligit; ignis neceſſario *neceſsitate phyſica* vicinam ſibi ſtuppam comburit; & qui pronus ad iram eſt homo, neceſſario *morali neceſsitate* ad illatam ſibi injuriam iraſcitur. Difficillimum quippe eſt, ut eam æquo ille mitique animo ferat. Salvis vero legibus naturæ fieri haud poteſt, ut ignis intactam relinquat ſtuppam ſibi vicinam. Ac demum omnino repugnat, ut Deus bonitatem ſuam infinitam minime diligat.

DEFINITIO III.

3. Neceſsitas agendi duplex eſt, *antecedens*, & *conſequens*. Prima dicitur illa, quæ antevertit determinationem cauſæ, efficitque, ut ipſa cauſa operetur. Secunda ea eſt, quæ cauſæ determinationem, actionemque ipſam conſequitur. Sic neceſſario *neceſsitate antecedenti* corpus gra-

grave in aere ſuſpenſum, ſibique deinde relictum, deorſum ruit. Contra vero neceſſario *conſequenti* dumtaxat *neceſſitate* linguam movet, qui loquitur. Qui enim loquitur, non neceſſario loquitur: at ſi loquatur, linguam moveat neceſſarium eſt; cum ſine motu linguæ loqui non poſſit. Corpus autem grave ita eſt determinatum ad deſcenſum, ut, ſublato impedimento, non deſcendere minime queat.

SCHOLION.

4. Utramque hanc *neceſsitatem* S. Anſelmus ita explicat. *Eſt*, inquit, *neceſsitas* præcedens, *quæ cauſa eſt, ut res ſit; & eſt neceſsitas* ſequens, *quam res facit. Præcedens, & efficiens neceſsitas, cum dicitur cœlum volvi; quia neceſſe eſt, ut volvatur. Sequens vero, & quæ nihil efficit, ſed fit, eſt, cum dico, te ex neceſsitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, ſignifico, nihil facere poſſe, ut dum loqueris, non loquaris, non quod alius te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volvi; te vero nulla neceſsitas facit loqui. Sed ubicumque eſt* præcedens neceſsitas, *eſt &* ſequens; *non autem, ubi* ſequens, *ibi ſtatim eſt* præcedens. *Poſſumus namque dicere, neceſſe eſt cœlum volvi*, quia *volvitur; ſed non ſimiliter eſt verum*, idcirco *te loqui*, quia *neceſſe eſt, ut loquaris.* (2)

(2) Lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. *alias* cap. 17. Videatur idem lib. *de Concordia præſcientiæ Dei cum libero arbitrio* cap. 2.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

5. *Neceſſitas antecedens* dicitur *neceſſitas abſoluta*, & *conſequentis*; hæcque ſemper intelligitur, cum abſolute & ſine addito dicimus, cauſam neceſſario agere. *Neceſſitas* vero *conſequens* ſolet ex adverſo *neceſſitas hypothetica*, & *conſequentiæ* nuncupari.

ANIMADVERSIO II.

6. *Neceſſitas*, tàm *antecedens*, quàm *conſequens* poteſt ex æquo *neceſſitas infallibilitatis* nuncupari. Ex æquo enim *certo* & *infallibiliter* futurum tum quod neceſſario *neceſſitate conſequenti*, tum quod neceſſario *neceſſitate antecedenti* eſt futurum. Certe non minus infallibiliter peccaturus eſt Antichriſtus in fine Mundi, ac Sol die craſtina ſit oriturus, quamvis peccatum Antichriſti non ſit neceſſarium, niſi *neceſſitate conſequenti*, & ortus Solis ſit craſtina die *neceſſitate antecedenti* futurus.

DEFINITIO IV.

7. *Neceſſitas antecedens* operandi alia eſt *contrarietatis*, ſeu *ſpecificationis*; alia *contradictionis*, ſive *exercitii*. Prima eſt illa, per quam agens ad unum in *ſpecie* actum eliciendum ita determinatum eſt, ut actum *contrarium* haud poſsit elicere. Talis eſt illa neceſsitas, qua volumus eſſe felices. Id quippe ita neceſſario volumus, *ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus.* (3) Secunda ea eſt, per quam agens ita eſt determinatum ad

(3) S. Auguſtinus in *Enchirid.* cap. 105.

ad operandum, ut omnibus poſitis, quæ neceſſario requiruntur, ut poſſit agere, ipſum non operari nequaquam poſſit. Sic neceſſario hac *neceſſitate* vicinam ſibi ſtuppam ignis comburit. Tunc quippe ignem non agere & ſtuppam non comburere, *phyſice* impoſſibile eſt.

DEFINITIO V.

8. Dividitur etiam *neceſſitas antecedens* in *neceſſitatem ſimplicem*, & in *neceſſitatem coactionis*. Agens dicitur agere neceſſario *neceſſitate ſimplici*, quando non per externam vim, ſeu violentiam, ſed ex ipſa ſua natura, vel perinde ac veluti ex natura ſua neceſſario operatur. Dicitur vero agere neceſſario *neceſſitate coactionis*, quando ab externa vi, contra naturalem ſuam inclinationem ad operandum neceſſario determinatur. Sic neceſſario *neceſſitate ſimplici* Deus ſeipſum diligit, ignis ſtuppam comburit, & grave ſuo genio relictum deorſum ruit. Contra vero neceſſario *neceſſitate coactionis* ambulat homo, qui nolens atque invitus ad carcerem pergit.

SCHOLION.

9. Quod neceſſario fit hoc ſecundo *neceſſitatis* genere, *coactum*, atque etiam *violentum* dicitur. Proprie tamen loquendo, dicitur *violentum*, quod accidit rei, tam animatæ, quàm inanimæ contra illius naturam, ut lapidi ſurſum aſcendere. *Coactum* vero, quod fit à re ſenſu prædita contra illius appetitum rationalem, vel ſenſitivum, ut homini ad carcerem pergere. Omne *coactum* propterea *violentum* eſt; at non viciſſim omne *violentum* eſt *coactum*.

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

10. Agenti neceſſario, *neceſſitate* utique *antecedenti*, opponitur *liberum*. Dupliciter propterea dicitur agens *libere* operari, ſcilicet libere *libertate à neceſſitate ſimplici*, & libere *libertate à coactione*. Dicitur libere agere *libertate à ſimplici neceſſitate*, quando ita unum agit, ut etiam oppoſitum poſsit, utpote ad neutrum neceſſario determinatum. Cum autem dupliciter opponi queant inter ſe, quæ eſſe dicuntur in liberi agentis poteſtate, *contrarie* nimirum, & *contradictorie*, hinc duplex diſtinguitur *libertas à ſimplici neceſſitate*, altera ſcilicet, quæ *contrarietatis*, ſeu *ſpecificationis*, altera, quæ *contradictionis*, ſive *exercitii* nuncupatur.

DEFINITIO VII.

11. Agens dicitur liberum in operando *libertate contrarietatis*, quando circa idem objectum poteſt *contrarios* actus elicere, non quidem ſimul, ſed disjuncte, ita nempe ut dum ſe determinavit ad unum in *ſpecie* actum, ad actum *contrarium* ſeſe determinare potuerit, e. c. ad actum *amoris*, dum ſe determinavit ad *odium*. Dicitur vero liberum in operando *libertate contradictionis*, quando ita agit, dum agit, ut potuerit non agere, quatenus nempe dum ſe determinavit ad agendum, potuerit ſeſe ad non agendum determinare. Sic libere hoc *libertatis* genere ambulare dicitur homo, qui plane ſui juris eſt; quia dum ambulat, potuit, ſi voluiſſet, eo tempore non ambulare.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

12. Nihil prorſus eorum, quæ ad *poſſe* requiruntur, deeſſe debet agenti, ut quando non agit, libere *libertate exercitii* tunc non operari dicatur. Etenim ſi ſecus, tunc minime agit, non quia id ei liberum ſit, ſed quia non poteſt.

SCHOLION.

13. *Libertas exercitii* vocari etiam ſolet *libertas Philoſophica, libertas electionis*, atque etiam *libertas indifferentiæ*. Dicitur *libertas Philoſophica*; quia eam intelligunt Philoſophi, cum loquuntur de agente libero. Dicitur *libertas electionis*; quia agens hoc modo liberum poteſt ex pluribus ſibi propoſitis unum præferre aliis; atque ad illud amplectendum, ceteris rejectis, ſeſe determinare. Etenim, ut habet Angelicus Doctor, *cum* electio *ſit acceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt, quod* electio *ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſint; & ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad unum*, electio *locum non habet*. (4) Dicitur demum *libertas indifferentiæ*; quia excludit in agente, quod illa libertate liberum eſt, determinationem ad unum cum *reali impotentia* ad oppoſitum.

ANIMADVERSIO II.

14. Duplex *indifferentia* in agente libero quamaccurate diſtinguenda eſt: una ſcilicet, quæ *neceſſariam* illius de-

(4) 1. 2. quæſt. 13. art. 2.

Digitized by Google

FACULTAS ORDINIS.

FR. Petrus Joannetius de Molina Sacræ Theologiæ Lector, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. S. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus, & Servus. Cum juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones, de mandato noſtro opus poſthumum, cui titulus eſt: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſecundis curis P. Fr. Fortunati a Brixia, noſtræ Reformatæ Provinciæ Brixiæ Lectoris Theologiæ, & Scriptoris Ordinis elaboratum, a duobus Theologis reviſum, & approbatum fuerit, harum noſtrarum tenore, facultatem impertimur P. Fr. Carolo a Golleono ejuſdem Provinciæ Lectori Theologo, & Generali Ordinis Secretario, quatenus ſervatis de reliquo ſervandis ipſum typis mandare poſsit, & valeat. Dat. in hoc noſtro S. P. N. Franciſci Conventu. Matriti die vigeſsima quarta menſis Januarii, ann. Dñi. 1755.

Fr. Petrus Joanetius de Molina
Miniſter Generalis.

D. M. Rmi. in Chriſto Patris.

Fr. Antonius Joannetius de Molina
Secretarius Generalis Ordinis.

DE

Digitized by Google

DE mandato Rmi. Patris Petri Joannetii de Molina Miniſtri Generalis totius Ordinis S. P. N. Franciſci opus poſthumum, cui titulus eſt: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum ſecundis curis P. F. Fortunati a Brixia*, ſerio attentoque animo legimus, teſtamurque nihil in eo penitus contineri, quod Catholicæ Religioni adverſetur, vel ſanctis moribus diſſonum ſit: imo maxima ipſum claritate exaratum admirati ſumus, & conſueta ſui Authoris, Viri revera theologi, ſolida eruditione, argumentandi robore adeo perfectum, ut nihil in ipſo, pro adæquato ſui tituli complemento, deſiderare reliquum videatur. Dignum propterea cenſemus, ut typis mandetur, ſi ita quoque iis videbitur ad quos pertinet &c.

Matriti in Conventu S. P. N. Franciſci die 20. Januarii 1755.

Fr. Joſephus Torrubia.
Arch. Gen. Ordinis.

Fr. Balthaſar Leal.
Lector Jubilatus.

CENSURA D. PETRI DE CASTRO BONONIENSIS Collegii Majoris S. Clementis Alumni, atque illa in Univerſitate Sacræ Theologiæ Recitatoris.

DE mandato Domini Vicarii Matritenſis opus R. quondam P. Fr. Fortunati a Brixia duas in partes diſtributum, cui titulus eſt: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, attente perlegi, & in confutatione nihil Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium inveni. Bono quidem Auctoris nomini, quod ei jam pridem, apud Italos præſertim, alia eruditiſsima opera acquiſierunt, penitus reſpondet. Dicam etiam

quod nunc impletum cerno illud Prov. (a) *Fruſtra autem jacitur rete ante oculos pennatorum* : Clariſsimus enim Auctor è Seraphica fuit familia : pennatus igitur, qui non ſolum Janſeniſtarum retiacula declinavit ; verum etiam penna ſua, veluti calculo, polluta eorum labia tetigit. Propterea, ut horum iniquitas auferatur, deberi illud publica luce donari cenſeo. Matriti, III. Id. Februarii 1755.

Petrus de Caſtro.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Juan Antonio de las Infantas, Canonigo Doctoral de la Santa Igleſia de Toledo, Primada de las Eſpañas, y Vicario de eſta Villa, y ſu Partido, Sedevacante &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſu Autor el R. P. Fr. Fortunatò de Brixia, del Orden de N. P. San Franciſco, atento à que de nueſtra comiſsion ha ſido reconocido, y no contiene coſa opueſta à nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres. Dada en Madrid à diez y nueve de Febrero de mil ſetecientos cinquenta y cinco.

Doctor Infantas.

Por ſu mandado.
Joſeph Daganzo.

CEN-

(a) Cap. I. v. 17.

Digitized by Google

CENSURA DOCT. D. JOSEPHI DE RADA, *Regis a Sacello Presbyteri honorarii, Sacriſque a Concionibus, Parochi Palatini, Academiæ Hiſpaniæ Sodalis, &c.*

AB Ampliſsimo Caſtellæ Senatu juſſus librum expendere, qui inſcribitur *Janſenii Yprenſis Epiſcopi Syſtema de Medicinali Gratia Chriſti Redemptoris methodice expoſitum, & Theologice confutatum* ſecundis curis P. Fortunati a Brixia; id opus, ſive methodum, ſive rationum momenta ſpectes, inſcriptioni ſuæ, quamoptime conſentire profiteor. Quid enim differendi & ordine, & perſpicuitate præclarius? in Theologo Geometram facile agnoſcas. Argumentorum, quo Janſenianum is dogma percellit, quid robore validius? quid acie, qua ejuſdem rimatur & concidit viſcera, acutius, ſubtiliuſque? Ut Recentioris Hæreſeos fontes aperit callide! Ut Janſenium cum aliis Sectarum architectis, præſertim Calvino, egregie comparat! Quam apte ſententias ſententiis, verba verbis componit! Hinc illum, audaciſsimum in Eccleſiam Catholicam cœtero qui graſſatorem, ſurreptis aliorum pravis dogmatibus, furem etiam viliſsimum extitiſſe demonſtrat: adeo ut archetypi erroris ne laudem quidem infeliciſsimam ſibi ille arrogare poſsit. In ſumma, modo Brixiani ingenii vel Hæreticorum detegentis latebras, vel errorum tenebras diſcutientis, vel Orthodoxæ Fidei arcana illuſtrantis fulgorem; modo Hæreſeos tela retundentis, impietatis arces ac propugnacula evertentis impetum, ne dicam fulmen, obſtupeſcas. Quantum vero poſteriores curæ prioribus præſtare ſolent, tantum alteram hanc operis editionem ſuperiori anteferendam nemo non fateatur. Multa hic penitius introſpecta,

ex-

Digitized by Google

explanata luculentius, uberius, eruditiuſque pertractata: hic demum, quo cumulatius Adverſarium debellaret, ſe etiam Auctor ipſe lubentiſsime ſuperavit. Quæ cum ita plane ſint, nihilque toto opere ſive Regni legibus, ſive Regiis Sanctionibus abſonum occurrat, quam cætera, Viri tum in Mathematicis, tum in Phyſicis, aliiſque diſciplinis clariſsimi ſcripta meruere lucem, ea ſane librum hunc omnino dignum, typorumque æternitati tradendum exiſtimo. Matriti die 25. Maii anno 1755.

Joſephus de Rada.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Conſejo, certifico: Que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia à Fr. Carlos de Golleono, del Orden de San Franciſco, para que por una vez pueda imprimir, y vender en papel fino el libro que dexò eſcrito Fr. Fortunato de Brixia, *Secretario General, que fue de la miſma Orden*, intitulado: *Janſenii Syſtema methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, con que la impreſsion ſe haga por el original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma; y que antes que ſe venda ſe trayga al Conſejo dicho libro impreſſo, junto con ſu original, y Certificacion del Corrector de eſtàr conformes, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte lo firme en Madrid à treinta y uno de Mayo de mil ſetecientos cinquenta y cinco.

Don Joſeph Antonio de Yarza.

ATES-

Digitized by Google

ATESTATIO EMENDATIONUM.

Pag. II.	ſollecitudinem	lege	*ſollicitudinem.*
Pag. III.	laudabiter	lege	*laudabiliter.*
Pag. 14.	Definitio XIV.	lege	*IX. uſque ad XIII.*
Pag. 172.	aglgutinavit,	lege	*agglutinavit.*

Iis paucis erroribus demptis ſuo concordat cum originali Liber, cujus titulus eſt: *Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi Syſtema de Gratia Chriſti Methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſecundis curis R. P. Fr. Fortunati à Brixia, Ord. Min. S. P. Franciſci Reformatæ Provinciæ Brixiæ, opus Poſthumum. Matriti die 24. Septembris ann. 1755.

Lic. Don Emmanuel Licardo de Rivera,
Corrector Generalis.

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro intitulado: *Cornelii Janſenii Syſtema Methodice expoſitum, & Theologice confutatum*, ſu Autor el R. P. Fr. Fortunato de Brixia, de la Orden de N. P. S. Franciſco à ſiete maravedis el pliego, el qual tiene quarenta y quatro y medio, ſin principios, ni tablas, à cuyo reſpecto importa treſcientos y once maravedis, como conſta de Certificacion dada por Don Joſeph Yarza, Eſcrivano de Camara del Conſejo, ſu fecha en 6. de Octubre de 1755.

II. AD

Digitized by Google

II. AD TIMOTHEUM cap. 2. verſ. 20.

In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile domino, ad omne opus bonum paratum.

S. Auguſtinus in Pſalm. 58. ſerm. 1. n. 6.

Alligavit ergo fortem vinculis dominationis ſuæ, & vaſa ejus arripuit, ac vaſa ſua fecit. Erant enim omnes iniqui vaſa diaboli, qui credentes facti ſunt vaſa Chriſti.

Idem in Pſalm. 62. n. 19.

Nonne erit pluvia illa teſtis in judicio Dei, & dicet, ego dulcis ſuper omnes veni? .... Numquid conſilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt locus, non eſt tempus? Nonne ſi vis, hodie fit? nonne ſi vis, modo fit? Quid empturus es, ut facias? quæ ſymplaſia quæſiturus es? ad quos Indos navigaturus? ... Ecce cum loquor, muta cor; & factum eſt, quod tam ſæpe, & tam diu clamatur, ut fiat.

PARS

PARS PRIMA.

EXPONITUR SYSTEMA DIVINÆ GRATIÆ JANSENIANUM.

A Definitionibus terminorum ; quorum notio neceſſaria eſt , in hoc tradendo , explicandoque ſyſtemate initium ſumo. Ut enim habet elegantiſsimus Cicero, *omnis , quæ ratione ſuſcipitur de aliqua re Inſtitutio , debet à definitione proficiſci* (1) , ut intelligatur quid ſit id , de quo diſputatur.

DEFINITIO I.

1. Tripliciter *impoſsibile* dicitur , ut agens operetur; *metaphyſice* , *phyſice* , & *moraliter*. Dicitur *impoſsibile metaphyſice* , ſi illud agere omnino repugnet ; *phyſice* , ſi operari excedat naturales ipſius agentis vires ; *moraliter* , ſi apprime difficile ſit, ut agens ipſum operetur, adeo nimirum ut nonniſi raro admodum illa operandi difficultas ab ipſo agente vincatur. Sic *metaphyſice impoſsibile* eſt , ut materialis ſubſtantia cogitet ; *phyſice* , ut homo volet ſine alis ; *moraliter* vero , ut qui pronus eſt ad iram atque vindictam , illatam ſibi injuriam patienter ferat. Cogitare quippe repugnat materiali ſubſtantiæ. Volare ſi-

(1) Lib. 1. *de Officiis* cap. 1.

Digitized by Google

ne alis, naturales hominis vires omnino ſuperat. Tamque difficile eſt homini ad iram prono illatam ſibi de repente injuriam patienter ferre, ut ſcribendum ferme ſit inter miracula, ſi id aliquando contingat.

DEFINITIO II.

2. Triplici quoque ſenſu dicitur agens *neceſſario* agere, ſcilicet primo neceſſario *neceſsitate metaphyſica*; ſecundo neceſſario *neceſsitate phyſica*; tertio neceſſario *neceſsitate morali*. Neceſſario *neceſsitate metaphyſica* operatur agens, ſi illud non operari plane repugnet. Agit vero neceſſario *neceſsitate phyſica*, ſi, ſalvis naturæ legibus, fieri nequaquam poſsit, quominus ipſum operetur. Agit demum neceſſario *morali neceſsitate*, ſi, illud non agere, ſit apprime difficile. Sic Deus neceſſario *neceſsitate metaphyſica* ſe ipſum diligit; ignis neceſſario *neceſsitate phyſica* vicinam ſibi ſtuppam comburit; & qui pronus ad iram eſt homo, neceſſario *morali neceſsitate* ad illatam ſibi injuriam iraſcitur. Difficillimum quippe eſt, ut eam æquo ille mitique animo ferat. Salvis vero legibus naturæ fieri haud poteſt, ut ignis intactam relinquat ſtuppam ſibi vicinam. Ac demum omnino repugnat, ut Deus bonitatem ſuam infinitam minime diligat.

DEFINITIO III.

3. Neceſsitas agendi duplex eſt, *antecedens*, & *conſequens*. Prima dicitur illa, quæ antevertit determinationem cauſæ, efficitque, ut ipſa cauſa operetur. Secunda ea eſt, quæ cauſæ determinationem, actionemque ipſam conſequitur. Sic neceſſario *neceſsitate antecedenti* corpus

gra-

grave in aere ſuſpenſum, ſibique deinde relictum, deorſum ruit. Contra vero neceſſario *conſequenti* dumtaxat *neceſſitate* linguam movet, qui loquitur. Qui enim loquitur, non neceſſario loquitur: at ſi loquatur, linguam moveat neceſſarium eſt; cum ſine motu linguæ loqui non poſſit. Corpus autem grave ita eſt determinatum ad deſcenſum, ut, ſublato impedimento, non deſcendere minime queat.

SCHOLION.

4. Utramque hanc *neceſſitatem* S. Anſelmus ita explicat. *Eſt*, inquit, *neceſſitas* præcedens, *quæ cauſa eſt, ut res ſit; & eſt neceſſitas* ſequens, *quam res facit. Præcedens, & efficiens neceſſitas, cum dicitur cœlum volvi; quia neceſſe eſt, ut volvatur. Sequens vero, & quæ nihil efficit, ſed fit, eſt, cum dico, te ex neceſſitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, ſignifico, nihil facere poſſe, ut dum loqueris, non loquaris, non quod alius te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cœlum volvi; te vero nulla neceſſitas facit loqui. Sed ubicumque eſt* præcedens neceſsitas, *eſt &* ſequens; *non autem, ubi* ſequens, *ibi ſtatim eſt* præcedens. *Poſſumus namque dicere, neceſſe eſt cœlum volvi, quia volvitur; ſed non ſimiliter eſt verum,* idcirco *te loqui*, quia *neceſſe eſt, ut loquaris.* (2)

(2) Lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. *alias* cap. 17. Videatur idem lib. *de Concordia præſcientiæ Dei cum libero arbitrio* cap. 2.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

5. *Neceſsitas antecedens* dicitur *neceſsitas abſoluta*, & *conſequentis*; hæcque ſemper intelligitur, cum abſolute & ſine addito dicimus, cauſam neceſſario agere. *Neceſſitas* vero *conſequens* ſolet ex adverſo *neceſsitas hypothetica*, & *conſequentiæ* nuncupari.

ANIMADVERSIO II.

6. *Neceſsitas*, tàm *antecedens*, quàm *conſequens* poteſt ex æquo *neceſsitas infallibilitatis* nuncupari. Ex æquo enim *certo* & *infallibiliter* futurum tum quod neceſſario *neceſsitate conſequenti*, tum quod neceſſario *neceſsitate antecedenti* eſt futurum. Certe non minus infallibiliter peccaturus eſt Antichriſtus in fine Mundi, ac Sol die craſtina ſit oriturus, quamvis peccatum Antichriſti non ſit neceſſarium, niſi *neceſsitate conſequenti*, & ortus Solis ſit craſtina die *neceſsitate antecedenti* futurus.

DEFINITIO IV.

7. *Neceſsitas antecedens* operandi alia eſt *contrarietatis*, ſeu *ſpecificationis*; alia *contradictionis*, ſive *exercitii*. Prima eſt illa, per quam agens ad unum in *ſpecie* actum eliciendum ita determinatum eſt, ut actum *contrarium* haud poſsit elicere. Talis eſt illa neceſsitas, qua volumus eſſe felices. Id quippe ita neceſſario volumus, *ut eſſe miſeri non ſolum nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus.* (3) Secunda ea eſt, per quam agens ita eſt determinatum ad

(3) S. Auguſtinus in *Enchirid.* cap. 105.

Digitized by Google

ad operandum, ut omnibus poſitis, quæ neceſſario requiruntur, ut poſſit agere, ipſum non operari nequaquam poſſit. Sic neceſſario hac *neceſſitate* vicinam ſibi ſtuppam ignis comburit. Tunc quippe ignem non agere & ſtuppam non comburere, *phyſice* impoſſibile eſt.

DEFINITIO V.

8. Dividitur etiam *neceſſitas antecedens* in *neceſſitatem ſimplicem*, & in *neceſſitatem coactionis*. Agens dicitur agere neceſſario *neceſſitate ſimplici*, quando non per externam vim, ſeu violentiam, ſed ex ipſa ſua natura, vel perinde ac veluti ex natura ſua neceſſario operatur. Dicitur vero agere neceſſario *neceſſitate coactionis*, quando ab externa vi, contra naturalem ſuam inclinationem ad operandum neceſſario determinatur. Sic neceſſario *neceſſitate ſimplici* Deus ſeipſum diligit, ignis ſtuppam comburit, & grave ſuo genio relictum deorſum ruit. Contra vero neceſſario *neceſſitate coactionis* ambulat homo, qui nolens atque invitus ad carcerem pergit.

SCHOLION.

9. Quod neceſſario fit hoc ſecundo *neceſſitatis* genere, *coactum*, atque etiam *violentum* dicitur. Proprie tamen loquendo, dicitur *violentum*, quod accidit rei, tàm animatæ, quàm inanimæ contra illius naturam, ut lapidi ſurſum aſcendere. *Coactum* vero, quod fit à re ſenſu prædita contra illius appetitum rationalem, vel ſenſitivum, ut homini ad carcerem pergere. Omne *coactum* propterea *violentum* eſt; at non vicíſſim omne *violentum* eſt *coactum*.

Digitized by Google

DEFINITIO VI.

10. Agenti neceſſario, *neceſſitate* utique *antecedenti*, opponitur *liberum*. Dupliciter propterea dicitur agens *libere* operari, ſcilicet libere *libertate à neceſſitate ſimplici*, & libere *libertate à coactione*. Dicitur libere agere *libertate à ſimplici neceſſitate*, quando ita unum agit, ut etiam oppoſitum poſſit, utpote ad neutrum neceſſario determinatum. Cum autem dupliciter opponi queant inter ſe, quæ eſſe dicuntur in liberi agentis poteſtate, *contrarie* nimirum, & *contradictorie*, hinc duplex diſtinguitur *libertas à ſimplici neceſſitate*, altera ſcilicet, quæ *contrarietatis*, ſeu *ſpecificationis*, altera, quæ *contradictionis*, ſive *exercitii* nuncupatur.

DEFINITIO VII.

11. Agens dicitur liberum in operando *libertate contrarietatis*, quando circa idem objectum poteſt *contrarios* actus elicere, non quidem ſimul, ſed disjuncte, ita nempe ut dum ſe determinavit ad unum in *ſpecie* actum, ad actum *contrarium* ſeſe determinare potuerit, e. c. ad actum *amoris*, dum ſe determinavit ad *odium*. Dicitur vero liberum in operando *libertate contradictionis*, quando ita agit, dum agit, ut potuerit non agere, quatenus nempe dum ſe determinavit ad agendum, potuerit ſeſe ad non agendum determinare. Sic libere hoc *libertatis* genere ambulare dicitur homo, qui plane ſui juris eſt; quia dum ambulat, potuit, ſi voluiſſet, eo tempore non ambulare.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

12. Nihil prorſus eorum, quæ ad *poſſe* requiruntur, deeſſe debet agenti, ut quando non agit, libere *libertate exercitii* tunc non operari dicatur. Etenim ſi ſecus, tunc minime agit, non quia id ei liberum ſit, ſed quia non poteſt.

SCHOLION.

13. *Libertas exercitii* vocari etiam ſolet *libertas Philoſophica, libertas electionis*, atque etiam *libertas indifferentiæ*. Dicitur *libertas Philoſophica*; quia eam intelligunt Philoſophi, cum loquuntur de agente libero. Dicitur *libertas electionis*; quia agens hoc modo liberum poteſt ex pluribus ſibi propoſitis unum præferre aliis; atque ad illud amplectendum, ceteris rejectis, ſeſe determinare. Etenim, ut habet Angelicus Doctor, *cum* electio *ſit acceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt, quod* electio *ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſint; & ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad unum*, electio *locum non habet*. (4) Dicitur demum *libertas indifferentiæ*; quia excludit in agente, quod illa libertate liberum eſt, determinationem ad unum cum *reali impotentia* ad oppoſitum.

ANIMADVERSIO II.

14. Duplex *indifferentia* in agente libero quam accurate diſtinguenda eſt: una ſcilicet, quæ *neceſſariam* illius de-

(4) 1. 2. quæſt. 13. art. 2.

Digitized by Google

determinationem ad unum, alia, quæ non *determinationem* dumtaxat, verum etiam *propenſionem* omnem ipſius agentis in alterutram partem excludit, adeo nempe ut perfectum æquilibrium exprimat. Prima *indifferentia* ad *libertatem exercitii* neceſſaria eſt, imò in illa una, ut ex dictis patet, libertas ipſa conſiſtit; ſecunda vero nequaquam. Hæc enim, ut recte obſervat Cl. Petavius, *vel adimi ex toto poteſt, vel ab ea plus, minuſve recedi, integra manente priori, quæ eſt* libertatis *eſſentia. Nam & naturales affectus ab ortu ipſo inditi, & habitus uſu, & actionum aſſiduitate roborati, & morbi, & perturbationes ſæpè voluntatem impellunt; ac velut pondere quodam alteram in partem deprimunt. Meminerit itaque Lector eruditus*, inquit Vir ille Cl. *indifferentiam aliam eſſe nativam & inſitam*, quæ electionis indifferentia *nominetur, aliam accidentem, & adventitiam, quæ* indifferentia propenſionis, vel affectus *dici poterit*. Sic determinatio, *ſive* neceſſitas, *quæ* indifferentiæ *illi reſpondet, ſimiliter duplex eſt, una eſt* abſoluta, *quæ* naturalem *tollit* indifferentiam; *cujuſmodi eſt* abſoluta neceſsitas, *tàm* ſimplex, *quàm* violenta, *tametſi hæc intimam voluntatem nunquam afficit, ac proinde nunquam libertatem eripit, ſed fictione ſola......*
Altera eſt, ut vulgo Scholæ nuncupant, ſecundum quid, *ad quam vis omnis, & neceſsitas extrinſecus cogens, & violenter impellens referri debet, ut ſunt dolores, cruciatuſque corporis, metus ingruentis mali, ac propoſita pericula, vehementes concupiſcentiæ motus, & quæ* paſsiones *vocantur, & innumera id genus alia, quæ conſtantes animos ſæpe labefactant; nec tamen* eligendi libertatem *ex toto detraxhunt, neque* liberum arbitrium *abſolute determinant.....*
Hæc enim omnia, etſi magna vi & impetu libertatem quatiunt, & in præceps abripiunt, non tamen invitam di-
mo-

movent; *nec* indifferentiam, *hoc eſt utriuslibet amplectendi* vim, ac poteſtatem *auferunt*. (5)

DEFINITIO VIII.

15. *Libertas à coactione* generatim ſumta dicitur illa, *qua agens non per vim, ſeu violentiam ſibi illatam, adeoque contra ſuum appetitum rationalem, vel ſenſitivum, neque per ignorantiam, ſed ex ipſa impulſione, vel quaſi impulſione ſuæ naturæ, & cum cognitione eorum, circa quæ verſatur actio, delectabiliter, & cum complacentia operatur*. Ut enim habet Nemeſius, atque una cum Philoſophis Theologi omnes fatentur, *ſponte* nempe libere *libertate à coactione fit*, *quod neque* per vim, *neque* per inſcientiam *fit*. *Atque id quidem non per* vim *fit, cujus principium in ipſis eſt. Non per* ignorantiam *vero, ſi quippiam rerum ſingularum ignoratum non fuerit, per quæ & in quibus eſt actio. Utroque igitur juncto ad alterum, definivimus* ſponte factum, *cujus principium in ipſo eſt, ſciente ſingula, in quibus eſt actio.* (6)

ANIMADVERSIO. I.

16. Sumta hoc ſenſu *libertate à coactione*, omne, quod ex electione fit, nempe libere *libertate à neceſſitate ſimplici*, fit quoque libere *libertate à coactione*, at non viciſſim. Certe, ut alia præteream, non *coactus* ſed apprime *ſpontaneus*, nempe liber *libertate à coactione* eſt amor, quo Deus ſeipſum diligit, & à Beatis in

(5) Lib. 5. *de Opific. ſex dierum* cap. 11. num. 3.
(6) Lib. *de Facultatibus animæ* cap. 32.

Digitized by Google

in cœlo diligitur; neque tamen liber *à neceſsitate* eſt, ſed maxime neceſſarius. Itaque, ut loquar cum Nemeſio, *quidquid* ex electione *fit*, *etiam* ſponte *fit*; *ſed non contra eſt verum. Omnis enim electio* ſponte *ſuſcipitur*; *non etiam quidquid* ſponte *ſuſcipitur*, electio *eſt* (7): quod longe antea Ariſtoteles quoque docuit illis verbis: *electio* ſponte *quidem noſtra videtur fieri*, *non tamen eſt idem*, *quod illud*, *quod* ſponte *fit*, *ſed quod ſponte fit*, *ad plura ſeſe extendit. Eſt enim cum pueris*, *& animalibus ceteris nobis commune*; electio *vero non eſt commune* (8). Hinc

COROLLARIUM I.

17. Libertas à coactione, *generatim ſumta*, *non opponitur* neceſsitati naturali, *ſed una eademque actio poteſt eſſe* abſolute neceſſaria, *ſimulque* libera libertate à coactione. Quapropter

COROLLARIUM II.

18. *Ut actio naturæ rationalis vere ſit*, *recteque dicatur libera* libertate à neceſsitate, *ſatis non eſt oſtendere*, *eam eſſe liberam* libertate à coactione.

ANIMADVERSIO II.

19. Quod libere fit libertate à coactione, *ſpontaneum*, & *voluntarium* dicitur. Definitur quippe *ſpontaneum*, & *voluntarium*, generatim ſumtum, id, *cujus prin-*

(7) Lib. *de Facultatibus animæ* cap. 33.
(8) Lib. 3. *Ethicæ* cap. 2.

Digitized by Google

principium, ut ait Ariſtoteles, *eſt in agente, ſciente ſingula, in quibus eſt actio* (9), nempe quod fit à principio intrinſeco cum cognitione finis. (10). Igitur

Corollarium I.

20. *Ad* ſpontaneum, *&* voluntarium, *ſi generatim ſumatur, non requiritur libertas electionis, ſed ea ſufficit, quæ à* coactione *nuncupatur*; ac proinde

Corollarium II.

21. Simplex *operandi* neceſsitas *minime impedit quominus* ſpontanea, *&* voluntaria, *abſolute loquendo, actio aliqua dici poſſit*.

Scholion.

22. Id adeo verum eſt, ut *voluntarium* generatim ſumtum in *neceſſarium*, & *contingens*, Theologorum omnium conſenſu, dividatur.

Corollarium III.

23. *Licet omne, quod ex* electione *fit, ſit* voluntarium; *non tamen viciſſim omne, quod* voluntarie *fit, ex* electione *efficitur*. Poteſt enim aliquid fieri *voluntarie*, tametſi *neceſſaria* neceſsitate ſimplici peragatur.

SCHO-

(9) Lib. 3. *Ethicæ* cap. 1.
(10) Videatur S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 1. & 2.

Digitized by Google

SCHOLION.

24. Merito propterea optimoque jure propſcripta fuit illa Baii propoſitio, quæ eſt 39. in ordine: *omne, quod* voluntarie *ſit, etiamſi* neceſsitate *fiat*, libere *tamen fit*; ſicuti etiam illa, nempe 66. *ſola violentia repugnat libertati hominis naturali*.

COROLLARIUM IV.

25. *Ut actio naturæ rationalis evincatur libera* libertate electionis, *ſive* à neceſsitate ſimplici, *demonſtrare nequaquam ſufficit, eam* ſpontaneam *eſſe, &* voluntariam, *nempe à voluntate procedere cum cognitione finis*.

ANIMADVERSIO III.

26. Maxima attentione cavendum eſt, ne *voluntarii* vocabulo decipiamur. Ut enim Gaſſendus quoque advertit, *magni quidem Viri non deſunt, qui exiſtiment, voluntatem tum maxime* liberam *eſſe, cum ita ad unum eſt determinata, velut ſi id ſummum bonum ſit, ut deflecti ad aliud, hoc eſt ad malum, non valeat; quippe quod dilectio, proſequutio, fruitio ejuſmodi boni ſit* ſumme voluntaria, *ac idcirco* ſumme libera *dicenda. Verumtamen neſcio*, pergit Vir doctiſsimus, *an ſatis advertant, quod diſcrimen inter ſpontaneam, liberamque actionem eſt, dum, quia utraque* voluntaria *dicitur, idcirco utramque eſſe eandem contendunt. Videlicet* actio ſpontanea *tametſi interdum dicatur generalius, &* libe-

ram

ram *quoque ipſam complectatur*, *ſpeciatim tamen*, *&* *quatenus diſtincte ab ea uſurpatur*, *nihil aliud eſt*, *quam quædam veluti naturæ impulſio*, *quæ ideo eſſe citra omnem ratiocinationem poteſt*, *cum actio*, *quæ* libera *eſt*, *à prævio ratiocinio*, *examineve*, *&* *judicio*, *ac delectu pendeat*. Tum paulo infra, *ſi ſupponas*, inquit, *voluntatem ita ad bonum aliquod*, *ſummum puta*, *determinari*, *ut diverti ad aliud*, *quod*, *illo relicto*, *proſequatur*, *non poſſit*, *tunc cenſenda eſt voluntas* ſponte *quidem ad illud ferri*, *quod ſit ipſi maxime ſecundum naturam*, *ut proſequatur maxime id*, *quod bonorum eſt maximum* (*non proſequeretur autem maxime*, *ſi dimoveretur ad proſequendum minus*), *at non tamen* libere *ferri*, *quoniam indifferens ad illud*, *&* *ad aliud bonum non eſt*, *ſive in illius poteſtate non eſt*, *ut*, *ipſo relicto*, *feratur ad aliud. Neque obſtat*, ait ille, *quod feratur volens*; *quandoquidem iſta*, *ut ſic loquar*, *volentia non* libertatem *ſonat*, *ſed* libentiam, *hoc eſt*, complacentiam, *ſeu* collubeſcentiam, excluſionemque *adeo* coactionis, violentiæ, renitentiæ, moleſtiæ; *&* *ex eo quod talis boni dilectio*, *proſequutio*, *fruitio* voluntaria *dicitur*, *non ideo inferendum eſt*, *eſſe illam* ſumme liberam, *ſed ſolum eſſe* ſumme, *ut ita loquar*, libitam, *ſeu mavis*, libentem, *nempe* quod *poſſit* libentia *quidem*, *at non* libertas *tamen*, *ſeu* indifferentia *eſſe* (11). Hæc ille, & optime quidem ad rem noſtram. Vix quippe, ſed ne vix quidem dici poteſt, quantum interſit hoc præſertim ævo, *voluntarium*, & *ſpontaneum*, ſive non coactum à *libero* libertate *electionis*, *indifferentiæ*, & *exercitii*, ſive à *ſimplici neceſſitate* probe diſtinguere.

(11) Lib. 3. *Ethicæ* cap. 1.

ANIMADVERSIO IV.

27 Animadvertendum poſtremo eſt, *libertatem à coactione* ſumi in ſequentibus, prout diſtinguitur à *libertate electionis*, ipſamque excludit, nimirum prout ſtat cum *neceſſitate ſimplici*, ſive cum indeclinabili determinatione agentis ad unum; ut proinde cum dicitur, agens libere agere *libertate à coactione*, ſenſus ſit, ipſum agere quidem ex prævio judicio rationis, delectabiliter, & cum complacentia, verum ſimul adeo *neceſſario*, ut ipſum non operari tunc minime poſsit. Ita enim ſumitur *libertas à coactione* ab iis omnibus, qui ajunt, in illa una poſitum modo eſſe *liberum* humanæ voluntatis *arbitrium*, eaque tantum nos modo, tàm quod juſtum, quàm quod injuſtum eſt, libere operari.

DEFINITIO XIV.

28. Gratia alia *actualis*, alia *habitualis* eſt. Prima dicitur illa, *quæ inſtar* tranſeuntis qualitatis *voluntatem afficit*, *ipſamque ad bene operandum movet*, & *ita operantem adjuvat*, *ut ſimul cum illa bonum operetur*. Altera vero ea vocatur, *quæ inſtar* qualitatis permanentis *animam exornat*, *Deoque gratam efficit*. Porro *gratia actualis* dupliciter ſpectari poteſt, nimirum primo penes *potentiam* bene operandi, quam confert voluntati; ſecundo penes *actum*, qui per ipſam gratiam à voluntate elicitur. Primo modo ſpectata gratia, *ſufficiens* dicitur, vel *inſufficiens*. Secundo modo conſiderata, *efficax*, vel *inefficax* nuncupatur.

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XV.

29. *Gratiam ſufficientem* voco, *per quam ita poſſibile redditur voluntati operari bonum, ut ipſi voluntati juſtiſsime imputabile ad culpam ſit, ſi bonum non operetur.* Notionem hanc *gratiæ ſufficientis* à nullo Catholicorum, cujuſque demum Scholæ ille fuerit, rejici poſſe, certiſsimum arbitrer. Quomodo enim *ſufficiens* dici vere poteſt gratia, ſi per eam non ita poſſibile ſit voluntati bene agere, ut eidem imputari ad culpam juſtiſsime poſsit, quod bene non operetur? Nonne etiam Thomiſtæ, doctiſsimo Graveſonio teſte (12), palam aperteque docent, *gratiam ſufficientem* conferre *homini in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto* veram, plenam, completam, proximam, & expeditam *obſervandi mandata Dei poteſtatem*? Si autem *gratia ſufficiens*, etiam ſenſu Thomiſtico intellecta, confert ejuſmodi potentiam voluntati, quis non videt, etiam per *gratiam* Thomiſtice *ſufficientem* ita poſsibile reddi voluntati opus bonum, ut ipſius voluntatis ſit culpa, ſi opus illud ipſa tunc non operetur? Manet igitur, *gratiam* catholice *ſufficientem* eam eſſe, per quam ita poſſibile ſit voluntati bene agere, ut ipſi voluntati ad culpam imputabile juſtiſsime ſit, ſi illud non operetur.

ANIMADVERSIO I.

30. Quemadmodum dupliciter poteſt aliquod nobis eſſe

(12) Claſ. 2. *Epiſtolarum Theologic.* Epiſt. 3. pag. mihi 67.

Digitized by Google

eſſe poſsibile, *phyſice* nimirum, & *moraliter*; ita dupliciter, nempe *phyſice*, & *moraliter*, poteſt gratia dici, & eſſe *ſufficiens*. Erit *phyſice ſufficiens*; ſi *phyſice poſsibile* per eam fuerit voluntati, ut operetur bonum. Erit vero *ſufficiens moraliter*, ſi fuerit *moraliter poſsibile*, hoc eſt, ſi non tantum *abſolute poſsibile*, verum etiam *facile* per eam fuerit voluntati, ut quod volendum, agendumque ab ea eſt, velit ipſa, & operetur.

ANIMADVERSIO II.

31. Si fuerit *immediate poſsibile*, ut per receptam gratiam agat voluntas, quod ab ea agendum eſt, gratia dicitur *proxime ſufficiens*: dicitur vero *ſufficiens* tantum *remote*, ſi nonniſi *mediate poſsibile* fuerit, ut voluntas per illam bonum operetur. *Poſsibile* porro *immediate* eſt, ut per receptam gratiam bene agat voluntas, cum alia gratia voluntas ipſa non indiget, ut ſat virium habeat ad id implendum, quod eidem præcipitur. Eſt vero *poſsibile* tantum *mediate*, cum per illam gratiam non habet voluntas ſat virium ad implendum præceptum, ſed tantum, ut eam gratiam à Deo obtineat, per quam præceptum illud implere ipſa poſsit. Sic gratia orationis dicitur non *proxime*, ſed tantum *remote ſufficiens* ad quamcumque tentationem ſuperandam; quia non *immediate*, ſed *mediate* dumtaxat *poſsibile* per eam eſt voluntati, ut tentationem vincat, quatenus ſcilicet ſat per eam illa habet virium, ut eam gratiam, qua tentationem ſuperet, à Deo ipſa obtineat.

DE-

Digitized by Google

DEFINITIO XVI.

32. Contra vero *inſufficientem gratiam* voco illam, *per quam ita poſſibile non ſit voluntati operari bonum, ut jure ipſi voluntati imputari ad culpam poſſit, quod nolit, quod volendum ab ea eſt, quodque ab illa eſt agendum, non operetur.* Contraria enim contrariis rationibus ſunt explicanda.

ANIMADVERSIO.

33. Si *impoſſibilitas* bene operandi, quam habet voluntas, obtenta gratia, fuerit *vera*, *realis*, & *phyſica*, gratia illa dicitur *phyſice inſufficiens*. Dicitur vero *inſufficiens* tantum *moraliter*, ſi illa *impoſſibilitas* fuerit *moralis*, nempe ſi non *abſolute impoſſibile*, ſed valde *difficile* dumtaxat fuerit voluntati, ut per illam gratiam bonum operetur. Hinc

COROLLARIUM.

34. *Eadem gratia poteſt eſſe* phyſice ſufficiens, *ſimulque* inſufficiens moraliter *ad bonum aliquod operandum*. Poteſt enim eſſe *phyſice poſſibile*, & ſimul valde *difficile*, ut per certam gratiam voluntas bene operetur.

DEFINITIO XVII.

35. *Gratia efficax* dicitur illa, *per quam voluntas non ſolum poteſt, verum etiam reapſe, quod volendum,*

Digitized by Google

agendumque ab ea eſt bonum, vult, & operatur. Contra vero

DEFINITIO XVIII.

36. Illa gratia *inefficax* vocatur, *per quam movetur quidem, excitaturque voluntas ad operandum bonum, verum vel illud reapſe non vult, vel non ita vult, ut illud ipſa operetur.* Certo ſiquidem à nobis fieri, quod *efficaciter* volumus; non fieri, quod non volumus, niſi *inefficaciter*, neminem eſſe puto, quem lateat. Itaque

COROLLARIUM I.

37. *Omnis gratia* efficax *eſt* ſufficiens; *ſed non viciſſim omnis gratia* ſufficiens *eſt* efficax. Valet enim illatio, ut eſt omnibus notum, ab *actu* ad *potentiam*; minime vero à *potentia* ad *actum*.

ANIMADVERSIO.

38. *Mere ſufficiens* dicitur gratia, per quam homo poteſt operari bonum, ſed illud non operatur.

COROLLARIUM II.

39. *Inefficax poteſt eſſe gratia, quin ſit ſufficiens.* Certum eſt enim, eam gratiam vere eſſe, recteque dici poſſe *inefficacem*, per quam nec *mediate*, nec *immediate* poſſibile *phyſice* ſit voluntati, ut bene operetur, quamvis alioquin & ipſa ſit hujuſmodi, ut voluntatem ipſam ad bonum excitet. Propterea

Co-

Digitized by Google

COROLLARIUM III.

40. *Licet omnis gratia pure ſufficiens ſit* inefficax, *non idcirco omnis gratia inefficax* phyſice ſufficiens *cenſenda eſt*; & ideo

COROLLARIUM IV.

41. Ad *demonſtrandam exiſtentiam* gratiæ pure ſufficientis *minime ſufficit*, *ut dari* gratiam inefficacem, *oſtendatur*.

PRINCIPIUM I. FUNDAMENTALE.

SYSTEMATIS

JANSENIANI.

Nihil velle, nihilque agere ſecundum Janſenium modo poſſumus ſive boni, ſive mali, niſi voluntas noſtra prævia aliqua delectatione ad illud volendum, faciendumque excitetur & moveatur.

42. Nihil enim ille ſæpius repetit, inculcatque frequentius, quam *neminem amplecti aliquid*, *quod eum non delectat*, *& voluntatem ipſam*, *niſi aliquid occurrerit*, *quod delectet atque invitet animum*, *moveri nullo pacto poſſe* (13). *Quod enim*, inquit, *volumus aliquid*, *ex delectatione naſcitur*, *& quod vehementius vo-*

(13) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 8. Vide eundem ibidem cap. 7.

volumus ; ex ardentiore delectatione. Tanto enim quidque vehementius volumus , quanto certius , quod bonum ſit , novimus , eoque delectamur ardentius. Si autem nulla delectatione tangit animum , etiamſi hoc bonum eſſe noverit , nulla etiam ratione hoc ipſum volet (14). Et alibi, *quod voluntatem* , inquit , *ad velle, vel nolle provocat , & avocat , itemque potentem , & infirmam facit..... eſt delectabilis quædam arriſio , ſeu complacentia objecti , quæ motus omnes voluntatis antegreditur , & viam parat , ſine qua omnino velle non poteſt* (15). Neque dubitandum , quominus de omni prorſus humana actione , tàm *bona* ſcilicet, quàm *mala* , id ille intelligat. Ait quippe , delectationem *univerſos humanæ voluntatis motus tangere* (16) , ſive *reſpectu cujuslibet operationis locum habere* , quod *voluntas ſine delectatione velle , aut moveri nullo pacto poſſit* (17) , ac demum *delectationem , qua ad conſentiendum , faciendumque aliquid ſollicitamur reperiri non tantum ad opera bona , ſed etiam ad mala* (18). Certo certius itaque eſt , nihil ſecundum Janſenium nos velle modo poſſe, nihilque modo poſſe agere ſive boni , ſive mali , niſi voluntas noſtra prævia aliqua delectatione moveatur , atque ad illud volendum, agendumque excitetur.

PRIN-

(14) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 3.
(15) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 5.
(16) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.
(17) Ibidem.
(18) Ibidem cap. 11.

Digitized by Google

PRINCIPIUM II. FUNDAMENTALE.

SYSTEMATIS

JANSENIANI.

Duplex eſt delectatio, quæ modo ad volendum, & operandum nos movet, terrena, & cœleſtis. Prima ſollicitatur voluntas noſtra ad volendum, quod malum, ſive injuſtum eſt. Secunda excitatur eadem ipſa ad volendum, quod eſt bonum, ſive juſtum.

43. Docet enim Janſenius, *quamdiu in hac vita mortali vivimus, eſſe in homine luctam quandam duarum delectationum*, noxiæ, *&* beneficæ, terrenæ, *atque* cœleſtis, *quarum utralibet vicerit, animum ſecum conſentientem ac pronum trahit* (19). Alibi quoque idipſum repetens, ait, *pugnam iſtam exerceri, quatenus delectationes duæ* carnis, *&* ſpiritus *inter ſe decertant, utram utra ſuperatura, & animi conſenſum poſt ſe tractura ſit* (20). Tum paulo poſt, *delectationes*, inquit, *carnis, & ſpiritus, quas Auguſtinus inter ſe pugnantes prædicat, ut animum in conſenſionem trahant, non ſunt aliud, niſi duæ iſtæ concupiſcentiæ, ac deſideria carnis, & ſpiritus* (21). Illius proinde judicio, conſtantique ſententia, *voluntas nunc* recte, *nunc* perperam *facit*, *prout* cœli, *aut* terræ

(19) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 4.
(20) Ibidem cap. 11.
(21) Ibidem.
(22) Ibidem cap. 9.

Digitized by Google

ræ delectatio *conſenſum ejus abripuerit* (22). Terrena ſiquidem delectatio cauſa eſt, ipſo docente, *cur ab Adami poſteris juſtitia deſeratur*, ac *deſerendo peccetur* (23), nempe *nullum peccatum fieri* ait *ab hominibus*, *quin voluntas*, *quamvis per ſeipſam ad peccandum prompta ſit*, *quadam delectatione prius titillante & provitante provocetur*, *ut ita quodam quaſi diaboli adjutorio impulſa ad ruinam pertrahatur* (24). Hinc viciſsim fit, eodem teſte, ut neceſſaria ſit contraria delectatio, nempe delectatio cœleſtis, *qua tamquam contraria morbo*, *quo* (voluntas) *affligitur*, *extorqueatur conſenſus ejus delectationi repugnanti*, *& retorqueatur ſurſum*, *ut ſic blandienti delectantique ſpiritui affixus*, *& quaſi ſuſpenſus ex Deo*, *non amplius in veterem libidinis ſervitutem detrahatur* (25). Certe, ut idem ipſe antea dixerat, *cum peccatum*, *& recte factum omnino contraria ſint*, *hoc ipſo quod docet* (Auguſtinus) *ita peccata perpetrari*, *ut voluntas terrena quadam delectatione præcedente præparetur*, *& impellatur*, *Lectoribus intelligendum relinquit id*, *quod toties de cœleſti delectatione atque ſuavitate ad juſtitiam operandam conferente tradit*, *ex generaliori quadam & arcana ratione ad voluntatem tam ſublimibus operibus præparandam multo magis eſſe neceſſarium*, *ut eo tamquam adjutorio S. Spiritus adjuta*, *& elevata*, *& concupiſcentiarum ſuarum viſco expedita*, *in operationes cœlo dignas prorumpere & evolare poſſit* (26). Duæ itaque ſecundum Janſenium ſunt delectatio-

(23) Ibidem cap. 3.
(24) Ibidem.
(25) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 9.
(26) Ibidem cap. 3.

Digitized by Google

tiones, quibus voluntas noſtra ad operandum movetur, *cœleſtis* nimirum, & *terrena*. Prima excitatur voluntas ad operandum, quod juſtum eſt; ſecunda ad operandum, quod eſt injuſtum. Verum enimvero

ANIMADVERSIO I.

44. Conſiderandum attente eſt, animoque alte infigendum, utramque hanc delectationem ſecundum Janſenium eſſe *indeliberatam*, hoc eſt, rationis advertentiam anteverte, omnemque præcedere conſenſum liberum voluntatis. Inquit enim Janſenius: *Delectatio iſta*, nempe cœleſtis, *quam ad omnia opera bona S.* Auguſtinus *exercenda poſtulat, non eſt aliud, quam actus quidam* indeliberatus, *cœlitus immiſſus in voluntatem, per quem ei bonum propoſitum vel ſuaviter tantum placet* (*qui actus ſubinde* ſimplex voluntas *dicitur, aut etiam* complacentia; *aut* amor voluntatis, *reſpondens paſſioni* amoris ſenſitivi) *vel etiam in bonum appetendum commovetur* (27). Tum paulo poſt, *dicimus*, inquit, *delectationem iſtam, ſeu ſuavitatem in Auguſtino celebrem, eſſe partim primum illum, &* indeliberatum *affectum animæ, qui* actualis complacentia *eſt; partim etiam, & crebro ſecundum, qui* deſiderium indeliberatum *dicitur, quibus anima ita ſuaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero* (libertate à coactione) *conſentiat, ac bonum diligat, tanto vehementius, quanto fortius illis actibus rapitur* (28). Demum pluribus præmiſſis, conſtare ait, *delectationem illam cœleſtem,*

B 4 *qua*

(27) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 11.
(28) Ibidem.

qua carnis deſideria ſpiritui rebellantia coercentur, non eſſe aliud, niſi amorem, *vel* deſiderium *à Spiritu Sancto inſpiratum, quo mens hominis* improviſe, *&* indeliberate, *ac delectabiliter tangitur, & ſuaviter affigitur legi Dei*. (29) Alibi quoque, poſtquam dixit, *neminem poſſe amplecti aliquid, quod eum non delectet,* addit, *delectationem* (qua movemur ad volendum bonum) *non eſſe in hominis poteſtate*; ſed *inſpirari gratia Dei, non nutu noſtro, aut operum merito comparari* (30). Hactenus de delectatione *cæleſti*. Ad *terrenam* vero quod ſpectat, ait Janſenius: *Delectatio, ex qua peccata profluunt, non eſt illa proprie dicta delectatio, quæ eſt tertius actus animæ, & tamquam quies deſiderii, etiam* gaudium *appellari ſolet, ſed eſt vel ipſe primus concupiſcentiæ motus, quo bono terreno quaſi coaptatur animus, vel deſiderium* indeliberatum, *quo urgetur ad malum* (31). Infra vero manifeſtum eſſe ait, *delectationem, quæ conſenſum in peccata præcedit, & ſuggeſtionem ſequitur, non eſſe aliud, niſi deſiderium illicitum* indeliberatum, *quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat, vel certe primum ipſum concupiſcentiæ motum, tamquam amorem quemdam* indeliberatum, *per quem homini etiam invito peccare lubet, quamvis conſenſio non ſequatur* (32). Docet tandem univerſaliter alio loco, id, *quod voluntatem ad* velle, *vel* nolle *provocat......... eſſe delectabilem quandam arriſionem, ſeu complacentiam objecti, quæ motus omnes voluntatis antegreditur, & viam parat,* *ſine*

(29) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 11.
(30) Ibidem cap. 7.
(31) Ibidem.
(32) Ibidem.

Digitized by Google

ſine qua omnino velle non poteſt (33). Dubium non eſt autem, quominus de motibus liberis, ſive deliberatis voluntatis id Janſenius intelligat. Ergo ſi delectabilis illa arriſio, ſeu complacentia objecti, ſine qua voluntas ſecundum Janſenium nihil omnino velle poteſt, motus omnes ipſius voluntatis antegreditur, *indeliberatam* ipſam eſſe, conſectarium eſt; adeoque &c.

SCHOLION.

45. Ita porro de natura delectationis, qua ſecundum Janſenium humana voluntas ad volendum movetur, Janſenium ipſum ſentire, fatentur omnes, qui illius ſyſtema *de medicinali gratia Chriſti* expoſuerunt. Conſulat, ſi quis dubitet, P. Dechamps lib. 3. *de Hæreſi Janſeniana* diſp. 3. cap. 6. n. 3. Diroyſium diſſert. *de juſta quinque prop. condemnatione* cap. 1. Leſcium Crondermum *elucid. doctrinæ Auguſtin. de Gratia* lib. 1. cap. 4. 7. & 8. P. Graveſonium in ſuis *Epiſtolis Theologico-Polemicis*, Archiepiſcopum Viennenſem tum in ſuo *Janſeniſmo redivivo* P. 1. art. 1. tum in *Documento Paſtorali* P. 2. art. 1. §. 3. ac demum P. Berti tom. 3. de *Theolog. Diſciplinis*, & P. 2. ſuæ *Apologiæ*.

COROLLARIUM I.

46. Hæc igitur cum ita ſint perſpicuum remanet, *quidquid modo agimus, neceſſario ſecundum Janſenium ex terrena, vel cœleſti indeliberata delectatione proficiſci*. Falſum enim eſſet, ſi ſecus, humanam volun-

ta-

(33) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.

Digitized by Google

tatem, niſi aliquid occurrat, quod ipſam *indeliberatè* delectet, moveri, utique ad operandum, nullo pacto poſſe. Propterea

COROLLARIUM II.

47. *Agimus moti à terrena indeliberata delectatione, quidquid à delectatione* cœleſti *minime excitati operamur.*

SCHOLION.

48. Oriri ex terrena *indeliberata* delectatione voluntatem noſtram moventem, quidquid agimus ipſi, minime moti à delectatione cœleſti, certum adeo Janſenio eſt, ut nihil magis. Ait quippe, terrenam carnalis cupiditatis delectationem ita humanæ voluntati dominari, *ut quocumque illa ſe vertat, quidquid declinet, quoſcumque vultus, ac formas induat, quantumcumque ſe viribus ſurſum tollere, quibuſcumque bene vivendi ſtimulis incitari videatur, non poſſit ab illa ſe viſcoſa catena expedire, niſi prius caliginem ejus lux cœleſtis* (nempe cœleſtis delectatio) *effugaverit, & illos terrenæ cupiditatis compedes fregerit* : quod, inquit ille, *quamdiu non fit, in tenebris, hoc eſt, in peccatis jacet, tenebras diligit, in agendo, & ceſſando ſectatur. Quidquid enim dilexerit, creaturæ limites non egreditur, & ita perpetuam terrenæ concupiſcentiæ catenam trahit, cujus vinculis, & ſervitute detinetur* (34). Etenim, ut alio habet loco, in eo ſita eſt captivitas arbitrii, orta ex Adæ culpa, *quod voluntas concu-*

(34) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 3.

Digitized by Google

cupiſcentiæ terrenæ viſco intime penetrata, ſemper & in omni actu motibus ejus feratur, ac referatur; imperio ejus, & ponderi indeſinenter inſerviens; eodem plane modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omnino motibus ſervit divinæ charitati (35). Contendit propterea, niſi Deus cœleſti delectatione voluntatem deliniverit, voluntatem ipſam *nunquam poſſe præcepti juſtitiam*, nempe quod bonum eſt, *implere, vel velle, ſed ſi quos actus circa præceptum exercere videatur, nonniſi in terrenarum concupiſcentiarum, ac delectationum, vel proprii faſtus fructum terminabuntur. Cœleſtis enim illa ſuavitas mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum viſco emergere poſsit, & ſe ipſam in juſtitiam diligendam figere. Ex quo conſequenter fit*, concludit Janſenius, *ut ſi illa*, nempe cœleſtis delectatio, *deſit, voluntas velut torpens ac mortua, nihil omnino boni amplecti poſsit, quemadmodum etiam è contrario nihil in carnalibus diligendis proſequi poteſt, niſi quod eam ante delectaverit* (36). Ea igitur modo eſt, ſecundum Janſenium, conditio humanæ voluntatis, ut agat mota à terrena indeliberata carnalis cupiditatis delectatione, quidquid à delectatione cœleſti minime excitata operatur.

ANIMADVERSIO II.

49. Neceſsitatem *cœleſtis delectationis* in voluntate, ut quod juſtum eſt, operetur, oriri ait Janſenius non ex natura ipſius voluntatis, ſed ex ejuſdem culpa, quatenus nempe factum eſt, originalis peccati cau-

(35) Lib. 1. *de Gratia Chriſti* cap. 4.
(36) Lib. 4. *Ejuſdem* cap. 7.

cauſa, ut carnalis cupiditatis delectatione indefinenter, imò & *inſuperabiliter*, ut ipſe ait, ad malum modo excitetur, & in illud trahatur. *Impoſſibile* quippe *eſſe* docet, *illam eſſe naturam voluntatis, ut voluntas antequam in aliquem liberum erumpere poſſit motum, aliqua involuntaria objecti defectibilis delectatione, ſeu complacentia neceſſario provocetur, & præparetur, ſic enim neceſſe fuiſſet*, inquit ille, *etiam ante primum peccatum hujuſmodi mali complacentiam, ſeu delectationem, ſeu titillationem debuiſſe præcedere* (37); cum tamen certum ſit, eundem ſi audiamus, ***nullam** hujuſmodi non liberam, ſeu involuntariam delectationem, ſeu complacentiam, ſeu quocumque nomine motum illum indeliberatum voluntatis nomines*, primum Adæ peccatum, *præceſſiſſe* (38); ſed, ut ipſe quoque ait, *delectatio prima ſecuta eſt perverſam voluntatem, non voluntas delectationem* (39). Sicuti ergo, inquit ille, *per peccatum primi hominis in libidinum imperium voluntas præcipitata eſt, ex quibus ſit, ut in omnibus actionibus delectatione quadam libidinoſa præeunte ac titillante provocetur, cui conſentiendo peccat* (40), ita neceſſariam eſſe, contendit, cœleſtem delectationem, *qua tamquam directe contraria morbo, quo affligitur, extorqueatur conſenſus ejus delectationi repugnanti, & retorqueatur ſurſum*, ſive *qua ſublevatus animus vel fortiter velle poſſit, quod jam tenuiter vult, vel etiam velle*, ſcilicet bonum, *quod non vult* (41). *Cæ-*

(37) Lib. 2. *de Statu naturæ lapſæ* cap. 25.
(38) Ibidem.
(39) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 9.
(40) Ibidem.

(41). *Cæleſtis enim illa ſuavitas mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum viſco emergere poſſit, & ſe ipſam in juſtitiam diligendam figere* (42), efficit nempe cœleſtis delectatio, ut voluntas, *quæ ante propter dominantem ſibi libidinem, terrenamque delectationem, à qua conſenſus ejus captivus tenebatur, non poterat niſi malum agere ad quod ſolum libertas ejus expedita ferebatur, nunc liberata per oppoſitam cœli ſuavitatem, etiam diligere & agere poſſit bonum* (43). Itaque ſecundum Janſenium *neceſſitas delectationis cœleſtis ad bene volendum & operandum, non ex natura voluntatis, ſed ex ejus pœna proficiſcitur* (44).

PRINCIPIUM III. FUNDAMENTALE.

SYSTEMATIS

JANSENIANI.

In duarum oppoſitarum, terrenæ ſcilicet, & cœleſtis, delectationum conflictu, ſi gradibus inæquales fuerint, voluntas illi neceſſario obſequitur, & ſecundum illam neceſſario operatur, quæ alteram intenſive ſuperat; ſi vero fuerint æquales, neutri obſequitur voluntas; nihilque operatur, ſed veluti in medio hæret ſuſpenſa, penituſque otioſa conſiſtit.

Duas,

(41) Ibidem.
(42) Ibidem cap. 7.
(43) Ibidem.
(44) Ibidem cap. 9.
Ibidem in titulo.

Digitized by Google

Duas, ut patet, hoc principium habet partes, quæ cum maximi momenti ſint, ſingulatim ſunt demonſtrandæ.

I.

50. Fore itaque primo ſecundum Janſenium, ut in duarum inæqualium delectationum conflictu voluntas noſtra ſecundum vividiorem fortioremque neceſſario operetur, eique neceſſario obſequatur, multiplici ipſiuſmet Janſenii teſtimonio oſtenditur. Perſuaſum namque in primis habens ille, de *indeliberata delectatione* loqui S. Auguſtinum, dum ſcripſit: Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt (45), locum hunc vocat *clariſſimum*, & *præclariſſimum*, planeque dignum, qui *aureis characteribus* ſcribatur, quod nempe ex illo uno, ejus judicio, *pleniſſime* capiatur S. Auguſtini mens, illudque tanti Doctoris *maniſeſtiſſima*, & *reſolutiſſima* auctoritate definiatur, quod ipſe *filo verborum perſpicuorum* ejuſdem ductus, *tamquam ab eo exiſtimatum*, & *traditum*, ratiocinando collegerat, videlicet *niſi cœleſtis delectatio major fuerit, quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſe, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam ſane*, inquit ille, *delectatione minore ſuperabitur, ſed eam ſequetur animus, quæ magis eum afficiendo ſuavitate detinuerit* (46); ut proinde *ad opus juſtitiæ, qualecumque faciendum neceſſarium ſit, ut ex majore juſtitiæ delectatione naſcatur* (47). Docet ſecundo Janſenius,

(45) Comment. in Epiſt. *ad Galatas* n. 49.
(46) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(47) Ibidem.

Digitized by Google

nius ; *juxta S. Auguſtini mentem conſtantiſsimam, & ſæpe declaratam, idcirco in iſta cum tentationibus dimicatione magnam, adeoque* majorem, *ac* victricem *delectationem cœleſtem eſſe neceſſariam, ut delectatio terrena ſuperetur, quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſeu, ut Schola loquitur, tam intenſe ac fortiter velle non poteſt, quantum neceſſe eſt, ut tentatio, ſeu delectatio oppoſita ſuperetur* (48). Tertio poſtquam ſemel atque iterum dixit Janſenius, *neminem animo amplecti aliquid, quod eum non delectat, & niſi delectet, voluntatem moveri nullo pacto poſſe*, ait, oriri ex hac radice, *ut in conflictu delectationum non aliud animo amplecti, nec ad aliud amandum ſequendumque moveri* (voluntas) *poſsit, niſi quod vehementius delectaverit* (49). *Nimirum quia id quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus ac diligamus neceſſe eſt. Tanto enim*, inquit ille, *quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius, quod autem magis volumus ac diligimus, ſecundum id operemur neceſſe eſt* (50). Addit porro *etiam in peccatis eandem neceſsitatem delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad ſuperandam oppoſitam delectationem reperiri* (51). Demum, ut alia propemodum innumera id genus loca prætеream, *quia*, inquit Janſenius, *quamdiu in hac vita vivimus, terrenis delectationibus undique titillantibus ad dilectionem creaturarum à dilectione creatoris avocamur (quod proprie omnium tentationum ſive blandientium,*

(48) Ibidem cap. 7.
(49) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.
(50) Ibidem.
(51) Ibidem.

tium , ſive ſævientium eſt munus) *hinc ille conflictus delectationum , qui ſopiri non poteſt , niſi altera alteram delectando ſuperaverit , & eo totum animi pondus vergat*. Quod enim amplius delectat , ſecundum id operemur neceſſe eſt (52). Nihil itaque certius , nihilque ſolemnius Janſenio eſt , quam humanam voluntatem poſt Adæ lapſum ſecundum id neceſſario operari , illudque neceſſario ſequi , quod ipſam amplius indeliberate delectat , adeo nimirum ut , quemadmodum ipſe ait , *nunc recte , nunc perperam faciat , prout cæli , aut terræ delectatio conſenſum ejus obripuerit* (53)

II.

51. Futurum autem , Janſenii quoque judicio , ut otioſa veluti in medio ſuſpenſa , hæreat voluntas , ſi indeliberatæ delectationes , quibus in contrarias partes ſimul trahitur , fuerint vi , & *energia* æquales , hoc uno quidem , ſed luculentiſsimo ejuſdem teſtimonio demonſtratur. Niſi enim , inquit ille , cœleſtis delectatio *tanta fuerit , ut ei delectationes rerum terrenarum ceſſerint , vel peccabitur* (ſi nempe illa hiſce fuerit minor , nempe remiſsior) *vel alternante delectationum* (utique vi æqualium) *fluctu , in medio remanebitur*, nihil ſcilicet voluntas operabitur. *Quod enim amplius nos delectat , ſecundum id operemur neceſſe eſt* (54). Itaque Janſenium ſi audiamus

Co-

(52) Ibidem cap. 9.
(53) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 9.
(54) Ibidem cap. 10.

Digitized by Google

COROLLARIUM I.

52. *Duæ delectationes*, quemadmodum rem hanc egregie æque ac veriſsime explicat P. Simonnet, *ſe habent inſtar* duorum ponderum, *voluntas vero inſtar* libræ *duas habentis lances*, *quarum uni ſemper ineſt pondus ſuum*, *nempe* terrena delectatio, *à qua proinde tamdiu voluntas ad res terrenas depreſſa inſuperabiliter tenetur*, *quamdiu alteri lanci non advenit pondus alterum aut* majus, *aut ſaltem* æquale. *Si advenit* æquale, *libra*, *ſeu voluntas reddit æquilibrium*, *& in æquilibrio inſuperabiliter manet*, *quamdiu lancibus incumbunt æqualia pondera*. *Si advenit* majus, *libra*, *ſeu voluntas in aliam partem inſuperabiliter inclinatur verſus ſpiritualia*, *& cæleſtia*. *Quod ſi advenit* minus, *inſufficienti*, *adeoque irrito conatu*, *tentat in ſuam partem inclinare libram*, *ſeu voluntatem*, *quæ proinde in partem adverſam inclinata manet inſuperabiliter verſus terrena & turpia*, *donec minori ponderi addatur novum pondus*, *cujus additione potentius evadat adverſo pondere* (55).

SCHOLION.

53. Ne cui tamen ex Janſenii fautoribus nomen P. Simonnet bilem moveat (neminem quippe *congruiſtarum* æquo mitique animo ferre illi poſſunt), placet auctoritate doctiſsimi P. Graveſon id confirmare, quod modo ex illo retulimus. Ait ergo Vir revera eximius P. Graveſon: *Quemadmodum ſi in bilance duo*

 fue-

(55) Tom. 2. *Juſtit. Theol.* tract. 6. diſp. 3. art. 6.

fuerint pondera inæqualia, neceſſe prorſus eſt, eam bilancis partem deprimi, in qua majus eſt pondus, nec ullo pacto fieri poteſt, ut majus pondus à minori inclinetur, quandoquidem inter ea duo nulla eſt proportio, ita non abſimili ratione ſi indeliberata cœleſtis delectatio.....ſit major, ac ſuperior terrena delectatione concupiſcentiæ, tunc neceſſe erit juxta doctrinam Janſenii, ut voluntas hominis bene operetur. Sed ſi verſa vice indeliberata concupiſcentiæ delectatio.....ſuperior ſit, & major cœleſti delectatione, tunc juxta ejuſdem Janſenii doctrinam neceſſe prorſus erit, ut hominis voluntas male operetur (56). Velint itaque nolint Janſeniſtæ, eorumque fautores, fateantur oportet, vel egregie P. Simonnet, vel perperam etiam P. Graveſon, Vir ſcilicet è Thomiſtarum Schola doctiſsimus, memoratum Janſenii principium exemplo libræ, duas habentis lances, in quibus duo inæqualia pondera libere pendeant, expoſuiſſe.

COROLLARIUM II.

54. *Nihil* itaque *ſecundum Janſenium operabitur, neque operari poteſt homo ſive boni, ſive mali, niſi alterutra duarum illarum delectationum, quibus ejus voluntas ad operandum movetur, gradibus ſuis ſuperior altera fuerit.* Poſita enim æqualitate graduum in delectationibus, hæreat voluntas ex Janſenii ſententia neceſſe eſt, quemadmodum immota prorſus manet libra, ſi æqualia fuerint appenſa pondera, quibus ad motum determinatur.

ANI-

(56) Claſſ. 1. *Epiſtolarum Theolog.* Epiſt. 1. pag. mihi 14.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

55. Delectatio, tam cœleſtis, quam terrena, quæ animum ſecum conſentientem trahit, *victrix* dicitur. Secundum Janſenium delectatio non eſt *victrix* abſolute, nempe nulla habita ratione *graduum* carnalis delectationis, cum qua pugnat, & quam vincit, ſed eſt *victrix* tantum *relative*, videlicet nonniſi quatenus *gradibus* ſuis ſuperior eſt delectatione carnalis cupiditatis, qua tunc voluntas percellitur, atque ad malum ſollicitatur. Inquit enim Janſenius: *Delectatio victrix* relativa eſt. *Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat* (57), hoc eſt, quando contrariam delectationem *intenſive* excedit. Addit quippe, *quod ſi contingat, alteram*, nempe oppoſitam delectationem, *ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt* (58). Igitur ſecundum Janſenium

COROLLARIUM.

56. *Una eademque delectatio poteſt ſimul eſſe* victrix, *&* victa, *ſicuti etiam modo* victrix, *modo* victa. Contingere enim poteſt, ut delectatio, quæ ſuam contrariam in uno *intenſive* excedit, in altero ab illa *intenſive* deficiat, ſicuti etiam ut quæ modo *gradibus* ſuperior fortiorque eſt ſua oppoſita, fiat hæc eadem *gradibus* inferior, cum ſcilicet haudquaquam repugnet, ut illa *intenſive* augeatur, quin altera *intenſive* itidem creſcat. C 2 SCHO-

(57) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 2.
(58) Ibidem.

Digitized by Google

SCHOLION.

57. Id neceſſario dici oportere, Janſeniano duarum delectationum *relative* invincibilium admiſſo principio, apertiſsime docet Vvillelmus Vvendrokius, nempe Nicola, quem ſtare ad partes Janſenii, ſive melius unum eſſe ex Janſeniſtarum grege, ut eum appellat Cl. P. Graveſon (59), ignorat nemo. Ait enim: *Gratia* (videlicet delectatio cœleſtis) *quæ nunc* victrix *eſt, dum cum levi cupiditate pugnat, aucta cupiditate, & acrius inſlammata, poteſt etiam actu ſuperari. . . . . Quemadmodum cupiditas, quæ* victrix *erat, dum cum alia minore* (cœleſti delectatione) *certabat, ſi hæc invaluerit, & admotis propius incitamentis exarſerit, deſinit eſſe* victrix, *deſinit plenam elicere voluntatem; ſic item eadem illa gratia* (nempe delectatio cœleſtis), *quæ cum minore cupiditate pugnans*, victrix *dicebatur, ſi novus ingruat cupiditatis fluctus, actu ſuperatur. Ita fieri poteſt* (concludit ille) *ut qui levem tentationem ſuperat, a majore ſuperetur, etiamſi eadem utrobique gratia* (cœleſti ſcilicet delectatione) *polleat* (60); ac proinde ut una eademque delectatio modo *victrix* ſit, modo *victa*, prout nempe *gradibus* ſuis modo *ſuperior*, modo *inferior* eſt delectatione altera, cui in eadem voluntate adverſatur.

ANIMADVERSIO II.

58. *Neceſſitas*, qua voluntas ſecundum Janſenium vi-

(59) Claſſ. 2. Epiſt. 4. pag. mihi 89.
(60) Dialog. in Epiſt. 18. Montaltii.

Digitized by Google

vividiori delectationi obſequitur, non eſt *conſequens*, ſed *antecedens*. Ejuſmodi quippe illa eſt, ut ab impreſſione facta in voluntate, *antecedenter* ad quamcumque liberam ejuſdem determinationem, ipſa proveniat. Loquens enim Janſenius de cœleſti indeliberata *relative* victrice delectatione, qua voluntas ad bene operandum determinatur, ait, delectationem illam non expectare, ut voluntas ſibi conſentiat, ſed efficere, ut illa ſibi obſequatur, adeo nimirum ut ei non obſequi ipſa minime poſsit. *Non expectat*, inquit, illa delectatio, *ut voluntas ſecum influat.......ſed facit ſecum influere voluntatem, applicans eam ad volendum agendumque, quidquid per eam Deus volendum agendumque conſtituerit. Cum enim* (pergit Janſenius) *per terrenas cupiditates voluntas ad non volendum, imò ad repugnandum determinata ſit, tollit* (delectatio cœleſtis gradibus ſuperior) *iſtam depreſsionem, atque determinationem in contrarium, & reflectit eam in bonum, non ſolum ſi libero arbitrio hoc videatur, & velit, ſed ineffabili ſua luce atque ſuavitate faciendo, ut ſic ei videatur, & velit* (61). Addit, *impoſsibile eſſe*, ut delectatio cœleſtis *relative* victrix *non determinet, imò prædeterminet voluntatem, quia facit, ut velis, & ſine illa velle non poſsis; facit etiam, ut ardentius velis, & ſine illa ardentius velle non poſsis, facit denique, ut neceſſe ſit, animum iſtud ſequi, & ſecundum iſtud operari, quod amplius delectaverit* (62). Alibi quoque docet, vividiorem delectationem *extrahere voluntatem ab indifferentia agendi, eamque determinate facere agere, vel non agere, velle,*

(61) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 3.
(62) Loco citato.

velle, *vel non velle* (63). Igitur vel nulla in voluntate datur *neceſsitas* obſequendi vividiori delectationi, qua percellitur, vel ſi datur, quemadmodum Janſenius contendit, aperteque docet, non *conſequens* illa eſt, ſed *antecedens*, utpote ſcilicet a tali impreſsione proveniens, quæ antevertit ipſius voluntatis conſenſum, & a qua voluntas ipſa ad aſſenſum determinatur.

SCHOLION.

59. *Antecedentem eſſe neceſsitatem*, qua humana voluntas, Janſenii judicio, vividiori delectationi obſequitur, & ſecundum illam operatur; idque ideo quia illa delectatio, ſive impreſsio, in voluntate facta, a qua *neceſsitas* ipſa provenit, *indeliberata* eſt, tradunt quamplures Viri doctiſsimi. In primis namque perſuaſum habet Cl. Diroyſius, Janſenium *de indeliberatarum delectationum vi ad determinandam voluntatem, ut ſequatur propenſionem ab illis ſibi impreſſam, idem docere, quod olim docuerunt Aſtrologi de vi influentiarum; quod Phyſiognomici de temperamento corporis, quod tandem de neceſſitatibus, quibus voluntatem ſubdebant, omnes illi docuerunt, qui libertatem impugnaſſe accuſati ſunt* (64). Inter omnes ſiquidem convenit, eodem teſte, *voluntatem determinari ad electionem ſui finis aliqua impreſſione, quæ illius determinationem antecedat* (65). Certe, inquit idem Vir doctiſsimus, *ſi ſuavitatem, & delectationem iſtam* (indeliberatam ſcilicet

(63) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 14.
(64) Diſſert. *de juſta quinque propoſit. condemnat.* cap. 5. num. 1.
(65) Ibidem cap. 2. num. 5.

Digitized by Google

cet Janſenii) *ponamus loco influxus aſtrorum, loco temperamenti, fati, aliorumque ſimilium principiorum, quibus hæretici uſi ſunt ad liberum arbitrium deſtruendum, nulla ſane reperietur differentia (quoad voluntatis determinationem attinet, & ad reſiſtentiam, quæ ab eadem voluntate illi fieri poteſt in quovis ſtatu) inter illorum doctrinam, & Janſenii dogma, quantum ad eandem determinationem, & facultatem ei reſiſtendi in ſtatu naturæ corruptæ* (66). Jam vero certa omnibus, explorataque res eſt, non *conſequentem*, ſed *antecedentem* eſſe *neceſſitatem* illam, quam Aſtrologi, Phyſiognomici, Fataliſtæ, ceterique demum liberi arbitrii hoſtes imponebant voluntati obſequendi impreſſioni, à qua, ut illi falſo arbitrabantur, ad operandum determinabatur. Ergo *antecedens* quoque ex Diroyſii ſententia eſt *neceſſitas*, qua voluntas ſecundum Janſenium vividiori indeliberatæ delectationi obſequitur, & ſecundum illam operatur. Diroyſio palam aperteque hac ſuper re conſentiunt Leſcius Crondermus, & Ab. Migliavacca. Ille ſiquidem præmiſſo, *Janſenium docere, quod in ſtatu naturæ corruptæ concupiſcentia generaliter ſumta, ut eſt indeliberata delectatio mali .... hominum voluntatibus ante conſenſum earum dominatur, illaſque ineluctabiliter determinat ad electionem mali, ac ſemper in ea detinet, niſi major delectatio boni itidem indeliberata, eis infundatur*: hoc, inquam, præmiſſo, *quid*, ait ille, *de hujuſmodi ſententia ſtatuendum ſit, & quantum ipſa affinitatis habeat cum erroribus illorum, qui ut liberi arbitrii deſtructores ab Eccleſia damnati ſunt; quamvis ſatis clare perſpici valeat apud Diroyſium, aliis tamen judicandum relinquimus*

(66) Ibidem cap. I.

mus (67). Hic vero, nempe Ab. Migliavacca; poſtquam dixit, *inducta ſemel victrice indeliberata delectatione, induci* neceſsitatem antecedentem, *qua libertas voluntati rationali, quatenus electiva eſt, & arbitrium vocatur, extinguitur* (68), animadvertendum eſſe ait, *Janſenii, ac Queſnelli errorem, quoad caput & ſummam rei nullatenus diſsidere ab eorum perfidia, qui tamquam liberi arbitrii hoſtes ab Eccleſia proſcripti fuere, cujuſmodi ſunt Gnoſlici, Manichæi, Priſcillianiſtæ, Proteſtantes. Si quid intereſt diſcriminis, id unice ad illorum principiorum qualitatem, non ad efficacitatem revocatur, quod complura confinxerint diverſa inter ſe, quibus tamen eodem modo infallibiliter determinaretur voluntas, priuſquam ipſa ſe determinet. Fatum, aſtra, temperamentum, lucem, tenebras, aliaque alii excogitarunt. Janſenius demum delectationem indeliberatam in voluntate noſtra victricem commentus eſt, cui ſubſcripſit Queſnellus* (69). Alibi quoque, *principium*, inquit, *Calvinianum, humanæ libertati infeſtum, in eo ſitum eſt, ut voluntas cum ad bonum, tum ad malum credatur ad ſe determinandum antecedenter compulſa bono, vel malo inſtinctu, quem illi Deus immiſerit; quemadmodum Janſenius contendit, voluntatem invicte ad bonum malumve determinari prævia delectatione indeliberata eidem impreſſa. Uterque, Calvinus ſcilicet, ac Janſenius*, neceſsitatem antecedentem *invexit: uterque Eccleſiæ fulmine percuſſus eſt, ut liberi arbitrii everſor, & Gnoſticorum, Manichæorumque aſ-*

ſe-

(67) Elucidat. *Auguſtin.* de Divina Gratia *doctrina* lib. 2. cap. 5.

(68) Animad. *in Hiſtoriam Theolog.* §. 217.

(69) Ibidem §. 218.

Digitized by Google

ſecla (70). Hiſce porro addatur primo Cl. P. Graveſon. Et is enim aperte fatetur, *hoc doctrinæ Janſenii principium de indeliberata ſive cæleſti, ſive terrena delectatione, quæ relative victrix eſt, exterminare omnino liberum hominis arbitrium, & invehere inevitabilem neceſsitatem* (71), utique *antecedentem*; neque enim, ſi ſecus, liberum arbitrium, ut ipſe ait, & omnes norunt, exterminaret. Hinc alio loco idem Vir doctiſsimus; *ſenſus*, inquit, *hæreticus Janſenii, ſic explicantis illud S. Auguſtini effatum*: Quod nos amplius delectat, *ideſt, interprete Janſenio, delectatione indeliberata, & objectiva*, quæque rationis *advertentiam, & voluntatis conſenſum antevertit*, ſecundum illud operemur neceſſe eſt, *hoc eſt, interprete eodem Janſenio*, neceſsitate antecedente, *quæ rapit, ac ſecum trahit conſenſum voluntatis humanæ, ei adimendo veram potentiam ad oppoſitum*, *hic*, inquit ille, *Janſenii ſenſus hæreticus, & a mente S. Auguſtini omnino alienus, explodi debet* (72). Addatur ſecundo Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Viennenſis in Gallia, Auctor nempe Operis, cui titulus: *Bajaniſmus, & Janſeniſmus redivivus &c.* In altera ſiquidem hujus operis appendice pag. *6.* ſcribit, Janſeniſtas contendere, *delectatione gradibus ſuperiori voluntatem infallibiliter, & invincibiliter determinari ad operandum abſque ullo reſpectu ad futuram ipſius voluntatis determinationem, ac proinde per illam imponi* neceſsitatem *non ſolum hypotheticam, ſed abſolutam, non ſolum conſequentem, ſed antecedentem*. In ſuo quoque documento Paſtorali, quod, ut opus illud

ſuum

(70) Ibidem §. 133.
(71) Claſ. 1. Epiſt. 1. pag. 14.
(72) Claſſ. 2. *Epiſt. 6.* pag. 130.

Digitized by Google

ſuum vindicaret, publici juris nuperrime fecit, *cum*, inquit, *neceſſitas iſta* (obſequendi ſcilicet delectationi relative victrici) *ex delectatione indeliberata, & pro graduum ſuperioritate victrici proveniat, quocumque demum nomine donetur, eſſe nequit aut neceſſitas hypothetica*, *aut* neceſsitas conſequens; *eſt enim, ut oſtendimus, vere, & proprie dicta neceſſitas* (73); & infra, *vidimus*, inquit, *neceſſitatem, cui per Janſenium ſubeſt voluntas, gratiæ delectationem ſequendi, quando iſta cupiditatem gradibus ſuperat*, conſequentem *eſſe non poſſe*; *cum enim*, ait ille, *ex ſola graduum ſuperioritate proveniat, nullo modo ſupponit liberum voluntatis conſenſum, quem in corde humano Dei omnipotentia operetur* (74). Addatur poſtremo, ut prætercam alios, utique brevitatis cauſa, Cl. P. Berti. Ait quippe, agens hac ipſa de re: *Nec inducta à Janſenianis neceſſitas* dici *poteſt* neceſsitas conſequens; *quum enim ſoli coactioni opponatur, ac ſit ejuſdem generis, ac neceſſitas illa, qua omnes volunt eſſe beatos, qua Deus ſeipſum diligit, & qua Sanctorum ſpiritus in cœlis adhærent ſummo Bono, eſt* neceſsitas antecedens, *& quæ libertatem indifferentiæ omnino excludit* (75). Manet itaque, tot doctiſsimorum Virorum conſenſu, *neceſſitatem*, cui ſecundum Janſenium ſubeſt voluntas obſequendi vividiori indeliberatæ delectationi, qua percellitur, *conſequentem* non eſſe, ſed *antecedentem*, eamque ideo eſſe hujuſmodi, quia indeliberata eſt delectatio, a qua *neceſſitas* ipſa procedit.

ANI-

(73) P. 1. Artic. 1. §. 8. pag. 30.
(74) Ibidem §. 11. pag. 43.
(75) P. 2. *Apologiæ* Diſſert. 4. cap. 1. §. 5. n. 7.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO III.

60. Quemadmodum *antecedens*, non vero *conſequens*, ut modo vidimus, ita *vera*, *realis*, & *phyſica*, non autem tantum *moralis* ſecundum Janſenium *neceſſitas* illa eſt, qua, ut ipſe ait, humana voluntas ſecundum id operatur, quod ipſam, indeliberata delectatione, magis delectat. Primo etenim docet Janſenius, voluntatem à vividiori indeliberata delectatione, qua percellitur, non *moraliter*, ſed *vere*, *realiter*, & *phyſice* ad operandum prædeterminari. Ait quippe, vividiorem delectationem efficere, ut voluntas ſecum influat, eam *inclinando*, *applicando*, *determinando*, *& quia prævenit ipſam voluntatis determinationem*, *etiam prædeterminando*, *non ſolum*, inquit ille, *morali*, *ſed vera*, *reali*, *& phyſica determinatione*. Siquidem (ita ille proſequitur) *moralis prædeterminatio illa dicitur, quæ tantum ſe habet ex parte objecti*, *quemadmodum facit ille*, *qui conſulit*, *ſuadet*, *præcipit*, *rogat*, *blanditur*, *ſive extrinſecus*, *ſive intrinſecus*; *ſed hæc ſe habet in ipſa potentia voluntatis*, *quam propriæ ſuæ ſuavitatis magnitudine ad volendum applicat*, *& applicando determinat*, *utpote cauſans in ea hoc ipſum*, *ut ſe determinet*, *ideoque prædeterminat* (76). Jam vero ſi indeliberata delectatio, quæ gradibus ſuperior eſt, non *morali*, ſed *vera*, *reali*, & *phyſica determinatione* ſecundum Janſenium ita prædeterminat voluntatem ad operandum, ut neceſſe ſit, voluntatem ipſam ſecundum illam delectationem, quemadmodum Janſenius ipſe ait, operari, quis non videt, hinc neceſſario dicen-

(76) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 3.

cendum fore, non *moralem*, ſed *veram*, *realem*, & *phyſicam* eam quoque eſſe *neceſſitatem*, quam prædeterminans illa delectatio voluntati imponit? Certe repugnat, mea quidem ſententia, ut a cauſa *vere*, *realiter*, & *phyſice* ad operandum prædeterminante nonniſi *moralis* operandi *neceſſitas* derivari legitime poſſit. Conſtat ſecundo, eos ab Janſenio irrideri, qui ajunt, tam vehementes quandoque eſſe motus cœleſtis delectationis, ut *moraliter ſit impoſſibile illis reſiſtere*, nempe ut qui motibus illis percelluntur, *difficile reſiſtere poſſint*, *ſed tamen poſſint* ſive *ut* moraliter *reſiſtere non poſſint*, *etſi* phyſice *poſſint*. *Egregia ſane Philoſophia*, inquit ille, *præclara gratiæ laus*, *mira defenſio humanæ libertatis*, *recondita utriuſque conciliatio*. Tum paulo poſt: *Paradoxa ſunt hæc*, *antiquitati*, *& Eccleſiæ inaudita* (77). Nihil itaque certius in doctrina Janſenii eſt, nihil apertius, quam humanam voluntatem *phyſice* non poſſe indeliberatæ illi delectationi reſiſtere, qua ad volendum operandumque vehementius excitatur. Igitur neceſſe eſt, illius judicio, non *morali* dumtaxat, ſed *vera*, *reali*, & *phyſica neceſſitate*, ut ſecundum id operetur humana voluntas, quod indeliberate ipſam magis delectat.

SCHOLION.

61. Quæ modo dixi de *phyſica neceſſitate* obſequendi vividiori indeliberatæ delectationi, quam delectatio ipſa ſecundum Janſenium imponit voluntati, confirmatur luculentiſsime teſtimonio P. Graveſon, & Archiepiſcopi Viennenſis, cujus ſuperiori loco mentionem

(77) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 14.

Digitized by Google

nem feci. Præmiſſo namque, doceri à S. Thoma, *hominem in ſtatu naturæ lapſæ nulla* neceſsitate abſoluta, *&* phyſica *compelli ad peccandum, quamvis tamen quandoque contingat, hominem, niſi per gratiam liberetur*, neceſsitate *aliqua* morali *trahi ad peccatum, hoc eſt*, difficile *abſtinere a peccato*, ait Cl. P. Graveſon, *ab hac communi & pervulgata* neceſsitatis moralis *notione ac ſignificatione deflectere Janſenii diſcipulos, qui veram, & proprie dictam neceſsitatem ex delectatione relative ſuperiore profectam, cui voluntas nunquam reſiſtit, imò nec relative reſiſtere poteſt, appellant* neceſſitatem moralem, *quæ tamen juxta illorum principia eſt vere* neceſsitas ſimplex, voluntaria, *&* relativa; *quia, ut ipſimet docent*, inquit ille, *hæc neceſsitas inducitur ex delectatione ſuperiori, ac relativa ſive ad bonum, ſive ad malum, cui voluntas in his, in quibus verſatur circumſtantiis, caret potentia, non quidem abſoluta, ſed relativa reſiſtendi. Quo fit, ut hæc neceſsitas in doctrina Janſenii, ejuſque diſcipulorum, non ſit* neceſsitas moralis, ſed neceſsitas ſimplex, & voluntaria, antecedens, invincibilis, *&* inſuperabilis, *quæ citra apertam hæreſim admitti non poteſt* (78). Ita vero laudatus doctiſsimus Præſul: *Sane dici nequit* a Janſeniſtis, *neceſsitatem hanc* (operandi ſcilicet ſecundum indeliberatam vividiorem delectationem) *eſſe tantum* moralem. *Moralis enim neceſsitas ex communi*, inquit ille, *Theologorum loquendi modo, ea eſt, cui reſiſti nonniſi difficillime poteſt, ſed poteſt tamen; nequit ei ſemper reſiſti, ſed aliquando reſiſtitur. Jam vero in Janſenii ſyſtemate nunquam delectationi gradibus ſuperiori*

(78) Claſſ. 2. *Epiſt.* 3. pag. 70.

riori reſiſtitur, quin ne reſiſti quidem poteſt (79). Ergo neceſsitas hujuſmodi *moralis* nequaquam eſt, ſed *vera, realis*, & *phyſica*. Quamobrem

COROLLARIUM I.

62. *In conflictu duarum inæqualium delectationum neceſſe eſt ſecundum Janſenium*, non conſequente, *ſed* antecedente, *non* morali *tantum*, *ſed* vera, reali, *&* phyſica neceſsitate, *ut ei voluntas obſequatur*, *& ſecundum illam operetur, quæ gradibus ſuis alteram ſuperat*; ac proinde

COROLLARIUM II.

63. *Eſt* phyſice impoſsibile, *ut in duarum inæqualium delectationum conflictu voluntas debiliori obſequatur, vividiore relicta*. Id enim *phyſice impoſſibile* eſt, cujus oppoſitum eſt *phyſice neceſſarium*.

COROLLARIUM III.

64. *Voluntas ſub delectatione* relative victrice *non eſt libera libertate exercitii*, *ſive à ſimplici neceſſitate*. Repugnat enim, ut patet, voluntatem ſub delectatione *relative victrice* hoc modo eſſe liberam, ſi *phyſice neceſſarium* ſit, ut illi delectationi voluntas ipſa obſequatur, & ſecundum illam operetur.

SCHO-

(79) P. 2. *Documenti Paſtoralis* artic. 1. §. 11. n. 1.

Digitized by Google

SCHOLION.

65. Ita porro Janſenium ipſum docere hoc uno illius teſtimonio manifeſte oſtenditur. Sumta namque *libertate indifferentiæ*, ſive *exercitii* pro *libertate agendi*, *& non agendi*, *ſeu faciendi*, *& non faciendi*, *ſive abſtinendi ab eo*, *quod facis*, ait Janſenius, *non minus carnalis concupiſcentiæ titillationes*, *quam ſpirituales delectationes* (utique indeliberatas, & relative victrices) *capitalem*, *ac diametralem cum* indifferentiæ libertate *hoſtilitatem exercere* (80). Certe, ut paulo antea dixerat, *hæc contradictio tanta eſt*, *& tam præciſa*, *ut ſi*, ait ille, *perfecta cœleſtis gratiæ delectatio voluntati tribuatur*, indifferentiam *illam* Philoſophicæ libertatis *funditus interimat*, *ſicut hoc in animabus ſua beatitudine fruentibus manifeſtum eſt* (81). Neque ſecus, ipſo teſte, de terrena quoque delectatione, quæ gradibus ſuis cœleſtem ſuperat, dicendum eſt. Ait quippe, *multo magis omnem concupiſcentiæ motum ſimiliter directam habere repugnantiam cum libertate. Repugnat enim*, inquit, *ex diametro indifferentiæ voluntatis*; *cum hoc efficiat blanditiis motus ſui*, *ut qui ad agendum*, *& non agendum ante motum quoquo eſſet indifferens*, *ipſo motu libidinis in alteram partem*, *inſtar æquilibrii*, *cui pondus additur*, *impellatur* (82). Opponet fortaſſe nonnemo, eam hic *indifferentiæ* libertatem ab Janſenio intelligi, non quæ *neceſſitatem*, ſed quæ *propenſionem* excludit, ita nempe ut illius mens

(80) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 14.
(81) Ibidem.
(82) Loco citato.

Digitized by Google

mens ſit, fieri per delectationem *relative* victricem, ut voluntas in unam potius, quam in alteram partem propendat; minime vero, ut ad unam partem voluntas ipſa per illam delectationem *inſuperabiliter* determinetur, adeo nimirum ut velle oppoſitum *phyſice* ipſa non poſsit. Verum contra eſt. Nam Janſenius hoc eodem loco eos irridet, qui *fatentur, aliquando tam vehementes eſſe divinæ gratiæ motus, ut* moraliter *ſit impoſsibile reſiſtere, quamvis aliquid ſemper indifferentiæ remanere velint, ut videlicet* difficile *reſiſtere poſsint, ſed tamen poſsint*, ſive, *ut* moraliter *reſiſtere non poſsint, etſi* phyſice *poſsint* (83) Tenet ergo Janſenius, non *moraliter* tantum, ſed *phyſice* eſſe impoſſibile, quominus delectationi, quæ gradibus ſuperior eſt, voluntas conſentiat. Ergo, illius quoque judicio, delectatio *relative* victrix non illi ſolum *indifferentiæ* libertati opponitur, quæ *propenſioni*, ſive etiam *morali neceſsitati* contraria eſt, verum etiam illi, quæ *phyſicam neceſsitatem* excludit, ac proinde quæ *libertas exercitii*, & *electionis* communi Theologorum uſu nuncupatur.

ANIMADVERSIO IV.

66. Obſervandum poſtremo eſt, non *abſolutam*, ſed *relativam* eſſe *neceſsitatem* illam, cui obnoxia eſt voluntas ſecundum Janſenium, operandi ſecundum vividiorem delectationem, qua percellitur. Non enim illa *neceſsitas* ineſt voluntati, circumſtantiis omnibus præciſis, in quibus voluntas ipſa eſſe poteſt; ſed nonniſi habita circumſtantiarum ratione, eidem competit. Ea-

(83) Ibidem.

Digitized by Google

Eatenus quippe ſecundum Janſenium voluntas ſubjicitur *neceſſitati* obſequendi delectationi gratiæ, quatenus hæc gradibus ſuis carnalem cupiditatem ſuperat; adeo nimirum ut ſi contingat, delectationem illam ab hac *intenſive* ſuperari, non amplius voluntas ad illam ſequendam teneatur. *Neceſſitas* ergo, ab Janſenio inducta, non eſt *abſoluta*, neque *abſoluta*, vere proprieque loquendo, dici poteſt, ſed *relativa*, ad gradus nempe delectationis indeliberatæ vel gratiæ, vel carnalis cupiditatis, qua voluntas ad operandum movetur. Id tamen non impedire, quominus illa ſit *vera*, & *realis neceſſitas*, nullum futurum puto, qui dubitet. Quis enim negabit *phyſicam* eſſe *neceſſitatem*, qua ſiniſtra bilancis lanx graviori pondere onuſta, deſcendit, quamvis illa *neceſſitas* non ſit *abſoluta*, ut patet, ſed tantum *relativa*?

PROPOSITIO I.

Medicinalis gratia Chriſti in cœleſti indeliberata juſtitiæ delectatione ſecundum Janſenium poſita eſt.

67. *Probatur*. Quærens namque Janſenius, quid ſit *medicinale* Chriſti *adjutorium* ſecundum ſubſtantiam, ait, certiſsimum ſibi fore, ut quiſquis S. Auguſtini veſtigiis inhærerę voluerit, fateatur, illud adjutorium non eſſe aliud, quam *cæleſtem ſuavitatem*, ſeu *ſpiritalem delectationem*, *qua voluntas prævenitur & flectitur ad volendum faciendumque quidquid eam Deus velle & facere conſtituerit* (84). Ex pluribus deinde, quæ ipſe refert, ejuſdem S. Doctoris teſtimoniis facile cuique conſtare contendit, nihil certius fuiſſe S. Au-

(84) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 14

Digitized by Google

Anguſtino, quam *eam gratiam, per quam ſolam operamur, quidquid boni operamur, nomine* dulcedinis, ſuavitatis, delectationis ſpiritalis, *atque* cœleſtis *in Scripturis Sacris eſſe ſignificatam* (85). Toto demum lib. 4. *de Gratia Chriſti* in eo ille eſt, ut demonſtret, *cœleſtem indeliberatam delectationem*, voluntati a Deo immiſſam, eſſe *veriſſimum illud adjutorium, quod Chriſtus attulit, & quo ipſe in nobis operatur velle atque perficere* (86), ſive, ut habet alio loco, *auxilium gratiæ non eſſe aliud, quam quo Deus dilectionem charitatis inſpirat, cujus ardore mens roborata concupiſcentiæ delectationes premat, & ſuperet* (87); neque aliter per gratiam ſanari ægrotam voluntatem, niſi quatenus *loco* delectationis libidinoſæ, *quæ voluntatem ſub ſe captivam ac ſervam tenet*, *Deus aliam* delectationem cœleſtem *inſerit, per quam fit, ut, rupto illo libidinis, ſeu concupiſcentiæ vinculo, apex voluntatis ab ejus captivitate erutus, ſurſum caput exſerat, & affigatur Deo* (88). *Cœleſtis enim illa ſuavitas mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum viſco emergere poſſit, & ſeipſam in juſtitiam diligendam figere* (89). Itaque ſecundum Janſenium cœleſtis indeliberata juſtitiæ delectatio eſt illa *unica ægrotæ voluntatis medicina, qua tamquam directe contraria morbo, quo affligitur, extorquetur conſenſus ejus delectationi repugnanti, & retor-*

(85) Ibidem.
(86) Ibidem cap. 8.
(87) Lib. 5. *ejuſdem* cap. 1.
(88) Lib. 1. *de Statu naturæ lapſæ* cap. 3.
(89) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.

Digitized by Google

torquetur ſurſum, ut ſic blandienti delectantique ſpiritui affixus, & quaſi ſuſpenſus ex Deo, non amplius in veterem libidinis ſervitutem detrahatur. (90).

ANIMADVERSIO.

68. Gratia, quam in *cœleſti indeliberata* juſtitiæ *delectatione* Janſenius conſtituit, non *habitualis*, ſed *actualis* eſt; deque hac tantummodo ille agit, de gratia diſſerens. Fatetur enim, de ea Chriſti gratia rem ſibi eſſe per quam *voluntas infirma liberatur, vegetatur, reparatur, ſanatur, a creaturis ad Deum retorquetur, rectificatur, juſtificatur*, quæque *ſexcentis Auguſtini locis vocatur* ſanans, & juſtificans, *non quod* formaliter, & habitualiter *talem voluntatem hominis facit, ſed quia illam ad talem juſtitiæ, & ſanitatis rectitudinem efficiendo perducit. Non enim*, inquit, *de* habitualiter *ſanante & juſtificante* gratia contra Pelagium *vires humanæ voluntatis prædicantem agebatur, ſed de illo principio, quo liberi arbitrii infirmitas juvabatur* (91), nempe de gratia actuali. *Nam*, ut antea dixerat, *ſive nolentibus velle, ſive volentibus plenius velle, ſive non agentibus boni operis dilectio inſpiretur, ſemper* motio *Sancti Spiritus* actualis *exprimitur* (92). Infra quoque ſe demonſtraturum eſſe ait, *gratiam illam, quæ ſingulis tentationibus ſuperandis, ſingulis præceptis faciendis ſingulis motibus bonis, contra Pelagianos ex fidei catholicæ doctrina, & Auguſtini explicantis ſuffragio neceſſaria eſt*, ac proinde

(90) Ibidem cap. 9.
(91) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 16.
(92) Ibidem.

de qua ipſe agit, *non aliam eſſe, niſi* actualem; *qua in ſingulis actibus noſtra infirmitas adjuvetur* (93).

PROPOSITIO II.

Gratia Chriſti efficax nihil eſt aliud ſecundum Janſenium niſi cœleſtis indeliberata juſtitiæ delectatio, quæ gradibus ſuis ſuperior ſit terrena indeliberata carnalis cupiditatis delectatione, cui voluntas, originalis peccati cauſa, obnoxia eſt, & qua ab juſtitiæ amore illa retrahitur, atque in malum indeſinenter urgetur.

69. *Probatur.* Primo ſiquidem docet Janſenius, *tunc hominem a peccato liberari, & opus bonum effici, cum cœleſtis illa ſuavitas de cœlo venerit, atque contrariam ſuam* (ſcilicet delectationem terrenæ cupiditatis) *ſuperaverit* (94). Certum eſt autem, non liberari hominem a peccato, neque opus bonum effici, niſi per *gratiam efficacem.* Ergo ſecundum Janſenium *gratia efficax* eſt cœleſtis indeliberata delectatio, gradibus ſuis ſuperior carnali cupiditate.

Secundo ait Janſenius, *ad judicium Dei pertinere, quod non adſit illa gratia, qua omnis voluntas, ac dolor temporalis impediens ſuperetur*, nimirum gratia efficax; *& illam gratiam non eſſe aliam, niſi* magnam *delectationem cœleſtem, cui cedant cuncta repugnantia* (95), nempe cœleſtem delectationem adeo vividam, quæ terrenam oppoſitam delectationem *intenſive* ſuperet. Ut enim ille ipſe deinde tradit, *major delectatio nun-*

(93) Ibidem cap. 17.
(94) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 4.
(95) Ibidem cap. 5.

Digitized by Google

nunquam delectatione minore ſuperabitur ; ſed eam ſequetur animus, quæ magis eum afficiendo ſuavitate detinuerit. (96)

Tertio : præmiſſo veluti jam plane certo inconcuſſoque principio, ſecundum id nos neceſſario operari, quod magis nos indeliberate delectat, *cum igitur*, inquit Janſenius, *ad opus juſtitiæ qualecumque faciendum neceſſarium ſit, ut ex majore juſtitiæ delectatione naſcatur, hinc fit, ut iſtam Chriſti gratiam* (ſcilicet efficacem) *Auguſtinus epitheto ad hoc ipſum exprimendum propriiſſimo atque efficaci ornare ſoleat. Nam plerumque vocat eam* delectationem victricem, *vel illo ipſo, vel alio æquipollenti vocabulo* (97) ; additque Janſenius, inde quoque proficiſci, *quod quando animus iſta cœli ſuavitate deſtituitur, non poſsit aliud, quam rerum terrenarum delectationes appetere, & ſequi, quæ propter eandem cauſam quoque tunc* victrices, *aut* vincentes (nempe efficaces) *ab eo nuncupari ſolent* (98).

Docet quarto, *juxta S. Auguſtini mentem conſtantiſsimam, & ſæpe declaratam idcirco in iſta cum tentationibus dimicatione* magnam, *adeoque* majorem, *ac* victricem delectationem cœleſtem *eſſe neceſſariam, ut delectatio terrena ſuperetur ; quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſeu, ut Schola loquitur, tam intenſe ac fortiter velle non poteſt, quantum neceſſe eſt, ut tentatio, ſeu delectatio oppoſita ſuperetur* (99)

(96) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(97) Ibidem.
(98) Ibidem.
(99) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.

Digitized by Google

Quinto : *Cum nulla*, inquit ille, *ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum terrenarum ceſſerint, vel peccabitur, vel, alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. Si autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio bene voluntas operabitur* (100). Ergo ſecundum Janſenium cœleſtis delectatio gratiæ tunc eſt *efficax*, cum terrenam oppoſitam delectationem *intenſive* ſuperat.

Poſtremo ait Janſenius : *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt* efficax adjutorium, *relativa eſt. Tunc enim eſt victrix*, adeoque efficax, *quando alteram*, nempe terrenam, *ſuperat* (101). Nihil itaque certius in doctrina Janſenii, quam *efficacem Chriſti gratiam* in cœleſti indeliberata delectatione, quæ terrenam gradibus ſuis ſuperet, eſſentialiter conſiſtere. Itaque

COROLLARIUM.

70. *Ex ſuperioritate graduum* relative *ad carnalem cupiditatem, cui voluntas obnoxia eſt*, efficacia *divinæ gratiæ in ſyſtemate Janſeniano unice derivatur.* Etenim nonniſi propter ſuperioritatem graduum *relative* ad carnalem cupiditatem habet ſecundum Janſenium cœleſtis indeliberata gratiæ delectatio, ut certo & infallibiliter ſecum conſentientem trahat voluntatem, nempe ut carnalem cupiditatem, qua voluntas ipſa ad malum ſollicitatur, vincat ac ſuperet; ac proinde ut ſit *efficax*.

SCHO-

(100) Ibidem cap. 10.
(101) Lib. 8. *Ejuſdem* cap. 2.

Digitized by Google

SCHOLION.

71. Hanc eſſe Janſenii judicio, naturam *gratiæ efficacis*, confirmat ceteros inter doctiſsimus P. Graveſon. Ait enim, Janſenium docere pluribus in locis, *naturam, & efficaciam gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ ſitam eſſe in cœleſti indeliberata delectatione relative ad gradus concupiſcentiæ, qua cœleſtis indeliberata delectatio, dum ſuperior eſt gradibus concupiſcentiæ, tunc per ſe, & ab intrinſeco eſt efficax* (102) atque hinc *efficaciam gratiæ* ſecundum Janſenium *neceſſario pendere ex minori concupiſcentiæ reſiſtentia, itaut ſi terrena delectatio concupiſcentiæ major ac fortior ſit cœleſti delectatione gratiæ, maneat omnino depreſſa, fracta, & inutilis ipſius gratiæ virtus* (103). Addit quoque idem Vir Cl. inter Janſenii diſcipulos ne unum quidem eſſe, *qui vim* gratiæ efficacis *non repetat ex indeliberata cœleſti delectatione relative victrici, & ſuperiori oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione* (104)

PROPOSITIO III.

Gratia Chriſti inefficax ſecundum Janſenium eſt cœleſtis indeliberata delectatio gradibus inferior carnali cupiditate qua tunc voluntas ſollicitatur.

72. *Probatur*. Cum enim, inquit Janſenius, *nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi*

(102) Claſ. 2. Epiſt. 2. pag. 47.
(103) Ibidem pag. 50.
(104) Ibidem Epiſt. 6. pag. 123.

Digitized by Google

iſta tanta fuerit, *ut ei delectationes rerum terrenarum ceſſerint*, *vel peccabitur*, *vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur*; *ſin autem iſta ſuperaverit*, *jam ſine dubio bene voluntas operabitur*: Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt. *Sed utrumlibet fiat*, *non erit ſufficiens gratia*, *ſed vel efficax* (ſi nempe cœleſtis ipſa delectatio ſuperior fuerit carnali cupiditate), *vel ita inefficax* (ſi nimirum fuerit carnali cupiditate inferior) *ex qua operatione quidem ſequi poſſit*, *niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur* (105). Alibi quoque docet, *ſi contingat*, delectationem carnalis cupiditatis *ardentiorem eſſe* cœleſti delectatione gratiæ, fore, ut *in ſolis inefficacibus deſideriis hæreat animus*, *nec efficaciter unquam velit*, *quod volendum eſt* (106). Inefficax itaque gratia ſecundum Janſenium eſt cœleſtis indeliberata delectatio, quæ gradibus ſuis inferior ſit delectatione itidem indeliberata carnalis cupiditatis. Hinc

COROLLARIUM I.

73. *Secundum Janſenium eadem gratia poteſt ſimul eſſe* efficax, *&* inefficax, *ſicuti etiam modo* efficax, *modo* inefficax. Eadem ſiquidem delectatio gratiæ poteſt in uno excedere gradibus ſuis carnalem cupiditatem, ſimulque in alio ab ea deficere. Contingere quoque poteſt in eodem homine, ut eadem ipſa delectatio gratiæ major modo ſit carnali cupiditate, modo minor, cum ſcilicet fieri queat, ut carnalis cupiditas *intenſive* augeatur; atque hinc ut quæ antea de-

(105) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 10.
(106) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 2.

debilior erat delectatione gratiæ, vividior illa evadat, ipſamque ſuperet. Propterea

COROLLARIUM II.

74. Gratia efficax *in ſyſtemate Janſeniano a gratia* inefficaci *intrinſecus, ſeu quoad ſuam entitatem diverſa non eſt*. Neque enim differre poſſunt hoc modo, ſi eadem gratia poteſt eſſe modo *efficax*, modo *inefficax*, & quæ in uno *efficax* eſt, ſimul in altero eadem ipſa *inefficax* eſſe poſsit.

SCHOLION I.

75. Utrumque hoc neceſſario futurum, poſita Janſeniana *gratiæ efficacis*, & *inefficacis* notione palam aperteque docet ſub Vvendrokii nomine unus in illorum grege Nicolius. Ait enim: *Gratia, quæ nunc victrix eſt* (adeoque efficax) *dum cum levi cupiditate pugnat, aucta cupiditate, & acrius inflammata, poteſt etiam actu ſuperari....... Et quemadmodum cupiditas, quæ* victrix *erat, dum cum alia minore certabat, ſi hæc invaluerit, & admotis propius incitamentis exarſerit. deſinit eſſe victrix, deſinit plenam elicere voluntatem; ſic item eadem illa gratia, quæ cum minore cupiditate pugnans, victrix dicebatur, ſi novus ingruat cupiditatis fluctus, actu ſuperatur. Ita fieri poteſt, ut qui levem tentationem ſuperat, a majore ſuperetur, etiamſi eadem utrobique gratia polleat* (107) Itaque, ut egregie obſervat doctiſsimus P. Graveſon, *in ſyſtemate Janſenii de delectatione ſuperiori*, nul-

(107) Dialog. in Epiſt. 18. *Mentaltii*.

nulla *datur gratia ex ſe , ſeu ex natura , & virtute intrinſeca* victrix, & efficax, *ſed* vis, & efficacia *gratiæ juxta Janſenium non tam ex interna ipſius virtute pendet , quam ex minori oppoſitæ concupiſcentiæ reſiſtentia. Inde eſt* (proſequitur Cl. Auctor) *quod in hoc Janſenii , & Janſeniſtarum ſyſtemate eadem gratiæ entitas , citra ullum novum ex parte Dei auxilium , in uno & eodem homine varie diſpoſito ſit modo victrix, modo non victrix* (nempe modo *efficax* , modo *inefficax*) *prout major , vel minor fuerit oppoſitæ concupiſcentiæ actualis reſiſtentia* (108).

SCHOLION II.

76. Aliquam gratiam *inefficacem* etiam ab Janſenio fuiſſe modo admiſſam , videtur a nemine in dubium verti poſſe. Conſiderandum eſt enim , inquit ille, *multiplices eſſe divinæ gratiæ effectus , quemadmodum & voluntatis. Eſt enim* velle perfectum , *quod Auguſtinus* poſſe *vocat ; eſt &* imperfectum , *quod* velleitatem *appellare ſolent , & hoc ipſum diverſos gradus habet , donec ad ipſam primam tenuiſſimamque boni complacentiam veniatur. Hæc eſt ergo primus ille cæleſtis iſtius roris effectus , quem ut minimum in omnibus operatur , quibus eam infundit Deus. Nam quemadmodum inundatio divinæ gratiæ* (nempe gratia efficax) *totam hominis voluntatem ſecum inſtar impetuoſi cujuſdam torrentis rapit ſic , ut omnia humani cordis retinacula , quibus terrenis rebus irretitur velut violenta quadam tempeſtate diſrumpit ; ita lenis ille , velut auræ tenuis , afflatus* (ſcilicet gratia inefficax) *complacen-*

(108) Claſſ. 2. *Epiſt. 6.* pag. 134.

Digitized by Google

centiam quamdam voluntatis tenuiſſimam rei tam pulcræ, quæ ſimul objicitur contemplanda, contemperatam ſuaviter impetrat, & celerrime quaſi furtim poſt ſe rapit. Hæc igitur gratia (inefficax ſcilicet) *quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat, ad hoc tamen facit aliquid, ut iſtarum, vel alterius cujuſdam non* voluntates, *ſed* velleitates, *vel* complacentias *excitet, quas, niſi divinitus infundantur, obtinere humana poteſtate nemo poteſt. Non enim quævis gratia ad quoſvis effectus inferendos ſufficit, ut quidam imaginati ſunt, ſed poteſtates operationum difficultati attemperandæ ſunt...... Sic videmus plurimos, qui necdum ab immunditiis carnis ſe continere poſſunt, vehementer tamen* (per gratiam inefficacem) *optare continentiam: cujuſmodi vota divinæ gratiæ* (utique inefficacis) *ſunt munera, & majoris gratiæ* (nempe efficacis) *provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentiæ comparanda ſint* (109).

ANIMADVERSIO.

77. Gratia *efficax*, nempe cœleſtis delectatio, quæ gradibus ſuis major ſit terrena cupiditatis delectatione, cum qua in voluntate pugnat, *magna* dici ſolet a Janſenianis; *parva* autem ex adverſo gratia *inefficax*, cœleſtis nempe delectatio, quæ a delectatione terrenæ cupiditatis *intenſive* deficit.

CON-

(109) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 27.

CONSECTARIA SYSTEMATIS JANSENIANI.

COROLLARIUM I.

78. *Phyſice impoſſibile eſt, ut diligamus juſtitiam, quodque juſtum eſt, operemur, niſi tanta in nobis fuerit cœleſtis delectatio gratiæ, quæ delectationem carnalis cupiditatis, qua tunc voluntas urgetur, atque ad operandum malum ſollicitatur, intenſive ſuperet.* Si enim tanta in nobis non fuerit cœleſtis delectatio gratiæ, ut gradibus ſuis ſuperior ipſa ſit carnali cupiditate, qua voluntas ſecundum Janſenium indeſinenter deorſum premitur, fieri, eodem Janſenio teſte, *phyſice* non poteſt, ut illi delectationi voluntas ipſa conſentiat. Impoſſibile quippe eſt, ut obſequatur delectationi debiliori, fortiore relicta. Voluntas autem nequit, ejuſdem Janſenii judicio, juſtitiam diligere, neque agere, quod juſtum eſt, niſi conſentiat cœleſti delectationi gratiæ, & ſecundum illam operetur. Ergo, niſi ejuſmodi delectatio ſuperior *intenſive* fuerit carnali cupiditate, eſt *phyſice impoſſibile*, ut diligamus juſtitiam, & quod juſtum eſt, operemur; atque hinc.

COROLLARIUM II.

79. Cum *gratia efficax* non diſtinguatur in hoc ſyſtemate a cœleſti delectatione, quæ gradibus ſuis ſuperior ſit carnali cupiditate, *phyſice impoſſibile eſt ſine*

gra-

Digitized by Google

gratia efficaci ſecundum Janſenium, ut voluntas noſtra quidquam boni operetur.

SCHOLION. I.

80. *Impoſſibile eſt*, inquit Janſenius, *ut voluntas juſtitiam diligat, niſi ante ab illo delectabili affectu peccati, quo mens impeditur, & deorſum premitur, liberetur* (110). *Tunc autem*, eodem docente, *homo a peccato liberatur, & opus bonum efficitur, cum cœleſtis illa ſuavitas de cœlo venerit, atque adverſariam ſuam* (carnalem ſcilicet cupiditatem) *ſuperaverit* (111), nempe cum illa fuerit tanta, ut gradibus ſuis carnalem ipſam cupiditatem exceſſerit; etenim, ut ille ipſe docet, *niſi cœleſtis delectatio major fuerit, quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poteſt, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio numquam ſane delectatione minore ſuperabitur* (112). Alibi quoque docet, *ante gratiam victricem cupiditatum*, videlicet ante delectationem cœleſtem relative victricem, *nullam ſupereſſe in voluntate libertatem ad bonum, nullam poteſtatem, ut reſiſtat concupiſcentiarum carnalium deſideriis, ſed illis pleno jure dominantibus miſerabili ſervitute ſubjacere captivum* (113): quod infra quoque confirmat, dicens, *toto tempore, quo nondum eſt homo per gratiam* (ſcilicet per delectationem cœ-

(110) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(111) Lib. 4. *ejuſdem* cap. 4.
(112) Ibidem cap. 6.
(113) Lib. 3. *de Statu Naturæ lapſæ* cap. 8.

cœleſtem relative victricem) *a concupiſcentiarum ſuarum dominatione liberatus...... nullo modo arbitrium, ſeu voluntatem eſſe liberam, ut operetur bonum, ſed ſublata funditus boni faciendi, ſeu legis faciendæ libertate, ſub concupiſcentiæ ſervitute eſſe captivam* (114); atque hinc *pugnare quidem, ſed vinci, ſcientem, renitentemque pondere cupiditatis trahi, peccati deſideriis vehementioribus rapi, conſuetudine ſuperari, volendo ſurgere, affligi gravius, peccare vehementius, inſtar præcipitati ſine difficultate venire in profundum, etſi nolit, atque oderit* (115). Ac demum alio loco, *cum*, inquit, *poteſtas illa proxima benevolendi hoc ipſo amiſſa ſit, quod illud voluntas imperium ac nutus, quo ſeipſam ſolebat voluntas (cum gratia* ſine qua non) *ad bonum, prout ei videtur, flectere, & non flectere, per introductæ concupiſcentiæ delectationem captivum ſit, & miſerabili ſervitute depreſſum, ita ut nihil ei libeat, niſi terrenis delectationibus titillantibus conſentire, non aliter quoque redditur, niſi ex illa captivitate per victricis delectationis cœleſtis infuſionem ſibi conſenſum vindicantis, eruatur, qua ſicut hoc ipſo bona voluntas, ita etiam poteſtas bene agendi redditur* (116). Et infra, *hæc*, inquit, *firmitas, ardorque voluntatis malæ, vehementi delectatione concupiſcentiarum adjuta, & incitata, parit bene faciendi impotentiam, quam ſola voluntas* (nempe voluntas deſtituta delectatione cœleſti relative victrice) *ſuperare non poteſt, idque ideo quia fortiter, ſtabiliterque non vult:*

(114) Ibidem.
(115) Ibidem.
(116) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 10.

Digitized by Google

vult : cùm qua tamen quia manet facultas illa liberi arbitrii interna , & flexibilis benefaciendi , mala voluntas propter cauſam jam dictam rea eſt , quamvis nulla ei detur gratia, & habet quamdam ad contraria indifferentiam , quamdiu in hac vita vivitur , ratione cujus ſi Spiritus Sanctus aſpiraverit bonam voluntatem, ſeu velle quod petulanter amiſſum eſt, *iterum ſuſcipere* poteſt (117). Impoſsibilitas ergo operandi bonum, quam habet voluntas, deſtituta ea delectatione gratiæ, quæ ſit ſuperior carnali cupiditate, nempe deſtituta *gratia efficaci*, non ſolum ſequitur ex principiis, quibus in ſuo ſyſtemate ſtabiliendo Janſenius innititur, verum etiam clare ab eo aſſeritur, aperteque ſuſtinetur.

SCHOLION II.

81. Fieri porro nullatenus poſſe Janſenium ſi audiamus, ut homo deſtitutus *gratia efficaci*, nempe delectatione cœleſti, quæ gradibus ſuis ſuperior ſit terrena, bonum velit, illudque operetur, teſtatur etiam Cl. P. Graveſon. Ait enim, *Janſenium docere, hominem ſine gratia per ſe efficaci, cujus naturam, ſeu eſſentiam reponit in cœleſti indeliberata delectatione gradibus terrenæ cupiditatis ſuperiori, non habere potentiam bene agendi* ; ipſumque aſſerere, *ſolam gratiam per ſe efficacem, ſeu ſolam illam indeliberatam cœleſtem delectationem* relative *victricem impertiri homini & poſſe agere* (ſcilicet bene) *& velle agere* (118). Et alio loco, *docet itidem Janſenius*, inquit

(117) Ibidem.
(118) Claſſ. 1. Epiſt. 5. pag. 89.

quit ille; *quod terrena concupiſcentiæ delectatio, quando* relative *victrix eſt, & major ac ſuperior oppoſita gratiæ delectatione cœleſti, parit bene faciendi impotentiam, quam voluntas ſuperare non poteſt* (119).

ANIMADVERSIO.

82. Dubitandum non eſt autem, quominus *vera, realis*, & *phyſica* ſecundum Janſenium ſit illa bene agendi impotentia, cui homo obnoxius eſt, gratia efficaci, ſive cœleſti relative victrice delectatione deſtitutus. Ut enim prætercam, ex illius principiis ad evidentiam conſequi, phyſice eſſe impoſsibile, ut in duarum inæqualium delectationum conflictu voluntas noſtra debiliori, vividiore relicta, obſequatur, & ſecundum illam operetur, habemus ex ipſomet Janſenio, *niſi medicinali gratiâ, & adjutorio vires priſtinæ* (voluntatis) *reſtaurentur* (quod certe non fit, illo docente, niſi per delectationem cœleſtem relative victricem) *tam eſſe impoſsibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quam homini cæco, ut videat, vel ſurdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut recte gradiatur* (120). Certum eſt autem, hæc omnia eſſe phyſice impoſsibilia. Ergo &c.

COROLLARIUM III.

83. *Urgente tentatione, neceſſario indeclinabili neceſsitate peccabimus, niſi tanta in nobis tunc fuerit cœleſtis delectatio gratiæ, quæ terrenam delectationem, qua*

(119) Claſſ. 2. Epiſt. 6. pag. 132.
(120) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 1.

Digitized by Google

qua voluntas ad malum in tentatione ſollicitatur, *intenſive ſuperet*. Niſi enim delectatio cœleſtis ſuperior tunc fuerit terrena, huic voluntas noſtra tunc *neceſſario* indeclinabili neceſsitate conſentiet. Itaque

COROLLARIUM IV.

84. Cum *gratia efficax* ſecundum Janſenium ſit delectatio cœleſtis relative victrix, *ſine gratia efficaci neceſſario indeclinabili neceſsitate, urgente tentatione peccabimus.*

SCHOLION I.

85. Docet Janſenius, *tantopere eſſe neceſſariam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus, ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit, quam terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur* (121). Et alio loco, *dico*, inquit, *idcirco in iſta cum tentationibus dimicatione magnam, adeoque majorem, ac victricem delectationem cœleſtem eſſe neceſſariam, ut delectatio terrena ſuperetur; quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſeu ut Schola loquitur, tam intenſe, ac fortiter velle non poteſt, quantum neceſſe eſt, ut tentatio, ſeu delectatio oppoſita ſuperetur* (122). Alibi quoque ait, *vigente delectatione carnali, impoſſibile eſſe, ut virtutis, ac honeſtatis conſideratio prævaleat, niſi quemadmodum Auguſtinus loquitur, tan-*

(121) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(122) Ibidem cap. 7.

tantum delectent, ut ipſæ teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat (123). *Quemadmodum enim*, ait ille, *voluntas ſine præeunte delectatione velle, vel conſentire nequit, ita neque pravam delectationem ſine aliqua majore, & meliore* (nempe cœleſti) *compeſcere* (124). Eſt igitur doctrina Janſenii, nos neceſſario, tentatione urgente, peccaturos, niſi delectatio cœleſtis ſuperior in nobis tunc fuerit delectatione terrena.

SCHOLION II.

86. Ita porro Janſenium docuiſſe, affirmat etiam Cl. P. Graveſon, ſcribens, *S. Thomam præfocaſſe in anteceſſum errorem Janſenii aſſerentis, carnalem concupiſcentiæ delectationem, quando fortior, vehementior, & ſuperior eſt cœleſti delectatione gratiæ, inevitabilem imponere neceſſitatem peccandi, ita ut homo à peccato abſtinere non poſſit.* (125). Acriter quippe, eodem teſte, pertendit Janſenius, *hominis in ſtatu naturæ lapſæ voluntatem vehementiſſima impetitam tentatione, & cœleſti perfuſam gratiæ delectatione, quæ minor, & inferior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione, eſſe quidem liberam a* coactione, *&* violentia, *ſed non eſſe liberam a* neceſsitate *peccandi, ideſt, attenta carnali concupiſcentiæ delectatione, quæ major, vehementior, & ſuperior ſit cœleſti gratiæ delectatione, voluntatem hominis non poſſe a peccato abſtinere, ſed ne-*

(123) Ibidem cap. 9.
(124) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 3.
(125) Claſ. 2. Epiſt. 3. pag. 72.

Digitized by Google

neceſſario in peccatum prorumpere debere (126).

COROLLARIUM V.

87. *Phyſice impoſsibile eſt, ut is male agat, in qua cœleſtis delectatio terrenam intenſive ſuperat*; & viciſsim, *ut is bene operetur, in quo delectatio terrena cœleſti intenſive prævalet*. Eſt enim phyſice impoſsibile, ut ille terrenæ, hic vero cœleſti delectationi conſentiat. Quamobrem

COROLLARIUM VI.

88. *Eſt phyſice impoſsibile, ut is male agat, qui* gratia efficaci *donatus eſt*; & ex adverſo, *ut is agat bene, qui illa gratia eſt deſtitutus*. Efficax enim gratia non diſtinguitur ſecundum Janſenium a delectatione cœleſti relative victrice.

SCHOLION I.

89. *Impoſsibile eſt*, inquit Janſenius; *ut voluntas juſtitiam diligat* (nempe ut bene operetur) *niſi ante ab illo delectabili affectu peccati, quo mens impeditur, & deorſum premitur* (ſcilicet a terrena carnalis cupiditatis delectatione) *liberetur, vel ut creaturam perverſe diligat* (nimirum ut male agat) *niſi a dilectione juſtitiæ* (videlicet a cœleſti delectatione gratiæ) *ſurſum animum retorquente ſe liberet* (127). Statuit proinde, *juſtitiæ*, *vel peccati delectationem* (utique re-

(126) Ibidem.
(127) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.

Digitized by Google

relative victricem) *eſſe illud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter poſſidetur, & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit.* (128).

SCHOLION II.

190. Affirmat doctiſsimus P. Graveſon, Janſenium docere, *ſub gratia per ſe efficaci, hoc eſt, ſub motione victricis delectationis cæleſtis non ſtare poteſtatem ad oppoſitum, ſeu potentiam proximam, & expeditam peccandi*; quia nimirum *neceſſe eſt*, illo docente, *inferiorem concupiſcentiæ delectationem cedere ſuperiori cæleſti delectationi gratiæ*; ſimiliter eundem ipſum negare, *in homine, in quo actu dominatur, ſeu ſuperior eſt terrena concupiſcentiæ delectatio, perſtare poteſtatem expeditam ad oppoſitum, ſeu bene agendi*; quia ſcilicet, ut ipſe contendit, *inferior cæleſtis delectatio gratiæ neceſſario cedere debet ſuperiori victrici terrenæ delectationi concupiſcentiæ; & impoſsibile eſt, ut minor, & inferior delectatio vincat majorem, ac ſuperiorem* (129)

COROLLARIUM VII.

91. *Neceſſario neceſsitate phyſica tamdiu bene aget voluntas; quamdiu delectatio cæleſtis ſuperior in illa fuerit terrena*; & viciſsim *tamdiu illa male operabi-tur,*

(128) Ibidem.
(129) Claſſ. 2. *Epiſt.* 2. pag. 48.

tur, *quamdiu terrena delectatio cœleſti in ipſa prævaluerit.* Tamdiu enim neceſſario *neceſſitate phyſica* humana voluntas conſentiet delectationi cœleſti, quamdiu hæc ſuperior fuerit terrena; tamdiu vero terrenæ ex adverſo obſequetur, quamdiu hæc *intenſive* illam excellerit, quod nempe ſit *phyſice* neceſſarium, ut ſecundum illam ſive *cœleſtem*, ſive *terrenam* delectationem, quæ gradibus ſuperior eſt, voluntas operetur. Hinc

COROLLARIUM VIII.

92. *Tamdiu neceſſario neceſſitate phyſica voluntas perſeverabit in bono, quamdiu in ea erit gratia efficax*; & ex adverſo *tamdiu neceſſario eadem neceſſitate in malo obſtinata perſiſtet, quamdiu illa gratia ipſa caruerit.* Eſt enim *gratia efficax* delectatio cœleſtis terrenam intenſive ſuperans.

SCHOLION.

93. Ita Janſenium tenuiſſe, adeo perſpicuum eſt, ut evidentius conſtare non poſsit. Ait enim, *juſtitiæ, vel peccati delectationem eſſe illud* vinculum, *quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut* quamdiu *iſto ſtabiliter poſſidetur, & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit* (130). Hinc cauſam ipſe deſumit, quamobrem Angeli, & Beati in cœlo Deum ita immobiliter diligant, ut ipſum non amare nequeant, mul-

(130) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.

multoque minus odio habere ; ſicuti etiam ex adverſo cur dæmones , atque damnati in inferno immobiliter adeo Deum ipſum odio habeant , ut ſecus facere ipſi nullatenus poſsint. Loquens enim ille de Angelis, & Beatis in cœlo exiſtentibus , *quia* , inquit , *nihil aliud ibi delectare voluntatem poterit , nihil aliud etiam* (ſcilicet præter Deum) *amari poterit voluntate ; & è contrario quia ibi ſempiterna erit de Deo delectatio, ſempiternus erit etiam amor , atque laudatio* , (131), nempe *quia nulla ibi erit peccandi delectatio , & delectatio non peccandi , ſeu bene agendi erit indeclinabilis* , *ideo* Angeli , & Beati *peccare non poterunt* (132). Patet igitur (ita ille rem claudit) *cur jam abſorpta omni carnali delectatione , ac dominante ſola ſuavitate ſpiritus , ardentiſsime voluntas Deum in cœlo diligat , atque ita immobiliter diligat , ut peccare non poſsit;* quia nempe *ſolus eam delectat Deus , imò nihil aliud delectare poteſt ; nam quemadmodum hic ante gratiam iſtius cæleſtis delectationis non poterat quidquam agere boni , dominante ei ſola delectatione creaturæ , ita poſt eam abſorptam , extinctamque penitus , nihil poteſt agere mali , dominante ei ſola delectatione Creatoris* (133). Haud diſsimili porro ratione de dæmonibus , damnatiſque ratiocinatur : ait nempe , *ex perpetuitate voluntatis perpetuam peccandi voluntatem in dæmonibus naſci* , videlicet *dæmones duplici capite , ex defectu ſcilicet cæleſtis delectationis non peccandi , & aſsidua peccandi delectatione , etiam perpetua peccandi , ſeu in peccato , quo ciciderunt , perſiſtendi voluntate detineri* (134). Tam-

(131) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 8.
(132) Ibidem.
(133) Ibidem cap. 9.

(134). Tamdiu ergo ſecundum Janſenium in bono, vel in malo perſeverabit humana voluntas, quamdiu vel cœleſtis, vel terrena delectatio in ea prævaluerit.

COROLLARIUM IX.

94. *Quidquid modo agimus, neceſſario vel bonum eſt ſive juſtum, vel malum, ſive injuſtum.* Janſeniani ſiquidem ſyſtematis admiſsis principiis, quidquid modo lapſus homo operatur, vel a cœleſti, vel a terrena relative victrice delectatione neceſſario proficiſcitur. Bonum eſt autem, ſive juſtum, quidquid a delectatione cœleſtis gratiæ; malum vero, ſive injuſtum, quidquid a terrena carnalis cupiditatis delectatione ortum ſuum ducit. Ergo &c.

SCHOLION.

95. Quod ita aperte quoque Janſenius docuerit, nemo prorſus dubitare vel leviſsime poteſt. *Quamdiu enim*, inquit ille, *in hac vita poſt acceptam gratiam* voluntas noſtra *militat Deo, alternante creaturæ, & Creatoris delectatione, nunc* recte, *nunc* perperam *facit, prout cœli, aut terræ delectatio conſenſum ejus arripuerit* (135); atque hinc, ut habet alio loco, voluntas noſtra *nunc ſemper in omni humano motu ſuo, vel* peccato, *male agendo, ſervit, vel benefaciendo,* juſtitiæ. *Nullum quippe*, ait, *indifferentem actum in*

(134) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 8.
(135) Ibidem cap. 9.

individuo dari, *tamquam rem exploratam in iſta diviſione* (S. Auguſtinus) *agnoſcit* (136).

COROLLARIUM X.

96. *In omni actu ſuo voluntas noſtra neceſſario* indeclinabili neceſsitate *peccat*, *niſi tanta in ea fuerit cœleſtis delectatio gratiæ*, *quæ terrenam carnalis cupiditatis delectationem intenſive excedat*. Niſi enim cœleſtis delectatio gratiæ ſuperior fuerit carnali cupiditate, certum eſt fore, poſitis Janſenii principiis, ut voluntas noſtra in omnibus ſuis actibus obſequatur delectationi carnalis cupiditatis, & ſecundum illam operetur. Neque enim operari ipſa aliquid poteſt, niſi alterutra duarum illarum delectationum ſuam contrariam ſuperet; & ideo ſi quando operatur, delectatio cœleſtis non ſuperat terrenam, conſequens neceſſario eſt, illam ab hac ſuperari. Neceſſario autem *indeclinabili neceſsitate* voluntas obſequitur delectationi vividiori, & ſecundum illam operatur. Ergo neceſſario *indeclinabili neceſsitate* voluntas in omni ſua actione terrenæ delectationi conſentit, niſi delectatio cœleſtis ſuperior fuerit. Peccat autem voluntas, obſequendo delectationi carnalis cupiditatis. Ergo &c. Hinc

COROLLARIUM XI.

97. Janſeniano admiſſo ſyſtemate, detur quoque neceſſe eſt, *humanam voluntatem*, gratia efficaci *deſtitutam*, *neceſſario indeclinabili neceſsitate in omni ſua actione peccare*. Voluntas enim deſtituta *gratia* effi-

(136) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.

efficaci, caret hoc ipſo ſecundum Janſenium delectatione cœleſti, quæ ſit ſuperior carnali cupiditate.

SCHOLION I.

98. Horrendam hanc conſequutionem Janſeniani ſyſtematis ab ipſomet etiam illius auctore admitti, palamque doceri, non uno ejuſdem teſtimonio oſtenditur. Poſtquam enim dixit Janſenius, *ad opus juſtitiæ qualecumque faciendum neceſſarium eſſe, ut ex majore juſtitiæ delectatione naſcatur*, ſubjicit ſtatim fore, *ut quando animus iſta cæli ſuavitate deſtituitur, non poſsit aliud, quam rerum terrenarum delectationes appetere, & ſequi* (137). Porro, ipſo docente, *pondus concupiſcentiæ, quo animus poſſeſſus eſt, detorquet eum ab amore juſtitiæ, & rectitudinis, quæ in opere, ut bonum ſit, neceſſario ſpectari debet, & affigit alicui creaturæ, cujus vel conſequendæ cupiditate flagrat, vel amittendæ timore cruciatur* (138). Hinc, quamdiu voluntas noſtra per relative victricem delectationem non liberatur, *tamdiu*, inquit ille, *in tenebris, hoc eſt, in peccatis jacet, tenebras diligit, tenebras in agendo, & ceſſando ſectatur. Quidquid enim dilexerit, creaturæ limites non egreditur, & ita perpetuam terrenæ concupiſcentiæ catenam trahit, cujus vinculis, & ſervitute detinetur* (139). Certe, ut ipſe quoque docet, hæc ſcilicet concupiſcentia, ita voluntati dominatur, *ut quocumque* voluntas ipſa *ſe vertat, quidquid arripiat, quidquid declinet, quoſcumque*

(137) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(138) Lib. 1. *ejuſdem* cap. 4.
(139) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 3.

que vultus, ac formas induat, quantumcumque ſe viribus ſurſum tollere, quibuſcumque bene vivendi ſtimulis incitari videatur, non poſſit ab illa ſe viſcoſa catena expedire, niſi prius caliginem ejus lux cœleſtis (nempe cœleſtis relative victrix delectatio gratiæ) *effugaverit, & illos terrenæ cupiditatis compedes fregerit* (140): quod infra quoque confirmans, ait, creaturæ concupiſcentiam in peccatoribus ante gratiam omnibus actionibus dominari, adeo nimirum ut eorum voluntatem *ad malum* indeclinabiliter, & inſuperabiliter *ſemper inclinet* (141). Janſenium ergo ſi audiamus, in omni noſtra actione nos peccemus, neceſſe eſt, niſi tantum cœleſtis delectationis in nobis fuerit, quæ delectationem carnalis cupiditatis *intenſive* ſuperet.

SCHOLION II.

99. Apertius porro id adhuc nobis fiet; ſi quæ de infidelibus ille ipſe tradit, conſiderare velimus. Eos ſiquidem omnes in omni ſua actione neceſſario peccare, idcirco quia delectatione cœleſti relative victrice deſtituti ſint, extra omnem prorſus dubitationis aleam poſitum eſſe putat. Ait quippe *nullum omnino bonum moraliter opus, hoc eſt, nullum opus, quod non ſit peccatum, ab infidelibus poſſe fieri; ſed quidquid faciant, quoquomodo ſe vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perverſi amoris cupiditate contaminatum eſſe, & ex vulnere in vulnus ſurgere*, nempe ex peccato in peccatum labi; cam-

que

(140) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 3.
(141) Ibidem.

Digitized by Google

que hujuſce rei primam eſſe cauſam, *quia Dei, & juſtitiæ dilectione infideles omnino deſtituti ſunt*, quæ, ut paulo antea dixerat, *in omni opere etiam moraliter bono dominari debet, atque ita dominari, ut niſi adſit, nonniſi peccatum futurum ſit opus, quod ex alia quacumque dilectione naſcitur* (142). Ratum proinde fixumque illi eſt, *ante fidem in hominibus infidelibus nullum omnino eſſe poſſe opus non ſolum ſupernaturaliter, ſed vel moraliter bonum, ſed omnia eſſe veri nominis peccata* (143). Indubitatum quoque exiſtimat alio loco, *nullum opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio poſſe fieri niſi per gratiam, non quamlibet, ſed fidei, liberetur, ut proinde ante fidem non ſit ei liberum a peccato, dum hic, & nunc agitur, abſtinere; ſed quocumque ſeſe verterit, quadam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneatur.* (144). Contendit demum, in homine, originalis peccati cauſa, *periiſſe libertatem ad bonum, non ſolum ut non poſſit ante gratiam totam juſtitiæ moralis legem implere, ſed nec unum quidem opus ejus. Periiſſe libertatem abſtinendi a peccato, ut nec in ullo quidem opere peccati culpam poſſit effugere. Inductam eſſe neceſſitatem peccandi non tantum in aliquibus actibus, quaſi tantummodo non poſſit homo ante gratiam ſine omni omnino peccato vivere, eo quod neceſſario aliquando cadat; ſed ſenſus eſt, inductam eſſe neceſſitatem peccandi in omnibus actibus; eo quod omnis ejus actus, antequam credat, peccatum ſit, ſive* pec-

(142) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 11.
(143) Ibidem.
(144) Lib. 3. *de Statu naturæ lapſæ* cap. 14.

Digitized by Google

peccati tentationem fugere ſive amplecti videatur (145). Nihil itaque certius, nihilque evidentius eſt, quam Janſenium docuiſſe, hominem tam fidelem, quam infidelem in omni ſua actione neceſſario indeclinabili neceſsitate peccare, niſi tanta delectatio gratiæ in ipſo fuerit, quæ terrenam carnalis cupiditatis delectationem, qua lapſus homo indeſinenter ad malum ſollicitatur, gradibus ſuis excedat. Univerſaliter quippe affirmat, eum, *qui per originalis peccati plagam illa generali, & humanis viribus indelebili creaturæ cupiditate poſſeſſus eſt, neceſſario peccare aliquo cupiditatis actu, niſi illa inſpirata cœlitus Creatoris charitate* (nempe cœleſti indeliberata delectatione gratiæ) *ſuperetur* (146).

ANIMADVERSIO.

100. Attente porro hic obſervetur velim, huic noſtræ aſſertioni nullatenus officere, quod alibi Janſenius ipſe docet, videlicet neceſsitatem peccandi inductam, originalis culpæ cauſa, non eſſe neceſsitatem peccandi *in individuo*, nempe hoc potius quam aliud peccatum comittendi; ſed eſſe dumtaxat neceſsitatem peccandi *in genere*, talem ſcilicet, *ut*, quemadmodum ipſe ait, *quoquoverſus ſe verterit* (homo lapſus) *in genere neceſſe ſit, illum male agere, ſic tamen ut in ſingulari nullum peccatum perpetret, quin ab eo poſſit abſtinere, ſed ab illo abſtinendo in aliud incidat, quod ſimiliter aliud faciendo, cavere potuiſſet* (147).

Id,

(145) Lib. 3. *de Statu Naturæ lapſæ* cap. 14.
(146) Lib. 4. *ejuſdem* cap. 19.
(147) Ibidem.

Digitized by Google

Id, inquam, ne leviſsime quidem, ut patebit conſideranti, mihi officit. Sive enim ad peccandum *in individuo*, ſive ad peccandum dumtaxat *in genere* neceſſario determinatus ille ſit, qui caret delectatione cœleſti *relative* victrice, ſtat ex æquo, illum in omni ſua actione neceſſario peccare; cum ſcilicet neceſſe ſit ſecundum Janſenium, ut in omni ſua actione vividiori terrenæ delectationi ipſe conſentiat. Certe velit, nolit Janſenius, alterutrum fateatur neceſſe eſt, nempe voluntatem noſtram aut nihil agere poſſe, ſed plane otioſam poſſe conſiſtere, tametſi altera duarum delectationum alteri prævaleat; aut, ſi quid agere voluntas ipſa tunc debeat, neceſſarium non eſſe, ut ſecundum illam delectationem, quæ gradibus ſuperior eſt, ipſa operetur: quorum certe neutrum admittere ille poteſt, quin ſibimetipſi apertiſsime contradicat, nempe quin falſum ſit, neceſſarium eſſe in hoc ſtatu, ut ſecundum id voluntas noſtra operetur, quod indeliberate ipſam magis delectat. Verum vel nullam eſſe neceſsitatem peccandi, uti revera nulla eſt; vel, poſitis Janſenii principiis, ipſam eſſe ad peccatum non tantum *in genere*, ſed etiam *in individuo*, infra opportunius demonſtrabitur.

COROLLARIUM XII.

101. *Voluntas neque circa bonum, neque circa malum libera eſt libertate exercitii; ſed neceſſario indeclinabili neceſsitate agit ipſa, quidquid modo agit ſive boni, ſive mali.* Certum enim eſt, poſitis Janſenii principiis, nihil nos agere boni, niſi quatenus *cœleſti*, nihil vero mali, niſi quatenus *terrenæ delectationi* vo-

lun-

luntas noſtra conſentit. Certum eſt autem, voluntatem noſtram, iiſdem principiis poſitis, non conſentire in operando delectationi *cæleſti*, niſi hæc *terrenam* excedat, neque *terrenæ* ipſam obſequi, niſi *cæleſtem* ſuperet. Ergo nihil boni agere poteſt voluntas, niſi *delectatio cæleſtis* validior ſit *terrena*; neque aliquid mali poteſt illa operari, niſi *delectatio terrena* gradibus ſuis ſuperior ſit *cæleſti*. Non libere autem *libertate exercitii*, ſed neceſſario *phyſica*, adeoque *indeclinabili neceſſitate* voluntas noſtra ſecundum Janſenium vividiori delectationi conſentit. Ergo non libere *libertate exercitii*, ſed neceſſario, *neceſſitate indeclinabili*, tam quod bonum, ſive juſtum, quam quod malum, ſive injuſtum eſt, voluntas noſtra in hoc lapſæ corruptæque naturæ ſtatu operatur.

SCHOLION I.

102. Ita porro etiam Janſenium ipſum docuiſſe, ambiget nemo, cui certo conſtiterit, eatenus, illius judicio, voluntatem noſtram tam in bono, quam in malo eſſe liberam, quatenus nihil prorſus ſive boni, ſive mali ipſa operatur coacta, & invita: libertas quippe *a coactione* non *neceſſitati*, ſed *exercitii* dumtaxat *libertati* adverſa eſt. Jam vero voluntatem noſtram eatenus tam in bono, quam in malo, docente Janſenio, eſſe liberam, quatenus non cogitur, neque trahitur invita, ex hoc uno illius teſtimonio patet luculentiſsime. Ait enim (falſo tamen) S. Bernardum *proлixiſsime*, *& conſtantiſsime docuiſſe*, *voluntatem ſemper eſſe liberam tam in* bono, *quam in* malo, *tam*

ſub

ſub gratia, *quam ſub* peccato, *quia expers eſt violentia, cogentiſque neceſſitatis* (148).

SCHOLION II.

103. Verum enimvero apertius adhuc id fiet, ſi conſideretur, quamnam libertatem ad *liberum arbitrium* in hoc lapſæ naturæ ſtatu Janſenius ipſe ſatis eſſe contendat. Si namque ad *liberum arbitrium* neget Janſenius requiri *libertatem exercitii*, ſive *a ſimplici neceſſitate*, ſed eam ſufficere modo ad ipſum velit, quæ dicitur *a coactione*, profecto non dubito fore, ut quiſque videat, mecumque fateatur, non aliam libertatem admiſſam ab Janſenio fuiſſe in voluntate circa bonum, & malum, niſi quæ *coactionem*, ſeu *violentiam* excludit; atque hinc nihil ipſam modo agere libere *libertate exercitii*, ſed neceſſario, *vera*, *reali*, & *phyſica*, adeoque *indeclinabili neceſſitate*, quidquid modo agit ſive boni, ſive mali, operari. In primis ergo eos omnes ille palam irridet, turpiterque errare ait, *qui imaginantur, illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt, in libero noſtræ voluntatis* arbitrio, *& illius tantum nos eſſe dominos, quem pro libitu noſtro, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, poſſumus facere & non facere* (149). Duplicem deinde diſtinguens *neceſſitatem*, alteram ſcilicet, *quæ operatur effectum ſuum, etſi nolis, ſeu quantumvis renitaris*, alteram, *qua ſimpliciter neceſſe eſt, aliquid fieri ſine reniſu voluntatis*, docet, *neceſſitatem illam primam capitaliter repugnare libertati, eamque fun-*

(148) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 13.
(149) Lib. 6. *ejuſdem* cap. 4.

Digitized by Google

funditus perimere ; *non autem illam*, *quæ eſt ſimul voluntaria* , *qua ſcilicet neceſſe eſt* , *aliquid fieri* , *non repugnante*, *ſed immutabiliter volente voluntate* (150). Pluribus quoque præmiſsis ejuſdem furfuris , *aperte conſentaneum eſſe* , ait , *omnem omnino voluntatem*, *quantumcunque ad unum determinatam* , *nulla tali neceſsitate* , *qua dicitur* neceſſe eſſe , ut velit , *deſinere eſſe liberam* , *quia non deſinit eſſe voluntas* , *quæ non eſſet*, *ſi nollemus*. *Sicut enim*, inquit , *omnis voluntas neceſſario eſt voluntas*, *ita juxta hoc principium etiam* liberi arbitrii. *Neque enim quemquam eo abſurditatis erupturum arbitratur* , *ut qui ad unum volendum determinatus eſt* , *non velle ſuſciperet* ; *cum ardenter*, *tenaciter* , *conſtanter velle* , *& ita velle aliquid* , *ut contrarium ejus velle non poſsit*, *ſit maxime velle*, *& idcirco maxime in poteſtate* , *& maxime liberum* (151). Docet , ex libertate beatorum tam hominum , quam Angelorum invicte demonſtrari , *ſimplicem neceſsitatem*, *ſublata omni omnino* indifferentia *&* contrarietatis , *&* contradictionis *non officere libertatis arbitrio* (152). Ait conſequenter, *dum Auguſtinus docet* , *liberum arbitrium Beatorum ita liberum eſſe* , *ut peccare non poſsit* , *nullo modo iſtud velle* , *quod Scholaſtici imaginantur*, *de* indifferentia *ad hoc* , *vel* illud bonum; *ſed quod liberum arbitrium erit* liberrimum *in illo ipſo affectu & voluntate non peccandi*, *hoc eſt*, *in illa ſtabili*, *perpetua*, *& immutabili voluntate non deficiendi ex amore Dei* (153). Ait , *paradoxum in Auguſtini do-*

(150) Ibidem cap. *6*.
(151) Ibidem.
(152) Ibidem cap. 8.
(153) Ibidem.

Digitized by Google

doctrina inauditum eſſe , quod actus aliquis voluntatis propterea liber ſit , quia ab illo deſiſtere voluntas , & non agere poteſt (154) Ait, S. Auguſtinum *nullam* ſimplicis neceſsitatis *determinationem , ſed tantummodo illam primam inſtar ponderis prementem cogentemque libertati voluntatis metuere* (155). Ait , S. Joannem Chryſoſtomum non aliter probare , *Paulum* libero arbitrio *ſine neceſsitate eſſe converſum , niſi quia voluntas ejus affuit , quia volens fecit , quia non invitus, non neceſsitate coactus* ; atque hæc omnia eſſe indicia, *quod nullum vereatur liberæ voluntati , niſi ex* neceſsitate coactionis *præjudicium* (156). Ait , *non requiri aliud* ſecundum S. Proſperum *ad libertatem , niſi ut* voluntas *rem placitam ſponte velit, aut appetat, nulla cujuſquam indifferentiæ habita ratione*.(157). Ait , ſecundum Bedam *a libertate arbitrii ſolam neceſsitatem violentiæ , quæ ſcilicet , velimus , nolimus , operatur effectum ſuum excludi* (158). Ait , *libertatem a qua dicitur* liberum arbitrium , *non aliam eſſe , quam libertatem a coactione* (159). Ait, *nullam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocunque voces nomine , ſed ſolam coactionis neceſsitatem* libertati arbitrii *repugnare* (160) , eamque *ſolam* illi *eſſe inimicam* (161). Ait demum S. Auguſtinum *ſentire , & conſtanter docere* ; li-

 ber-

(154) Ibidem.
(155) Ibidem cap. 10.
(156) Ibidem cap. 12.
(157) Ibidem cap. 13.
(158) Ibidem cap. 14.
(159) Ibidem cap. 21.
(160) Ibidem cap. 38.
(161) Ibidem.

Digitized by Google

bertati arbitrii *ſolam neceſsitatem coactionis , ſeu quæ etſi nolumus , efficit id , quod poteſt , eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium , ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum* (162) addens , profecto non minus falſo, quam temere , *quicunque aliam* libertatem arbitrii (*qualis præſertim poſt Magiſtri ſententiarum tempora ſub nomine* libertatis *defendi cæpit*) *in Auguſtini ſcriptis quærit , oleum , & operam perdere* ; nec unquam fore , ut *exitum ex labyrintho inextricabili plurium difficultatum inveniat* (163). Imo hiſce non contentus, *fidenter dico* , inquit, *quicunque doctrinam iſtam ab ſe traditam erroris inſimulare auſus fuerit, non Auguſtinum, non Bernardum , ſed Philoſophiam fortaſsis Ariſtotelis ducem ac patronam habiturus eſt , & in iſta catholicæ doctrinæ culmina , & columina* (*ut nihil de cæteris loquar*) *neceſſe eſt , ut anathema primum dicat* (164).

SCHOLION III.

104. Hiſce porro, ſi ea etiam , quæ de neceſsitate peccandi ille ipſe tradit, adjiciantur, certiſsimum plane fiet, ut ſpero , quod rei noſtræ caput eſt , humanam ſcilicet voluntatem *neceſſario* , non *libere* , tam quod juſtum , quam quod injuſtum eſt , ſecundum Janſenium operari. Palam ergo docet Janſenius, aperteque contendit , *S. Auguſtinum ſæpiſsime conſtantiſſimeque docere , jam poſt lapſum ante adventum gratiæ* (nempe ante cœleſtem delectationem relative victricem) *ita peccatum a voluntate committi, ut*

(162) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 3.
(163) Ibidem cap. 4.
(164) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 38.

Digitized by Google

ut ab eo abſtinere non ſit amplius liberum, ita videlicet ut abſtinendo non peccet. Nam, inquit, *ſi ab uno peccato abſtinendo, neceſſario perpetrat aliud, non eſt ſatis illa libertas, ut per eam dicatur liberum eſſe a peccato abſtinere. Hoc enim poſtulat* (proſequitur ille) *talem libertatem voluntatis, ut peccatum, de quo agitur, ſine novi peccati perpetratione poſſit omittere, ſive ſimpliciter abſtinendo, hoc eſt, non agendo, ſive aliam actionem agendo non malam* (165). Ait, eundem ipſum docere, *a peccatis illis, quæ ſunt etiam pœna peccati* (cujuſmodi nempe, ipſius Janſenii ſcilicet judicio, ea ſunt omnia, quæ modo à nobis fiunt) *non eſſe jam liberum abſtinere*; hujuſque cauſam eſſe, *quia voluntas nihil ad reſiſtendum valet ſub dominante cupiditate* (166). Vult enim, *per ſolam gratiam* (ſcilicet per cœleſtem relative victricem delectationem) *nos a peccandi neceſſitate liberari*, hacque non liberante, *neceſſitatem illam partes ſuas agere, & ita premere eos, quos ſibi ſubjectos tenet, ut eis a peccando abſtinere non ſit liberum, & quamvis ſupplicio legis territi abſtinere ſubinde velint, abſtinere tamen non poſſint* (167). Unde alio loco idipſum confirmans, ſcribit, eum, *qui per originalis peccati plagam illa generali, & humanis viribus indelebili creaturæ cupiditate poſſeſſus eſt, neceſſario peccare aliquo cupiditatis actu, niſi illa inſpirata cœlitus Creatoris charitate* (nempe cœleſti delectatione) *ſuperetur* (168). Hæc porro cum ita ſint, haud mirandum profecto, ſi ſcribe-

F 2

(165) Lib. 3. *de Statu naturæ lapſæ* cap. 9.
(166) Ibidem cap. 10.
(167) Ibidem cap. 12.
(168) Lib. 4. *ejuſdem* cap. 19.

bere veritus ille non fuerit, in percipienda S. Auguſtini mente eos omnes falli, *qui cum audiunt*, *omne peccatum voluntate*, *& libera voluntate*, *ſeu* libertate, *non* neceſsitate *committi*, *itemque debere eſſe* voluntarium, *non* neceſſarium, *& eſſe debere* liberum *ab eo abſtinere*, *putant*, *illis phraſibus ſuas cogitationes de illa* exercitii, *ſeu* contradictionis libertate *ſtabiliri*, *qua quis peccatum hic*, *& nunc poſsit facere*, *& vitare*, *committere*, *& ab eo*, *ſaltem aliud perpetrando*, *abſtinere*; *rejicique* neceſsitatem *illam*, *qua quis ad peccatum iſtud ſingulare hic*, *& nunc perpetrandum determinatur* (169). Ratum quoque habet alio loco, S. Auguſtinum *ſemper agnoviſſe*, *actum eſſe liberum ea libertate*, *quæ ad peccandum ſufficit*, *quamvis identidem*, *& conſtanter neget*, *eſſe liberum ea libertate ad faciendum bonum*, *& malum*, *quam Scholaſtici poſtulant* (170), nempe libertate a phyſica neceſsitate. Concludit propterea, *tunc arbitrium ad peccandum eſſe maxime liberum*, *quando peccata cum quadam ſuavitate*, *ſeu delectatione perpetrantur* (171). Nihil itaque certius in Janſenii doctrina eſt, quam humanam voluntatem poſt Adæ culpam non libere *libertate exercitii*, ſed neceſſario *indeclinabili neceſsitate* operari malum; eamque ob id tantum dici liberam, quia non cogitur, ſed ex prævia cognitione, & delectabiliter, ſive cum complacentia illud operatur. Jam vero, quis non videt, neceſſario quoque dicendum fore a Janſenio, voluntatem ipſam etiam circa bonum nonniſi hac libertate eſſe liberam? Profecto ille

(169) Lib. 4. *de Statu Naturæ lapſæ* cap. 21.
(170) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 15.
(171) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 7.

Digitized by Google

ille ipſe palam aperteque aſſerit, *tunc arbitrium dici liberum in bono, quando delectabiliter, & lubenter opus bonum facit* (172), quemadmodum paulo antea illud tunc maxime liberum ad peccandum dixerat, quando cum quadam ſuavitate, ſeu delectatione peccata perpetrantur. Stat ergo ſecundum Janſenium non aliam in nobis modo eſſe libertatem circa bonum, & malum, niſi quæ *a coactione* dicitur; & ideo cum hæc *ſimplici neceſſitati* non repugnet, ſed potius cum illa maxime cohæreat, ſtat, voluntatem noſtram in hoc lapſæ naturæ ſtatu nihil ſive boni, ſive mali libere agere *libertate exercitii*, ſed neceſſario *indeclinabili neceſſitate* utrumque operari.

ANIMADVERSIO.

105. Vel fucum facit, vel ſibi non conſtat Janſenius, dum fatetur, neceſſe quidem eſſe, ut homo poſt Adæ culpam male agat in genere, *ſic tamen ut in ſingulari nullum peccatum perpetret, quin ab eo poſſit abſtinere, ſed ab illo abſtinendo in aliud incidat, quod ſimiliter aliud faciendo cavere potuiſſet* (173). Hæc, inquam, docens Janſenius, vel fucum facit, vel ſibi certe non conſentit. Certum enim eſt, illius poſitis principiis, eandem prorſus utriuſque delectationis, ſi *relative* victrix fuerit, ad inflectendam voluntatem eſſe vim & efficaciam. Utraque ſiquidem ex æquo, hoc ipſo quod ſit gradibus ſuperior, neceſſario voluntatem ad *operandum* determinat, cum nempe, illo docente, univerſaliter neceſſe ſit, voluntatem noſtram il-

(172) Ibidem.
(173) Lib. 4. *de Statu Naturæ lapſæ* cap. 19.

Digitized by Google

lud ſequi, & ſecundum illud operari, quod ipſam magis delectat. Jam vero certum eſt, eundem ſi audiamus, cœleſtem *relative* victricem delectationem gratiæ non generalem tantum bene agendi neceſsitatem inducere, ſed ſingularem, & quæ *neceſsitas exercitii* nuncupatur, ſic nempe, quemadmodum egregie habet Cl. P. Dechamps, *ut qui victrici delectatione ad amorem* caſtitatis *exempli cauſa inflammatur, non generali tantum bene agendi neceſsitate conſtrictus ſit, ſed ad* caſtitatem *actu amandam impellatur neceſſario* (174). Affirmat quippe Janſenius, medicinalem Chriſti gratiam eſſe, *qua donatur a Deo non ſolum volendi agendique facultas, ſed ipſum velle, & agere, ſeu ipſa voluntas, & actio; & ſic donatur, ut ſine tali adjutorio nihil bene velimus, & agamus, hoc eſt, ut hoc adiutorium ſit ſingulis omnino operibus neceſſarium, illud videlicet, quod in ſingulis operibus, ut fuſiſsime probatum eſt, imploratur* (175). Perſpicuum præterea eſſe ait, *neminem poſſe velle quidquam, aut facere, hoc eſt, neque credere, neque ſperare, neque diligere, neque ſobrie, juſte, pie, continenter vivere, neque tentationem impugnantem ſuperare, vel aliud quidquam bonum facere, niſi* hic, *&* nunc *voluntas ejus* (per cœleſtem ſcilicet relative victricem delectationem gratiæ) *ad hoc determinetur. Quamdiu enim*, inquit, *non determinatur* hic, *&* nunc, *tamdiu non vult, & conſequenter tamdiu non credit, non ſperat, non diligit. Quiſquis ergo petit à Deo, ut aliquid velit, ut credat, ut diligat, ut aliud quidquam boni operetur, hoc ipſo directe petit, ut ad illa voluntas ejus* hic, *&* nunc *determinetur*

(174) Lib. 2. *de Hæreſi Janſen.* Diſp. 4. cap. 4. n. 6.
(175) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 21.

Digitized by Google

terminetur. Ipſa igitur determinatio voluntatis etiam hic, *&* nunc *ad volendum, & operandum, eſt proprie dictum divinæ gratiæ donum, utpote non ſolum* ſine qua *non fiat, ſed* qua *fiat, ut voluntas determinetur* (176). Vult ergo Janſenius, humanam voluntatem determinari a cœleſti *relative* victrice delectatione non ſolum ad bene operandum in genere, verum etiam ad opus bonum in individuo peragendum, e. c. ad *amorem honeſtatis*, dum, tentatione urgente, voluntas ipſa ad turpia ſollicitatur. Ergo fateatur haud diſsimili ratione ille ipſe neceſſe eſt, a delectatione terrena itidem *relative* victrice voluntatem determinari non tantum ad malum in genere, ſed etiam in individuo, ita nimirum ut, quemadmodum habet laudatus P. Dechamps, *ſingularis illa delectatio mala, eaque victrix, qua quis hic, & nunc ad* vindictæ *deſiderium incitatur* (*idem de aliis eſto judicium*) *voluntatem neceſſario applicet ad* vindictæ amorem *neceſſario exercendum. Nam, ut præmonui, eandem* gratiæ victrici, *&* dominanti concupiſcentiæ *vim tribuit ad voluntatem, quocumque incubuerit, neceſſario inclinandam* (177). Docet enim univerſaliter Janſenius, ut eſt jam viſum, voluntatem in hoc lapſæ naturæ ſtatu ei neceſſario obſequi, & ſecundum illud neceſſario operari, quod ipſam magis *indeliberate* delectat. Hinc doctiſsimus P. Graveſon, *hoc*, inquit, *præcipuum, ac velut unicum totius doctrinæ Janſenii fundamentum, in hoc ſitum, quod ſicut homo in ſtatu naturæ lapſæ motus cæleſti delectatione, gradibus cupiditatis ſuperiori, ac relative victrici, neceſsitatur ad* hoc, *vel* illud bonum

(176) Ibidem cap. 22.
(177) Lib. 2. *de Hæreſi Janſen.* Diſp. 4. cap. 4. n. 7.

num in particulari *agendum*, *ita ut ſub imperio cæleſtis illius delectationis non retineat* potentiam proximam, expeditam, & relativam *ad actum oppoſitum*; *ita aſſerit Janſenius*, *hominem in ſtatu naturæ lapſæ motum terrena delectatione*, *quæ ſuperior ſit delectatione cæleſti*, *neceſſitari ad* hoc, *vel* illud peccatum in particulari *committendum*, *ita ut dominante terrena illa delectatione*, *homo in ſtatu naturæ lapſæ non habeat* potentiam proximam, expeditam, & relativam *ad actum oppoſitum.........Igitur juxta doctrinam Janſenii homo in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatur ad peccandum non ſolum* in genere, *ſeu* neceſsitate ſpecificationis, *ſed etiam* neceſsitate exercitii, *hoc eſt*, *neceſſitatur in particulari ad* hoc *videlicet* peccatum *perpetrandum* (178).

SCHOLION IV.

106. Ceterum neceſſario futurum in ſyſtemate Janſeniano, ut voluntas noſtra non libere *libertate exercitii*, ſed neceſſario *indeclinabili neceſſitate*, tam quod juſtum, quam quod injuſtum eſt, modo operetur, diſertiſsime itidem affirmat laudatus P. Graveſon. Ajunt enim Janſenius, & Janſeniſtæ, inquit ille, *liberum hominis arbitrium ante Adami peccatum fuiſſe conſtitutum in æquilibrio*, *quod nulla omnino præveniens delectatio vel cæleſtis*, *vel terrena in alteram partem flecteret*; *ſed ipſe*, *adhuc in ſtatu innocentiæ poſitus*, *proprio nutu*, *ut libuiſſet*, *inclinaret*, *atque ita hominem innocentem perfecte fuiſſe liberum libertate indifferentiæ*; *at per peccatum Adami ſublato illo æquilibrio*, & *abo-*

(178) Claſſ. 1. Epiſt. 6. pag. 98.

Digitized by Google

abolita funditus hac indifferentia, hominem ita eſſe delectationis vel cœleſtis, vel terrenæ mancipium, ut neceſſario eat, quo trahit illa delectatio. Enimvero indeliberata cœleſtis delectatio, ſi ſit relative victrix, & fortior, ac ſuperior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, neceſſario hominem trahit ad pios actus. Sin vero indeliberata concupiſcentiæ terrena delectatio ſit relative victrix, & major, ac ſuperior oppoſita cœleſti delectatione, tunc homo æſtro quodam ſenſibilis, ac majoris hujus delectationis ad flagitia rapitur, ſicque in conflictu duarum illarum delectationum, quarum una gradibus alia præponderat, eaque fortior ac ſuperior eſt, oportet, ut minor delectatio neceſſario cedat majori (179). Hinc etiam Illuſtriſsimus Viennenſis Archiepiſcopus, præmiſſo, *voluntatem numquam poſſe*, auctore Janſenio, *ſuum denegare conſenſum illi e duabus* delectationibus, *quæ actu prædominatur, itaque*, inquit, *ſub imperio gratiæ* (nempe delectationis cœleſtis relative victricis) *ſemper bene, ac invincibiliter, &* neceſſario bene; *e contra vero ſub cupiditatis imperio ſemper male, ac inſuperabiliter, &* neceſſario male *operabitur voluntas* (180).

COROLLARIUM XIII.

107. *Voluntas ſub gratia efficaci non eſt libera* libertate exercitii, *ſive a ſimplici neceſſitate*. Efficax enim gratia non diſtinguitur in hoc ſyſtemate a cœleſti indeliberata delectatione *relative* victrice, nempe ſuperante gradibus ſuis carnalem cupiditatem, cui tunc

(179) Claſſ. 2. Epiſt. 6. pag. 122.
(180) P. 1. *Janſeniſmi redivivi* art. 1. n. 14.

Digitized by Google

tunc voluntas obnoxia eſt. Voluntas autem ſub delectatione *relative* victrice non eſt libera *libertate exercitii*, ſive a ſimplici neceſsitate. Ergo &c.

SCHOLION I.

108. Docet Janſenius, *gratiam, quæ facit facere,* nempe gratiam efficacem, *directe repugnare libertati, ſi libertas in indifferentia agendi, & non agendi ſita eſt*, videlicet ut dixerat initio capitis, *ſi non ſit alia libertas vera voluntatis, quam agendi, & non agendi, ſeu faciendi, & abſtinendi ab eo quod facit* (181). Alibi quoque palam aperteque contendit, S. Auguſtinum *nec unquam vel ſemel, nec ex profeſſo tradere, nec per tranſennam inſinuare, ſalvam eatenus manere ſub gratia libertatem* voluntatis, *quatenus actum volendi ſic exerit, ut eum poſsit ſuſpendendo continere* (182), nempe, ut ipſe ait paulo antea, *quatenus ſub ejus efficacia determinante voluntatem, ut velit, & agat, ſimul poteſtas maneat, ut non velit, & non agat* (183), ſive *ut arbitrium voluntatis ea ratione liberum ſub gratia eſſe cenſeat, quia ſemper per gratiam ita vult, & agit, ut ſimul poſsit nec velle, nec agere* (184). Propterea *ex omnibus operibus, quæ adverſus Pelagianos S. Auguſtinus compoſuit*, demonſtrandum ab ſe eſſe ait, irrito tamen conatu, *numquam Auguſtinum reſpondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, iſtum conciliandi modum te-*

(181) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 14.
(182) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(183) Ibidem.
(184) Ibidem.

Digitized by Google

tetigiſſe, *quod voluntas ita per gratiam velit*, *ut poſſit non velle* (185).

SCHOLION II.

109. Quod ſi, ſepoſito partium ſtudio, attente conſiderare velimus, quonam ſenſu dumtaxat ſecundum Janſenium voluntas noſtra ſub *gratia efficaci* ſit libera, fateamur profecto vel inviti neceſſe eſt, nihil conſtare apertius, quam voluntatem ipſam ſub *gratia efficaci*, illius judicio, non eſſe liberam *libertate exercitii*, ſed neceſſario *indeclinabili neceſſitate*, quidquid ſub illa agit, ipſam operari. Manifeſte ſiquidem ille docet, & inculcat ſæpiſsime, voluntatem ideo ſub *gratia efficaci* eſſe liberam, quia per eam non cogitur, adeo nimirum ut in hoc unico, quemadmodum ipſe ait, poſita ſit concordia gratiæ, & liberæ voluntatis, *quod arbitrium non inſtar trunci vacet*, *aut cogatur invitum*, idque in Auguſtino *tam eſſe perſpicuum*, *& toties repetitum*, *ut profecto*, inquit ille, *neceſſe ſit*, *vel cæcum eſſe*, *qui non viderit*, *aut contentioſiſſimum*, *qui negaverit* (186). Ratum itaque fixumque habet, non aliam eſſe concordiam *gratiæ*, *& liberi arbitrii*, niſi *quia quantumcumque gratia voluntatem efficaciter trahat*, *ſemper motus ejus manet voluntarius*; *& expers violentiæ*, *cogentiſque neceſſitatis*, *& proinde liber* (187), nempe *gratiam qualemcumque*, *quæ etiam immutabiliter velle facit bonum*, *liberum relinquere voluntatis arbitrium*, *quia libere nulla neceſſitate coactio-*

(185) Ibidem.
(186) Ibidem cap. 8.
(187) Ibidem cap. 13.

Digitized by Google

ctionis, *ferri facit in bonum* (188), ſive quia *quantumcunque fortiter operetur*, *non cogit voluntatem*, *nec extorquet conſenſum*, *ſed efficit*, *ut ipſa voluntas ultronee*, & *ſponte velit*, *atque conſentiat* (189). Ait proinde, *gratiam quantumcunque efficacem*, *etiam talem*; *qualis in cœlo cum ſumma delectatione dabitur*, *nullo modo tollere libertatem*, *quia non tollit voluntatem*, *hoc ipſo videlicet*, *quo eam non cogit*, *aut invitam rapit* (190). Hinc *nullam neceſsitatem libertati voluntatis formidandam eſſe* contendit, *niſi* coactionis, *ſeu illam*, *quæ operatur effectum*, *etſi nolimus*; *hoc eſt*, *invita*, & *renitente voluntate* (191). Addit autem, nimia profecto confidentia, ut modeſte loquar, inter veteres Patres ne unum quidem inveniri poſſe, *qui aliter gratiæ influxum cum libertate conciliarit*, *quam Auguſtinus*, *Proſper*, & *Fulgentius fecit*, *hoc eſt*, *quia non ſola gratia facit opus*, *renitente*, *invita*, *coacta voluntate*, *nec arbitrium inſtar trunci agitur*, *aut vi neceſsitatis cogitur*; *ſed gratia facit*, *ut etiam liberum arbitrium aliquid agat*, & *voluntario motu* (ſcilicet non coacte, ſed volens, ac lubens) *feratur in bonum* (192); atque rationem hanc conciliandi efficaciam gratiæ cum arbitrii libertate ait *in Auguſtini ſcriptis ita perſpicuam eſſe totieſque frequentatam*, *ac tantum ſilentium illius indifferentiæ contradictionis*, *tamquam libertati neceſſariæ*, *de qua nunc vehemens diſceptatio eſt*, *ut ad ſalvandam* arbitrii libertatem *ſub* gra-

(188) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 13.
(189) Ibidem.
(190) Ibidem cap. 15.
(191) Ibidem cap. 14.
(192) Ibidem cap. 12.

Digitized by Google

gratia *nunquam eam vel ſemel adhibuerit in univerſis ſuis adverſus Pelagianos lucubrationibus , ut merito ſuſpicari aliquis poſſet , iſtam* libertatis *rationem , de qua tantopere contenditur , eſſe meræ Philoſophiæ fœtum , & a nullis antiquis gratiæ defenſoribus , Auguſtino , Proſpero , Fulgentio , ſub nomine* libertatis arbitrii *propugnatam , requiſitam , agnitam fuiſſe* (193). *Nam* , inquit , *Auguſtino , diſcipulis , & poſteris ejus definitio iſta* liberi arbitrii , *qua nunc Scholaſtici quidam id eſſe volunt* , quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere , & non agere , *ita videlicet ut , ſicut ipſi intelligunt , tam agere , quam non agere , cum omnibus ad agendum prærequiſitis , pro mero beneplacito voluntatis conjungi , disjungique poſſit , ad multa ſæcula fuit ignotiſsima , ſicut etiamnum ab omnibus , qui gratiam phyſice determinantem liberum arbitrium tuentur , velut Chriſti gratiæ capitaliter inimica reprobatur* (194). Hinc demum factum eſſe putat Janſenius , *cur Auguſtinus , Proſper , Fulgentius , & omnes illi antiqui toties inculcent contra Pelagianos , qui* liberi arbitrii *interitum ex* gratia *ſequi conclamabant , quod gratia non cogat voluntatem , non invitam trahat , non inferat vim , aut violentiam ; nempe quia juxta principia eorum* , inquit ipſe , *nulla gratiæ efficacia , nulla neceſsitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt , ſed ſola vis , coactio , & neceſsitas violentiæ* (195). Jam vero ſi voluntas ſub *gratia efficaci* non alia ratione ſecundum Janſenium eſt libera, niſi quia non cogitur , neque ad volendum bonum, quod

(193) Ibidem cap. 9.
(194) Ibidem cap. 19.
(195) Ibidem.

Digitized by Google

quod per eam vult, trahitur reluctans & invita, ipſa profecto meridiana luce, niſi vehementer mea me opinio fallat, clarius eſt, voluntatem ipſam ſub *gratia efficaci* non eſſe liberam, Janſenii judicio, *libertate exercitii*, ſive, ut vocant, *a ſimplici neceſſitate*, ſed ea dumtaxat, quæ *a coactione* nuncupatur.

ANIMADVERSIO I.

110. Res cum ita ſit, ſibimetipſi profecto non conſtat Janſenius, dum alibi ſcribit, *liberum arbitrium, quantumcunque vehementi, atque* efficaci *gratiæ* delectatione *præventum ac determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum non tantum non facere, ſed etiam malum* (196). Si namque liberum arbitrium, determinatum a *gratia efficaci* ad faciendum bonum, poteſt bonum ipſum non facere, cur, quæſo, eos palam aperteque irridet alio loco, qui docent, *arbitrium voluntatis ea ratione eſſe liberum ſub gratia, quia ſemper per gratiam ita vult, & agit, ut ſimul poſſit nec velle, nec agere* (197)? Cur contendit, S. Auguſtinum nunquam vel ſemel, nec ex profeſſo tradidiſſe, nec per tranſennam inſinuaſſe, *ſalvam eatenus manere ſub gratia libertatem voluntatis, quatenus actum volendi ſic exerit, ut eum poſſit ſuſpendendo continere*, ſive *quatenus ſub ejus efficacia determinante voluntatem, ut velit, & agat, ſimul poteſtas maneat, ut non velit, & non agat* (198)? Hæc namque ſi ex animo vera eſſe putat, quomodo deinde

(196) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 20.
(197) Ibidem cap. 5.
(198) Ibidem.

Digitized by Google

de poteſt ſimul eſſe verum, illius quoque judicio, liberum arbitrium, *efficaci* gratiæ *delectatione* præventum & determinatum, *poſſe bonum non facere*? Mea quippe ſententia, ejuſmodi certe hæc ſunt, ut Dælio natatore indigeant. Præterea ſi liberum arbitrium, *efficaci* gratiæ *delectatione* præventum & determinatum, *poteſt*, ut ipſe ait, *bonum non tantum non facere*, *ſed etiam malum*, quomodo ſtat, quod alibi ipſe tradit, videlicet *juſtitiæ*, *vel peccati delectationem eſſe illud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter poſſidetur, & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem*, ita nempe *ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit* (199)? Si namque hæc minime pugnant inter ſeſe, quænam, quæſo, inter ſe pugnant? Ac demum, cum *gratia efficax* ſecundum Janſenium ſit delectatio cœleſtis ſuperior gradibus ſuis carnali cupiditate, quomodo ſtare poteſt, liberum arbitrium ſub gratia efficaci *poſſe bonum non tantum non facere*, *ſed etiam malum*, ſimulque neceſſarium eſſe *vera*, *reali*, & *phyſica neceſſitate*, ut voluntas ſecundum id operetur, quod ipſam magis delectat? Etenim ſi voluntas ſub *gratia efficaci*, nempe ſub delectatione cœleſti relative victrice *poteſt bonum non facere*; ergo poteſt non conſentire vividiori delectationi, qua percellitur: & ſi poteſt illi non conſentire; ergo neceſſarium non eſt, ut ſecundum illam operetur. Similiter, ſi ſub illa delectatione gratiæ poteſt voluntas *facere malum*: ergo poteſt obſequi delectationi debiliori, terrenæ ſcilicet, vividiore, nempe cœleſti relicta; & ſi hoc, quomodo ſtabit, *ut in conflictu de-*
le-

(199) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.

Digitized by Google

lectationum non aliud animo amplecti , nec ad aliud amandum , ſequendumque moveri (voluntas) *poſsit, niſi quod vehementius* , ut ipſe ait , *delectaverit* (200)? Scio equidem, ne quid diſsimulem, ipſum docere , liberum arbitrium , efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum , poſſe bonum non tantum non facere , ſed etiam malum , *non quidem , in ſenſu compoſito , ſed in ſenſu diviſo* ; nimirum *quia* , ut ipſe ait, *eodem tempore , quo voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt, imo quo etiam actum voluntatis bonum facit , eſt in eadem voluntate poteſtas illud non faciendi , imo peccandi, non quod ceſſatio ab actu , quem tunc elicit , aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu conſiſtere poſsit (quod ſenſus compoſitus poſtularet) ſed quia ceſſandi , & peccandi poteſtas cum eadem gratia ſimul in eodem voluntatis arbitrio conjungi poteſt* (201). Hæc , inquam , ſcio a Janſenio tradi. At , quomodo cum alia ejuſdem doctrina , cum ea ſcilicet , quam modo ex ipſo præmiſimus , componi queant prorſus ignoro. Haud nempe intelligo , quomodo vera ſimul eſſe poſsint hæc duo, videlicet *eodem tempore , quo voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt , imo quo etiam actum bonum facit , eſſe in eadem voluntate* poteſtatem *illud non faciendi , imo peccandi* , ſimulque *juſtitiæ , vel peccati delectationem eſſe illud vinculum , quo liberum arbitrium in juſtitia , vel peccato ita firmiter ligatur , & retinetur , ut quamdiu iſto ſtabiliter poſsidetur , &* con-

(200) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.
(201) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 20.

Digitized by Google

conſtringitur, *actus oppoſitus ſit extra ejus* poteſtatem (202), ſicuti etiam animo comprehendere haud valeo, quomodo ſi verum eſt, *ceſſandi*, ſcilicet ab actu bono, *&* *peccandi* poteſtatem *cum eadem gratia ſimul in eodem voluntatis arbitrio conjungi poſſe*, quod hic ille docet, ſimul verum eſſe poſsit, quod alibi ipſemet tradit, videlicet eos omnes riſu dignos eſſe, qui ajunt, ſtare arbitrii libertatem cum gratia efficaci, quatenus *ſub ejus efficacia determinante voluntatem*, *ut velit*, *&* *agat*, *ſimul* poteſtas *maneat*, *ut non velit*, *&* *non agat*, ſive *quia ſemper per gratiam* (efficacem) *ita vult*, *&* *agit*, *ut ſimul poſsit nec velle*, *nec agere* (203). Hæc enim ſi non pugnant inter ſe, quæ pugnent, profecto haud video. Quod ſi dicat Janſenius, non alio ſenſu ab ſe intelligi, voluntatem ſub efficaci gratiæ delectatione *poſſe non tantum bonum non facere*, *ſed etiam malum*, ſive *peccandi poteſtatem* cum gratia efficaci *in eodem voluntatis arbitrio ſimul conjungi poſſe*, niſi quatenus voluntas ipſa, dum ſub victrice gratiæ delectatione eſt, poteſt propter ſuam naturalem flexibilitatem *ſub illa non eſſe*, *&* *eſſe ſub mala*. Id, inquam, ille ſi dicat, æquo ferat animo, ſi ipſe quoque dixerim, eum fucum facere, incautoſque decipere doctrina hac ſua perquam turpiſsime. Qui namque ajunt, neceſſario futurum ex illius principiis, ut voluntas ſub delectatione relative victrice non poſsit non agere id, ad quod agendum ab illa determinatur, nequaquam contendunt, voluntatem ipſam non poſſe ſub illa delectatione non eſſe, eaque non poſſe privari; ſed tantum phyſicam poten-

 tiam

(202) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(203) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 5.

Digitized by Google

tiam non operandi minime poſſe in voluntate ſimul cum illa delectatione componi. Etenim ſi neceſſe eſt *vera*, *reali*, & *phyſica neceſſitate* ſecundum Janſenium, ut voluntas vividiori delectationi conſentiat, repugnat profecto, inquiunt illi, & recte quidem, ut *veram*, *realem*, & *phyſicam potentiam* non operandi, ſeu non conſentiendi illi delectationi, dum ſub ea eſt, voluntas ipſa retineat.

ANIMADVERSIO II.

III. Hic proinde cum doctiſsimo P. Graveſon attente obſervetur velim, gratiam efficacem, nempe delectationem cœleſtem, quæ gradibus ſuis ſuperior ſit carnali cupiditate, cum qua in voluntate pugnat, ſe tenere ſecundum Janſenium ex parte *potentiæ*, ſive *actus primi*, non vero tantum ex parte *actus ſecundi*, hoc eſt, gratiam illam non applicare dumtaxat voluntatem ad actum, ſed *veram*, & *realem potentiam* per quam elicere actum ipſum poſsit, ipſi voluntati tribuere. *Alterum principium, quod doctrinæ Janſenii, ejuſque diſcipulorum inſtar eſt proræ ac puppis*, inquit Vir ille Cl., *in hoc potiſſimum ſiſtit, quod doceant, gratiam per ſe efficacem* (*quam, ut mox diximus, in cœleſti indeliberata delectatione, & gradibus terrenæ cupiditatis ſuperiore conſtituunt*) *ſe tenere ex parte* potentiæ, *ita ut gratia per ſe efficax, ſeu indeliberata cœleſtis delectatio gradibus cupiditatis ſuperior non ſupponat in voluntate hominis* veram, plenam, completam, *&* proximam poteſtatem *agendi*; *ſed ejuſmodi* potentiam *voluntati conferri ab ipſa gratia per ſe efficaci, dum illam per indeliberatam cœleſtem dele-*

cta-

Digitized by Google

ctationem gradibus cupiditatis ſuperiorem determinat ad bene agendum (204). Et ſane cum aperte doceat Janſenius, *niſi medicinali gratia, & adjutorio* (nempe delectatione cœleſti *relative* victrice) *vires priſtina* voluntatis *reſtaurentur*, *tam eſſe impoſſibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quam homini cæco, ut videat, vel ſurdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut recte gradiat* (205), ſicuti cæcus caret *potentia* videndi, ſurdus *potentia* audiendi, & tibiis fractus *potentia* recte gradiendi, ita *potentia* bene operandi is careat, illius judicio, neceſſe eſt, qui delectatione cœleſti *relative* victrice, nempe *gratia efficaci*, eſt deſtitutus; & ideo fateatur oportet, *potentiam* hanc ab *efficaci* ipſa *gratia* voluntati conferri. Accedit, ab eo etiam palam doceri, ideo neceſſariam eſſe victricem cœleſtem delectationem, ut delectatio terrena ſuperetur, ac proinde ut voluntas bene agat, *quia alioquin*, inquit ipſe, *voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſive tam intenſe, ac fortiter velle, quantum neceſſe eſt, ut tentatio, ſeu delectatio oppoſita ſuperetur* (206). Igitur ex Janſenio voluntas obtinet vires hujuſmodi, adeoque *potentiam* bene agendi a *gratia efficaci*.

ANIMADVERSIO III.

112. Sicuti unam tantum *libertatem a coactione* in voluntate admittit Janſenius, dum ſub cœleſti *relative* victrice delectatione eſt; ita nonniſi libertatem hujuſmodi ille quoque in ipſa voluntate agnoſcit, dum ſub

(204) Claſſ. 1. Epiſt. 1. pag. 8.
(205) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 1.
(206) Lib. 4. cap. 7.

Digitized by Google

ſub terrena itidem *relative* victrice delectatione exiſtit, & ſecundum illam operatur. Docet enim univerſaliter, *non minus carnalis concupiſcentiæ titillationes, quam gratiæ ſpiritales delectationes* capitalem, *ac* diametralem *cum indifferentiæ libertate* hoſtilitatem *exercere* (207), ſumta *libertate indifferentiæ* non pro illo perfecto æquilibrio, in quo erat humana voluntas ante Adami lapſum, ſed pro ea facultate, quam Janſenius ipſe vocat *potentiam agendi, & non agendi, ſeu faciendi, & abſtinendi ab eo, quod facit* (208), ac proinde pro ea libertate, quæ *libertas exercitii* vulgo jam nuncupatur. Hac itaque libertate circa malum, perinde ac circa bonum, ut vidimus, voluntati denegata, contendit Janſenius, *tunc arbitrium ad peccandum eſſe maxime liberum, quando peccata cum quadam ſuavitate, ſeu delectatione perpetrantur* (209), nempe quando libere fiunt *libertate a coactione*. Vult proinde, *non aliter liberum arbitrium in peccato quærendum eſſe, niſi quia vi delectationis, non alius quiſpiam cogens, ſed ipſe homo delinitus, propria voluntate peccatum facit* (210); atque hinc univerſaliter *voluntatem eſſe ſemper liberam tam in bono, quam in malo, tam ſub gratia, quam ſub peccato, quia expers eſt violentiæ cogentiſque neceſſitatis* (211).

ANI-

(207) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 14.
(208) Ibidem.
(209) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 7.
(210) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 9.
(211) Ibidem cap. 13.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO. IV.

113. Hæc cum ita ſint, luculentiſsime profecto, penituſque ad evidentiam, quantum mea opinio eſt, confirmatum manet, quod alibi demonſtravimus, nempe *veram*, *realem*, & *phyſicam neceſsitatem* ab Janſenio intelligi, cum principii loco aſſumit, *nos ſecundum id neceſſario operari*, *quod voluntatem noſtram fortius vividiuſque*, *indeliberata utique delectatione delectat*. Si namque ſecundum Janſenium, ut eſt modo viſum, humana voluntas ſub *relative* victrice tam *gratiæ*, quam *carnalis cupiditatis* indeliberata delectatione non eſt libera *libertate exercitii*, ſive *a neceſsitate phyſica*, ſed tantum *libertate a coactione*, perſuaſum profecto ille habuit, voluntatem ipſam neceſſario *neceſsitate phyſica* ab illa delectatione ad operandum determinari. Eccur enim Janſenius non aliam, niſi *a coactione*, voluntati, dum ſub *relative* victrice delectatione eſt, libertatem conceſsit, ſi *phyſice neceſſarium* minime cenſuit, ut ſecundum vividiorem delectationem voluntas ipſa operaretur? Fortene ignoravit, *moralem* operandi *neceſsitatem* non adverſari *libertati a neceſsitate phyſica*, ſed cum illa jungi amico fœdere, ſimulque componi? Dicendum itaque, non aliam ob cauſam Janſenium in eo fuiſſe totum, ut ſuaderet, ſolam *coactionis* neceſsitatem libero arbitrio adverſari, niſi quia pro certo habuit, eam modo eſſe ſeu naturam, ſeu conditionem humanæ voluntatis, ut *phyſice neceſſarium* ſit, ſecundum id eam operari, quod ipſam amplius indeliberate delectat.

SCHOLION III.

114. Tametſi porrò ſatis ex dictis conſtare cuique poſſe putem, non ſolum neceſſario conſequi ex Janſenii principiis, verum etiam palam ab illo doceri, inculcarique ſæpiſsime, humanam voluntatem ſub *gratia*, illius ſenſu *efficaci*, imo univerſaliter ſub delectatione *relativè* victrice, non eſſe liberam *libertate exercitii*, ſive, ut ajunt, *a ſimplici neceſſitate*, ſed tantum *libertate a coactione*: opportunum tamen cenſeo, nonnullorum quoque Theologorum auctoritate id confirmare, ut nempe videant omnes, me non eum eſſe unum, qui Janſenium ita docuiſſe dixerim. Omnium itaque primus ſit doctiſsimus P. Dechamps; ille ſcilicet, ut eum vocat P. Graveſon (212), *locupletiſſimus teſtis*, & *probatiſsimæ fidei Scriptor*, quem, tamquam Janſeniſtarum malleum (parcant partiarii) merito ſane optimoque jure omnes ſuſpiciunt. Quærens igitur laudatus Vir Cl., *quo ex capite Janſenius repetat ineluctabilem illam medicinalis gratiæ vim, quæ agendi neceſsitatem imponit?* reſpondet: *ex ratione delectationis victricis*: *quod*, inquit, *ut perſpicue exponatur, ſciendum eſt, medicinalem gratiam ex ejus mente eſſe delectationem cæleſtem, ſeu indeliberatum motum complacentiæ, aut deſiderii cælitus immiſsi. Nec illud obiter, & paucis docet, ſed integro fere libro probat* (213). *Docet* Janſenius (pergit ille) *voluntatem noſtram ita eſſe comparatam, ut ineluctabili neceſsitate eo inclinet, quo antegreſſa delectatio major, ſeu ar-*

(212) Claſ. 2. Epiſt. 4. pag. 95.
(213) Lib. 3. *de Hæreſi Janſen.* Diſp. 3. cap. 6. n. 2.

Digitized by Google

ardentior complacentiæ, aut deſiderii motus indeliberatus eam pellicit, ita ut ſi vel levis objecti alicujus delectatio amorque indeliberatus voluntatem demulceat, nec alia delectatione contraria oppugnetur, neceſſario conſenſum exprimat; ſi vero contrariæ delectationes duæ inter ſe confligant, illa quoque pari neceſsitate animum trahat, quæ magis delectaverit; quia neceſſe eſt, inquit (Janſenius), *ut id voluntas velit, quod eam magis delectat. Hinc eſt, quod docet, voluntatem, abſente delectatione cœleſti, titillantis concupiſcentiæ motibus indeliberatis neceſſario conſentire. Hinc quod aſſerit, Beatos idcirco præciſe Deum amare neceſſario, quia, extincta concupiſcentia, ſola in eis delectatio cœleſtis dominatur. Hinc denique, quod acriter defendit, voluntatem, contrariis gratiæ, & concupiſcentiæ delectationibus diſtractam, illi obſequi neceſſario, quæ alteram ſuavitate vincit. Habes* (ita rem claudit Cl. Auctor) *explicata paucis Janſeniani dogmatis adyta, & arcanam radicem vis illius* inſuperabilis, *quam ad voluntatis conſenſum neceſſario exprimendum medicinali gratiæ* (utique efficaci) Janſenius *attribuit* (214). Perſuaſum itaque habuit Cl. P. Dechamps, voluntatem noſtram, ſtando Janſenii principiis, ſub *gratia efficaci* non eſſe liberam *libertate exercitii*, ſive *a ſimplici neceſſitate*. Idipſum quoque cenſuit Leſcius Crondermus. Ait enim Janſenium docere, *quod quamvis Adam gratiam Dei, licet magnam, & validam ſola ſua voluntate ante peccatum impugnare, & abjicere potuerit; homo tamen poſt lapſum libero ſuo arbitrio Chriſti gratiam expellere non poſsit. Nam*, inquit, *talis ſecun-*

 dum

(214) Ibidem cap. 8.

dum ipſum ea eſt , ut faciat voluntatem invicte , *&* indeclinabiliter *bonum velle , & operari* (215). Sed clarius doctiſsimus P. Graveſon. Affirmat quippe , *primum doctrinæ Janſenii , ejuſque diſcipulorum principium in hoc ſitum eſſe , quod velint , gratiam in ſtatu naturæ lapſæ , quando ſuperior eſt gradibus cupiditatis, tunc eſſe per ſe , & ab intrinſeco efficacem ; eamque* neceſſario *per indeliberatam cæleſtem delectationem victricem determinare voluntatem humanam ad bonum; ſed vice verſa , quando terrena concupiſcentia , ſeu cupiditas dominatur , & ſuperior eſt gradibus cæleſtis delectationis , tunc voluntatem hominis per victricem carnalis concupiſcentiæ delectationem* neceſſario *determinari ad malum , ita ut in homine ſub motione gratiæ per ſe efficacis , ſeu ſub motione indeliberatæ cæleſtis delectationis victricis , & gradibus cupiditatis ſuperioris vera ſit , non quidem* abſoluta , *ſed* relativa impotentia *ad male agendum , & ſimiliter in homine ſub concupiſcentia dominante , & gradibus cæleſtis delectationis ſuperiore , ſit vera impotentia non quidem* abſoluta, *ſed* relativa *eliciendi bonum ; ſicque humana voluntas per illas delectationes indeliberatas , cæleſtem videlicet, & terrenam , alternatim rapiatur neceſſario ad bonum, vel ad malum. Ex quo doctrinæ Janſenii , ejuſque diſcipulorum principio nemo eſt , qui ſtatim non intelligat, manifeſto ſequi , voluntatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ habere dumtaxat potentiam , & indifferentiam paſsivam recipiendi alternatim indeliberatas illas delectationes , cæleſtem videlicet , & terrenam , ſed carere vera potentia activa agendi , vel non agendi , in qua tamen potentia , & indifferentia ſitam eſſe eſſentiam,* &

(215) Lib. 1. cap. 7. n. 3.

Digitized by Google

& germanam libertatis humanæ *rationem*, *docent omnes Theologi* (216). Alibi quoque idem Vir doctiſsimus, *docet*, inquit, *Janſenius pluribus in locis*, *naturam*, *& efficaciam gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ ſitam eſſe in cœleſti indeliberata delectatione relativa ad gradus concupiſcentiæ: quæ cœleſtis indeliberata delectatio*, *dum ſuperior eſt gradibus concupiſcentiæ*, *tunc per ſe*, *& ab intrinſeco eſt* efficax, *& voluntatem hominis* neceſſario, *citra tamen* coactionem, *&* violentiam, *determinat ad bonum*; *ſed verſa vice*, *quando in homine terrena dominatur concupiſcentia*, *& ſuperior eſt gradibus cœleſtis delectationis*, *tunc voluntas hominis per victricem carnalis concupiſcentiæ delectationem* neceſſario, *abſque tamen* coactione, *&* violentia, *determinatur ad malum* (217). Tenet ergo etiam Cl. P. Graveſon, humanam voluntatem ſub *relative* victrice tam gratiæ, quam carnalis cupiditatis delectatione non eſſe liberam ſecundum Janſenium *libertate a neceſſitate ſimplici*, ſed tantum *libertate a coactione*. Neque ſecus hac ipſa ſuper re ſentit Cl. P. Berti. Ex pluribus enim Janſenii teſtimoniis invicte & ipſe probat eum, Janſenium ſcilicet, *ſub delectatione victrici* (utique tam gratiæ, quam carnalis cupiditatis) *ſolam libertatem* ſpontaneitatis, *ac* lubentiæ *agnoviſſe*; *libertati* coactionem *ſolam*, *non vero* neceſſitatem *oppoſuiſſe*; libertatem indifferentiæ *tamquam paradoxum*, *& tamquam Pelagianum commentum rejeciſſe*; *nullam denique ab ipſo libertatem admitti ſub gratia*, *ſanctam delectationem inſpirante*, *præter libertatem illam*, *qua*

(216) Claſſ. 1. Epiſt. 1. pag. 8.
(217) Claſſ. 2. Epiſt. 2. pag. 47.

Digitized by Google

qua voluntas fertur in finem , qua homo appetit beatitudinem , qua Deus permanet bonus , qua Beatorum ſpiritus maxima jucunditate ac voluptate adhærent ſummo bono clare viſo , qua Chriſtus Patrem diligebat, qua (verbo dicam) volentes agimus , non coacti. Hanc eſſe hæreſim Janſenianam circa libertatem ſub gratia, dixi , inquit , *ubicunque hac de re inſtitui ſermonem* (218). Addit etiam , *Janſenianam hæreſim in iis præſertim , quæ ad gratiam , & libertatem attinet , a Calviniana parum , aut nihil differre* (219) Neminem certe neſcire puto , non aliam libertatem ſub gratia admiſſam fuiſſe à Calvino in voluntate , niſi *libertatem a coactione. Quid enim* , inquit Calvinus , *ſibi vult Auguſtinus, cum de libertate voluntatis loquitur ? Nempe quod toties repetit , non cogi homines invitos Dei gratia , ſed voluntarios agi , ut ſponte pareant , ac ſequantur* (220). Neque ſecus , perinde ac Janſenius , loquitur ille ipſe, agens de libertate , qua homo carnali concupiſcentiæ conſentit , & peccat. Ait quippe : *Hæc diſtinctionis ſumma obſervetur , hominem , ut vitiatus eſt ex lapſu , volentem quidem peccare , non invitum , nec coactum , affectione animi propenſiſſima , non violenta coactione: propriæ libidinis motu , non extraria coactione* (221). Ita demum ſenſiſſe Janſenium , fatetur diſertiſſime P. Ab. Migliavacca. *Vocabulo enim* , inquit , *gratiæ per ſeſe efficacis multo commodius abuti potuiſſent hæretici illi , qui voluntatem hominum ad motus & actiones ſuas compelli effutiebant impetu quarundam inſu-* pe-

(218) P. 2. *Apologiæ* Diſſert. 4. cap. 1. §. 3. n. 2.
(219) Ibidem num. 5.
(220) In Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6.
(221) Lib. 2. *Inſtit.* cap. 3. n. 5.

Digitized by Google

perabilium impreſſionum, cujuſmodi a fato, ſideribus, natura, inſtinctu, *aut* delectationibus indeliberatis *Janſenii profluunt. Quænam enimvero validior, & efficacior cauſa*, inquit ille, *excogitari poteſt ea, quæ ſemper & infallibiliter, ac certiſſime ſuum parit effectum, omnemque obicem ac repugnantiam prorumpit, ut commenti ſunt Gnoſtici, Genethliaci, Manichæi, Aſtrologi, Priſcillianiſtæ, fati vindices, Calviniani*, Janſeniani? *Quamobrem (ut veteres priorum ſæculorum hæreticos prætereamus) Proteſtantes Gomariſtæ, ſive Contraremonſtrantes prædeſtinatiana dogmata recoquentes, prætendunt, quod homines poſt Adæ lapſum, invicto quo recens præmuntur inſtinctu determinentur ad obſervationem divinæ Legis; ſibique laudi vertunt præcipue, quod patrocinium ſuſcipiant gratiæ efficacis, quam vocant cor, & baſim religionis (ut ipſi buccinant) reformatæ. Hinc ex Calviniſtarum grege Melchior Leydecker* in Hiſt. Janſeniſmi *Lib.* 1. de Janſeniſmi dogmatibus cap. 10. *refert, quod in Synodo Dordracena, facta thematum remonſtrantium condemnatione*, poſita eſt in arce gratiæ efficacia, quæ reformationis cor, & fundamentum eſt. *Nihil minus ſibi volunt Janſeniani, qui* efficacem gratiam *in* indeliberata delectatione victrice *conſtituunt; eique illam, in præſenti corruptæ naturæ ſtatu, ad voluntatem determinandam, vim, & facultatem talem adjudicant, qualem inſtinctui Proteſtantes, & fato, ſideribus, aliiſque determinationibus* arbitrii libertati *infeſtis priores hæretici tribuebant* (222). Niſi ergo velimus, tot tamque præclaros Viros Ixionem pro Junone hac in re accepiſſe, fateamur profecto vel inviti oportet, humanam voluntatem neceſſario *indeclinabili*

(222) Animad. *in Hiſtoriam Theolog.* §. 139.

bili neceſsitate ſecundum Janſenium determinari ad operandum bonum a *gratia efficaci*, prout *gratia efficax* ab illo ſumitur, adeo nimirum ut voluntas ſub *gratia efficaci*, & univerſaliter ſub indeliberata *relative* victrice tam *gratiæ*, quam *carnalis cupiditatis* delectatione, non ſit libera ad operandum libertate *a neceſſitate ſimplici*, ſed tantum libertate a coactione.

COROLLARIUM XIV.

115 *Omnis interior gratia Chriſti vel* efficax *eſt, vel ita* inefficax, *ut ad bene operandum nequaquam ſufficiat.* Cœleſtis enim indeliberata delectatio, in qua ſecundum Janſenium conſiſtit gratia Chriſti, vel major eſt, ſeu vividior delectatione carnalis cupiditatis, qua voluntas ad malum ſollicitatur, vel eſt illa minor, ſive debilior, vel illi æqualis. Si major: jam ipſa, ut patet, *efficax* gratia eſt. Si minor, aut æqualis: cum fieri nequeat, ut voluntas illi obſequatur, & ſecundum illam, ac propterea quod juſtum eſt, operetur, reſtat profecto, ipſam ad bene operandum nequaquam ſufficere. Neque enim illa gratia ad bene operandum ſatis eſt, per quam bonum operari a voluntate non poteſt. Omnis itaque gratia Chriſti, poſitis Janſenii principiis, vel *efficax* eſt, vel adeo *inefficax*, ut ad bene operandum nequaquam ſufficiat.

SCHOLION I.

116. Quod ſi quis hac ſuper re audire Janſenium velit, ne leviſsime quidem ipſum dubitaturum ſpero, quominus, omnem interiorem Chriſti gratiam vel *effica-*

Digitized by Google

cacem eſſe, vel minime *ſufficientem*, palam ille, aperteque docuerit. En Janſenii verba: *Cum*, inquit, *nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi illa tanta fuerit, ut ei delectationes rerum terrenarum ceſſerint, vel peccabitur, vel, alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur, ſin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio bene voluntas operabitur.* Quod enim amplius delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt. *Sed utrumlibet fiat, non erit* ſufficiens *gratia, ſed vel* efficax, *vel ita* inefficax, *ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur* (223). Quis porro Janſeniſtarum inefficacem eam gratiam vere ſufficientem dicet, quæ adeo inefficax eſt, ut ipſomet docente Janſenio, niſi per aliam gratiam ſuppleatur illius inefficacia, operatio ſequi ex illa nullatenus poſsit? Accedit, eundem ipſum Janſenium alio loco manifeſte docere, gratiam illam, qua multi, ut ipſe ait, mente colluſtrantur, quæque cœleſtis rei quaſdam non *voluntates*, ſed *velleitates*, vel *complacentias* in illis excitat, adeoque gratiam inefficacem, *nullo modo ſufficere, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat* (224), ac proinde ut operetur bonum. Ergo omnis Chriſti gratia ſecundum Janſenium vel *efficax*, vel ita *inefficax*, ut ad bene operandum haudquaquam ſufficiat.

ANIMADVERSIO I.

117. Verum ne æquivocationibus, quibus frequentiſ-

(223) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 10.
(224) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 27.

Digitized by Google

tiſsime, ut fucum faciant incautis, Janſeniſtæ utuntur, decipiamur, obſervandum attento animo eſt, cœleſtem gratiæ delectationem dupliciter dici poſſe ad bene operandum ſufficere, *abſolute* nimirum, & *relative*. Dicitur *ſufficere abſolute*, cum ſpectatur virtus gratiæ in ſe, nempe ſine ulla relatione ad gradus carnalis cupiditatis, quæ neceſſario vinci debet, ut voluntas bene operetur. Dicitur vero *ſufficere relative*, cum ſufficit ad bene operandum in iis ipſis circumſtantiis, in quibus tunc voluntas verſatur, videlicet ſpectatis gradibus illius carnalis cupiditatis, quibus tunc premitur voluntas, atque ab operando bono, quod tunc operari debet, ipſa retrahitur. Hinc, poſitis Janſenii principiis, ut delectatio gratiæ ſit *relative ſufficiens*, debet gradibus ſuis carnalem eam cupiditatem excedere, cui tunc voluntas obnoxia eſt; minime vero ut ſit *ſufficiens abſolute*. Præciſione ſiquidem facta carnalis cupiditatis, quævis, utut exigua, gratiæ delectatio potentem reddit voluntatem, ut patet, ad bene operandum; at dicendum contra, ſi carnalis cupiditatis, qua voluntas urgetur, ratio habeatur. Cum enim humana voluntas in hoc lapſæ corruptæque naturæ ſtatu non poſſit ſecundum Janſenium operari bonum, niſi conſentiat cœleſti delectationi, qua ſola ad bene operandum movetur, neque huic conſentire poſſit, niſi illa ſuperior fuerit carnali cupiditate, manifeſte ſequitur, voluntatem in hoc ſyſtemate operari bonum non poſſe, niſi tanta in ipſa fuerit cœleſtis delectatio gratiæ, quæ carnalem ipſam cupiditatem excedat; atque hinc cœleſtem gratiæ delectationem eſſe non poſſe *relative ſufficientem* ad bene operandum, niſi gradibus ſuis carnalem cupiditatem ſuperaverit. Apparet propterea, cœle-

Digitized by Google

leſtem eam delectationem, quæ ab Janſenio *inefficax gratia* dicitur, eſſe quidem *ſufficientem abſolute*; at vero talem non eſſe *relative*; ac proinde vere proprieque *ſufficientem* nec eſſe, nec dici poſſe. Quomodo enim delectatio illa vere proprieque *ſufficiens* dici poteſt, ſi eſt *phyſice impoſsibile*, ut illi conſentiat voluntas, quodque propterea juſtum eſt, per ipſam operetur? Quis vere ſufficiens ad morbum pellendum vocabit illud pharmacum, quo *phyſice impoſsibile* eſt ut morbus ille pellatur? Id ſane dicere neque Janſenius ipſe auſus eſt; imo tantum abeſt, ut id Janſenius dixerit, quin potius paradoxum ſibi eſſe pronunciaverit, *quod charitas* (nempe cœleſtis delectatio gratiæ) *quantumvis minima*, ſufficiat *ad quamcunque tentationem ſuperandam, vel quæcunque præcepta ſine tranſgreſsione facienda* (225) quamvis certe non ignoraverit, illam eſſe pluſquam *ſufficientem*, ſi ponatur voluntatem nulla mala cupiditate premi, nullaque diaboli ſuggeſtione ad malum ſollicitari. Itaque concedat ille quoque neceſſe eſt, vere proprieque *ſufficientem* non eſſe eam gratiam, quæ eſt tantum *abſolute ſufficiens*; atque hinc vere *ſufficientem* non eſſe gratiam illam, quam ipſe ejuſque partiarii *inefficacem* appellant.

ANIMADVERSIO II.

118. Porro ſicuti duplex *gratia ſufficiens*, ut eſt modo obſervatum, ita duplex *potentia* bene operandi, quæ per *gratiam ſufficientem* confertur voluntati, quamaccurate itidem diſtinguenda eſt, animoque alte infigenda, *abſoluta* nimirum, & *relativa*. Prima eſt, per quam

(225) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 15.

Digitized by Google

quam voluntas dicitur bene poſſe agere, præciſis circumſtantiis, in quibus tunc ipſa verſatur, videlicet nulla habita ratione carnalis cupiditatis, qua in malum tunc ipſa urgetur. Altera vero eſt, per quam voluntas bene operari poſſe dicitur, etiam relatione facta ad gradus concupiſcentiæ carnalis, quibus illa tunc ſollicitatur ad malum, atque a bono operando retrahitur. Liquido proinde apparet, ad conferendam voluntati *potentiam abſolutam* bene operandi ſufficere quamcunque gratiam; tantam vero requiri ad conferendam eidem *potentiam* bene operandi *relativam*, quæ delectatione ſua delectationem carnalis cupiditatis, qua voluntas ipſa tunc premitur, *intenſive* excedat. Niſi enim cœleſtis delectatio gratiæ major fuerit terrena cupiditate, *qua affectus noſter detinetur*, *fieri* non poteſt, inquit Janſenius ipſe, *quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur* (226); imo, eodem docente, tam eſt poſſibile, ut tunc bene operemur, *quam homini cæco, ut videat, ſurdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut recte gradiatur* (227). Sicuti ergo gratia nonniſi *abſolute ſufficiens* vere *ſufficiens* non eſt, ſed *phyſice inſufficiens*; ita *potentia abſoluta* bene operandi, quæ ex illa gratia provenit, non eſt vera *potentia*, ſed potius *realis*, & *phyſica impotentia*, adeo nimirum ut qui non poteſt operari bonum, niſi *gratia abſoluta*, bene agere, vere proprieque loquendo, ipſe non poſſit. Nemo certe dicet, ut ſpero, pondus *unius* libræ uni lanci appenſum poſſe bilancem deprimere, dum alteri lanci pondus *trium* librarum appenſum eſt, ex hoc quod illa ab eo deprimeretur, ſi gravius pondus haud eſſet

(226) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(227) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 1.

Digitized by Google

eſſet ex altera lance ſuſpenſum. Pondus quippe unius libræ id præſtare poteſt *potentia abſoluta*, ut eſt perſpicuum, etſi non poſsit *potentia relativa*, quemadmodum *unus* gradus delectationis cœleſtis poteſt quidem determinare voluntatem ad bene operandum, *potentia abſoluta*, nempe ſi in ipſa voluntate non ſint tres gradus delectationis terrenæ; minime vero *potentia relativa*, videlicet vividiore illa terrena delectatione in voluntate admiſſa. Cum ergo *inefficax* Janſenii *gratia*, utpote *intenſive* debilior carnali cupiditate, non conferat voluntati, poſitis illius principiis, niſi *potentiam abſolutam* bene operandi, perſpicuum manet, quod rei noſtræ caput eſt, humanam nempe voluntatem vere per illam gratiam non poſſe bonum operari; atque hinc gratiam illam ad bene operandum haudquaquam ſufficere.

SCHOLION II.

119. Ceterum hæc diſtinctio duplicis *potentiæ* attente conſideretur oportet. *In ea enim*, obſervante Tournely, & Graveſonio confirmante, *totius Janſeniani ſyſtematis* medulla, & ultimæ *veluti* fibræ *reconduntur. Hæc fæcundiſsima* radix *fallaciarum*, & *æquivocationum omnium eſt, quibus catholicorum argumenta declinare, ac Eccleſiæ cenſuris ſubducere ſe verbis in ſpeciem catholicis Janſeniani conati ſunt. Nullo ſcilicet graviori momento Catholici Janſenianos fatigarunt, quam quod in eorum ſyſtemate homo juſtus ſola gratia parva* (nempe delectatione cœleſti, quæ inferior ſit terrena) *inſtructus*, & *abſente efficaci*, veram, & expeditam *non habeat ad ſuperandam tentationem*, *præceptumque ſervandum* potentiam,

eo nempe quod in ipſo tunc ſupponatur actualis concupiſcentia dominari, *ac major eſſe gratia*; *adeoque* impoſsibile *ſit*, *ut parva illa gratia ſuperiorem vincat cupiditatis hujus delectationem. Huic eludendo catholicorum argumento opportuna maxime viſa eſt æquivocatio vocis* potentiæ, *cujus involucro tecti Janſenii defenſores*, *audacter ac jactantius aſſerunt*, *agnoſcere ſe*, *ac profiteri*, *in eo juſto* ſufficientiſsimam *eſſe*, expeditiſsimamque *ad ſuperandam tentationem*, *& mandatum obſervandum* facultatem, *ſeu* potentiam. *Verum* (pergit Vir Cl., & recte quidem atque veriſsime) *pace dixerim*, *completiſsima hæc eſt eorum fraus*, *atque fallacia. Perfectiſsimam enim*, *ac completiſsimam intelligunt potentiam* abſolute, *ac* præciſis circumſtantiis, *non vero* relative *ad illas* (228). Ita Tournely. Ita vero doctiſsimus P. Graveſon. *Non negant Janſenius ejuſque diſcipuli*, inquit ille, *gratiam parvam*, *ſive* Janſeniſtice ſufficientem, *dare homini* potentiam abſolutam *ad oppoſitum*, *ſeu potentiam abſtractam a circumſtantiis*, *& diſpoſitionibus ſubjecti*, *ſeu a cupiditatis gradibus*, *qui ſunt in ſubjecto*; *ſed negant Janſenius*, *ejuſque diſcipuli gratiam parvam*, *ſeu* Janſeniſtice ſufficientem *dare homini* potentiam relativam *ad oppoſitum*, *ſeu ad circumſtantias*, *diſpoſitiones*, *& cupiditatis gradus*, *qui ſunt in ſubjecto*, *ſubindeque aſſerunt*, *hominem*, *qui caret gratia* relative victrice, *& habet dumtaxat* gratiam parvam, *ſeu* Janſeniſtice ſufficientem, *eſſe in* impoſsibilitate relativa *vincendi omnes cupiditatis gradus*, *qui ſunt in ſubjecto*, *ſeu ſuperandi oppoſitam concupiſcentiæ ardentiorem*, *ſuperiorem*, *ac relative victricem delectationem. In hac* impoſsibilita-

(228) Prælect. *de Gratia Chriſti* q. 3. ubi de *Janſenio*.

tate relativa *totius Janſeniani ſyſtematis quaſi* medulla, *&* ultimæ *veluti* fibræ *ac* radices *reconduntur*, *ſubindeque ſi deinceps velis cum Janſenii diſcipulis miſcere colloquium, vel cum illis aliquam inſtituere concertationem*, *debes præ oculis ſemper habere* capitalem *iſtum Janſenii, ejuſque diſcipulorum de* impoſsibilitate relativa errorem, *quem hactenus confutavi, & quem ſi ignoras, vix certo ac ſecuro pede cum iſtis Janſenii diſcipulis congredi poſſes, in mediis denſiſque tenebris veluti palpando ambulares, &, Anabatarum more, clauſis pugnares oculis*, *quia relicto illo* principali *Janſeniſtarum de* impoſsibilitate relativa errore, *aerem verberares*, *ac vagam cum illis haberes diſputationem*, *quam ipſi* ſolitis *ſuis* artibus, argutiis, *&* æquivocationibus *obſcurarent*, *implicarent*, *& tandem mediis e retibus elaberentur* (229). Hæc Cl. P. Graveſon.

SCHOLION III.

120. Verum ne pigeat, eundem Virum doctiſsimum, capitalem hunc Janſeniſtarum errorem confutantem, audire. Ita ergo, & quidem invicte, ille demonſtrat, *inefficacem* Janſenii *gratiam*, cœleſtem ſcilicet delectationem, quæ inferior ſit carnali cupiditate, cum qua in voluntate pugnat, vere non eſſe, neque dici poſſe *gratiam* ſufficientem, prout *ſufficiens gratia* a Catholicis ſumitur. *Gratia vere ſufficiens juxta Eccleſiæ doctrinam ea eſt*, inquit P. Graveſon, *quæ ita complet potentiam bene agendi, & oppoſitam ſuperandi concupiſcentiam, ut nihil ei ex parte* potentiæ *deſit*. *Atqui gratia Janſeniſtice ſufficiens* (nempe delectatio cœleſtis mi-

(229) Claſſ. 2. *Epiſt.* 5. pag. 126.

minor terrena) *non ita complet potentiam bene agendi, & ſuperandi omnes oppoſitæ concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto. Ergo gratia Janſeniſtice ſufficiens non eſt vere* ſufficiens, *ſed plane* inſufficiens. *Prob. min. propoſitio: Gratia Janſeniſtice ſufficiens non dat homini* potentiam relativam *ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto. Ergo gratia Janſeniſtice ſufficiens non ita complet potentiam ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto, ut nihil ei omnino deſit. Prob. ant.* primo, *quia docent diſcipuli Janſenii, ſolam gratiam* relative victricem, *& cœleſti delectatione ſuperiorem oppoſita concupiſcentiæ delectatione, dare* potentiam relativam *ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto. Igitur gratia Janſeniſtice ſufficiens, quæ non eſt* relative victrix, *& cujus cœleſtis delectatio* debilior, *&* inferior *eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, non dat* potentiam relativam *ſuperandi omnes oppoſitæ concupiſcentiæ gradus, ſeu vincendi ardentiorem, & ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem.* Gratia itaque *Janſeniſtice ſufficiens non dat* potentiam relativam *ad preſentes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto; ſubindeque relinquit hominem in* impotentia relativa *vincendi ac debellandi oppoſitam concupiſcentiæ excandeſcentiorem, & ſuperiorem delectationem. Præterea* (proſequitur ille) *impoſſibile eſt* impoſſibilitate relativa, *ut minor & inferior delectatio vincat majorem, & ſuperiorem oppoſitam delectationem. Atqui gratia Janſeniſtice ſufficiens nihil aliud eſt, quam indeliberata cœleſtis delectatio, quæ minor & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione. Ergo impoſſibile eſt* impoſſibilitate relativa, *ut gratia Janſeniſtice ſufficiens vincat ar-*

den-

dentiorem, & ſuperiorem oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem; ſed potius ei neceſſario cedere debet, proindeque hominem relinquit in relativa impoſsibilitate *ſuperandi oppoſitam concupiſcentiæ ſuperiorem*, ac relative victricem *delectationem* (230). Porro adeo perſuaſum habet Cl. Auctor, cæleſtem delectationem, quæ ſit inferior carnali cupiditate, non eſſe *gratiam* vere *ſufficientem*, ut argumentum hoc ſuum *peremptorium* vocet, dicatque, illud *evertere omnino ſyſtema de delectatione* relative victrici, *quod*, inquit, *obſtinatis animis propugnant Janſenii diſcipuli* (231). Hinc paulo antea faſſus aperte eſt, *ſe abhorrere a gratia illa, quam Janſenius appellat* parvam, *quamque ejus diſcipuli nuncupant* ſufficientem, *eamque ajunt ſitam eſſe in cæleſti indeliberata delectatione, quæ minor, debilior, & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione. Ab hac*, inquit, *gratia* Janſeniſtice ſufficienti, *quam univerſa Schola Thomiſtica damnat, vehementer ipſe abhorreo, meque prorſus alienum eſſe ſanctiſſime juro* (232), *confidenter* præterea *affirmare non dubitans, nullum unquam ſive ex antiquis, ſive ex Recentioribus Thomiſtis a Janſenii diſcipulis in medium productum iri, qui docuerit, aut dixerit* gratiam ſufficientem, *in ſenſu Thomiſtico intellectam, eſſe indeliberatam cæleſtem delectationem minorem, ac debiliorem terrena concupiſcentiæ delectatione, cui neceſſario propter defectum virium cedat oportet. Ludant*, inquit, *quantum voluerint Janſenii diſcipuli, & in omne latus ſeſe verſantes, miſere ſe torqueant, atque aſſidua lectione cum antiquorum,*

H 3 *tum*

(230) Loco citato pag. 115.
(231) Ibidem.
(232) Ibidem pag. 114.

Digitized by Google

tum Recentiorum Thomiſtarum opera volvant, nullum mehercle ex his offendent, qui in hac notione gratiæ ſufficientis, *Janſeniſtice intellectæ, conſentiat, & confeſſas manus præbeat* (233). Et ſane, cum, teſte eodem Viro doctiſsimo, dicant Thomiſtæ, *gratiam, quam admittunt* Thomiſtice ſufficientem, *dare voluntati humanæ* abſolutam, veram, completam, proximam, & expeditam potentiam *bene agendi*, & *ſuperandi non tantum aliquos cupiditatis gradus, ſed omnes cupiditatis gradus, qui in ſubjecto reperiuntur, itaut voluntati humanæ ſemel inſtructæ gratia* Thomiſtice ſufficienti, *nihil plane deſit ex parte* potentiæ *bene agendi, & ſuperandi omnes cupiditatis gradus, qui in ſubjecto occurrunt* (234): cum, inquam, ita explicent Thomiſtæ, tanto Viro teſte, gratiam, quam ipſi *ſufficientem* vocant, fateantur profecto illi omnes, velint, nolint, neceſſe eſt, parvam Janſenii gratiam, nempe delectationem cœleſtem, quæ gradibus ſuis inferior ſit terrena, eſſe non poſſe Thomiſtice *ſufficientem*, utpote quæ non tribuit voluntati *veram*, *completam*, & *expeditam potentiam* bene operandi, ipſomet Janſenio fatente, ut eſt alibi viſum, eſſe *phyſice impoſſibile*, ut voluntas conſentiat delectationi debiliori, & ſecundum illam operetur, vividiore neglecta. Igitur etiam Thomiſtæ fateantur oportet, omnem gratiam ſecundum Janſenium, ejuſque poſitis principiis, aut eſſe *efficacem*, aut ita *inefficacem*, ut ad bene operandum nequaquam ſufficiat.

Co-

(233) Claſſ. 2. Epiſt. 4. pag. 85.
(234) Ibidem Epiſt. 5. pag. 114.

Digitized by Google

COROLLARIUM XV.

121. *Sola gratia Chriſti efficax eſt gratia vere proprieque* ſufficiens, *ut proinde ſecundum Janſenium nulla omnino ſit gratia vere* ſufficiens *diſtincta ab efficaci.* Cum enim, poſitis Janſenii principiis, *phyſice impoſſibile* ſit, ut per delectationem cœleſtem, quæ gradibus inferior ſit terrena, voluntas bene operetur, manifeſte ſequitur, nonniſi per delectationem cœleſtem, quæ terrenam *intenſive* ſuperet, id reddi voluntati *phyſice poſſibile*; ac proinde hanc ſolam delectationem vere eſſe, recteque dici poſſe *ſufficientem* voluntati, ut, quod juſtum eſt, valeat operari. Cœleſtis autem delectatio, quæ gradibus ſuis terrenam ſuperat, ſecundum Janſenium eſt *gratia efficax*. Ergo in illius ſyſtemate ſola gratia *efficax* eſt gratia vere *ſufficiens*, adeo nimirum ut, illius admiſsis principiis, nulla penitus admitti poſsit gratia vere proprieque *ſufficiens*, quæ ab *efficaci* diſtinguatur.

SCHOLION I.

122. *Quicunque*, inquit Janſenius, *animadvertit omnia, quæ de adjutorio gratiæ medicinalis ex Auguſtino diximus, de gratia quadam potentiſsima, quam* efficacem *recentiores ſuo ſenſu vocant, eſſe intelligenda, conſequenter hoc etiam animadvertere debet, non aliam Chriſti gratiam medicinalem in ſcriptis ejus reperiri; proinde fatendum ſibi eſſe, quod, aliam nobis procudendo, novum gratiæ genus Chriſtianis afferat, quod nec Auguſtinus, nec ullus latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex profeſſo decertarunt,*

Digitized by Google

nec Eccleſia in Conciliis generalibus, vel provincialibus ab Apoſtolica Sede probatis agnovit unquam, nec agnoſcere potuit, niſi principia, quibus ipſa per antiquos Patres medicinalem Chriſti gratiam defendit, funditus evertantur (235). Tenet ergo Janſenius, nullam ab Auguſtino agnitam fuiſſe *gratiam ſufficientem* diſtinctam ab *efficaci*. Hæc tamen dixiſſe minime ille contentus, ex profeſſo demonſtrandum aſſumit, *nullum dari poſt lapſum auxilium* ſufficiens, *quin ſimul ſit* efficax (236), iterum affirmans, atque contendens, *in Auguſtini principiis id exploratum eſſe* (237), pluresque etiam ex recentioribus idipſum tradidiſſe. (238). Aſſerit quoque, *gratiam ſufficientem ad præcepta facienda, cavendaque peccata, veram, & magnam, & gratuitam gratiam eſſe, quam ſpirat Spiritus, ubi vult, & hanc* ſufficientem gratiam *non eſſe aliam, nec, ut ipſi videtur, aliam dici poſſe, quam illam, qua voluntatem facit facere, & in ea operatur reipſa velle, & perficere* (239), nempe gratiam efficacem. Unde concludit, *quamcunque gratiam potentialem homini ſive juſto, ſive injuſto, ſive Judæo, ſive Pagano adeſſe ſtatuamus, niſi ipſam donaverit voluntatem, & actionem, hoc eſt, ipſum velle, & operari* (nempe niſi fuerit efficax) *non eſſe* ſufficientem gratiam *voluntatis, & actionis*; addens, *non ſufficere voluntati gratiam, qua profit ei lex, ac doctrina, ſi velit; ſed agnoſcendam eſſe illam*

(235) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 27.
(236) Lib. 3. *ejuſdem* cap. 1.
(237) Ibidem.
(238) Ibidem.
(239) Ibidem cap. 5.

Digitized by Google

lam gratiam, *quæ reipſa faciat prodeſſe doctrinam* (240).

SCHOLION II.

123. Verum enimvero nullam ab Janſenio admiſſam fuiſſe *gratiam ſufficientem* diſtinctam ab *efficaci*, ex iis etiam invicte confirmari poteſt, quæ de *ſufficienti* ipſa *gratia* ille tradit. Sumta ſiquidem *gratia ſufficienti* pro tali adjutorio, *præter quod*, ut ipſe ait, *nihil aliud ex parte Dei per modum* principii *neceſſarium eſt*, *ut homo velit & operetur*, ac proinde pro auxilio, *quod nobis dat poſſe*, *ſi volumus*; contendit Janſenius, ejuſcemodi ſufficientem gratiam *ab Auguſtino deſtructam eſſe funditusque everſam*: eſſe gratiam *ſanæ voluntatis*, *ſeu primi hominis*, *non ægrotæ*: eſſe *Pelagianicum adjutorium*, *non Chriſti Salvatoris*: eſſe illud ipſum adjutorium, propter quod *Maſſilienſes tamquam hæretici proſcripti ſunt*: eſſe adjutorium, *quod repugnat precibus*, *quas vel Deus Eccleſiæ ſuæ tradidit*, *& inſpiravit*, *vel ipſa ſibi a Spiritu Sancto erudita formavit* (241): eſſe adjutorium *prorſus inutile lapſorum reparationi*, *vel operationibus*, *etiamſi ad* ſexcentos *ſufficientiæ gradus* augeatur (242): illud minime poſſe a nobis aſſeri, *niſi majori hallucinatione*, *quam Pelagiani*, *ſublato originali peccato*, *naturæ vires illeſas eſſe fateamur* (243): ac demum contendere ille non veretur, *non eſſe nivem calori diſſimiliorem*, *quam* ſuf-

(240) Ibidem.
(241) Ibidem cap. 1.
(242) Ibidem cap. 2.
(243) Ibidem.

Digitized by Google

ſufficientem *illam* gratiam *veræ gratiæ*, *quam Auguſtinus tradidit*, *ut alterutrum profectò neceſſarium ſit, vel quod eam nunquam poſt lapſum hominis agnoverit, vel quod eam a medicinalis adjutorii limitibus*, *quod crucem ſuam Salvator dedit*, *excluſerit* (244).

ANIMADVERSIO I.

124. Licet autem Janſenius, rejiciendo ſufficiens illud adjutorium, *præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum* principii *neceſſarium eſt*, *ut homo velit*, *& operetur*, videatur, prima facie, nonniſi *gratiam ſufficientem* in ſenſu Moliniano ab eo fuiſſe negatam; penitius tamen inſpectâ re, omnibuſque conſideratis, quæ ipſe deinde docet, fatendum neceſſario eſt, *gratiam ſufficientem* etiam in ſenſu Thomiſtico ipſum rejeciſſe. Inquit enim: *Quod ſi vero ſic accipiatur* (adjutorium illud) *ut* ſufficiens *dicatur*, *ſicut a quibuſdam* (nempe a Thomiſtis) *dicitur*, *quod ſatis eſt*, *ut homo dicatur* poſſe *operari*, *quamvis aliud adhuc ſit neceſſarium*, *ut de facto operetur*, *de hujuſmodi* ſufficienti gratia *non eſt hic* (ait Janſenius) *noſtra controverſia*. *Talem enim* ſufficientem gratiam *fortaſſe non difficulter S. Auguſtinus admitteret*, *quamvis eſſe veram illam Chriſti* gratiam, *de qua quæſtio eſt* (quam nempe Chriſtus nobis meruit, attulitque morte ſua) *pernegaret* (245). Ita Janſenius. Jam vero, inquit inſignis Thomiſta P. Serry, *hoccine eſt* gratiam (ſufficientem) *Thomiſtarum admittere*; *cum dubitet*, *an eam admiſſurus eſſet Auguſtinus*, *audacterque pronunciet*,

(244) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 1.
(245) Ibidem.

Digitized by Google

ciet, Doctorem ſanctiſſimum eam pro vera *Chriſti* gratia *nullatenus habiturum? Sed quid tandem* (pergit ille)? *Molinianam quidem ſufficientem gratiam eo loci potiſſimum Janſenius impetiit, de Thomiſtica controverſiam eo loci non eſſe declaravit: ſit ita. At ſubinde, longiuſque progreſſus, iſtam quoque oppugnandam aggreſſus eſt, velut ſingulare, & inauditum gratiæ monſtrum, idque magno cum ſtomacho* (246). En Janſenii verba: *Quid homini miſero*, inquit, *pernicioſius, quam illa gratia abundare, qua nemo unquam, fatentibus etiam Scholaſticis, niſi majorem damnationem aſſecutus eſt? Hoc ipſo quippe unuſquiſque damnabilior eſt, quo magis* ſufficienti gratia *abundavit*. Nemo *enim* unquam ſufficienti gratia *uſus eſt, aut utitur, aut utetur in* æternum, *qui mitius profecto puniretur, ſi tali auxilio caruiſſet, quo Deus neminem vel damnandorum, vel ſalvandorum uſurum eſſe præſcivit* (247). *Jam vero* (proſequitur ille ſequenti capite) *quid monſtruoſius proferri poteſt, quam quoddam diſtinctum a ceteris a*-djutorii *genus, quod* nunquam *ab initio lapſus humani uſque ad judicii diem*, ullum *in humana voluntate* effectum *habuit, aut habiturum eſt? Defendit quidem aliquando S. Auguſtinus illud adjutorium partim in Angelis, & hominibus primis ante peccatum, partim in lapſorum quoque hominum poſteritate, quando eam tali gratia adjutam, ſaltem credere poſſe cum Semipelagianis errando, opinatus eſt: ſed nunquam eo abſurditatis venit, ut illud vel* ſemper *effectu ſuo carere, propter quem datur, vel id auxilium, quod reipſa influeret cum*

(246) Tom. 1. *Prælect. Theolog.* Diſp. 4. *de variis naturæ humanæ ſtatibus* Prælect. 2.

(247) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 2.

Digitized by Google

cum voluntate, *ab eo*, *quod non influeret*, *ita ſeparandum eſſe decreverit*, *ut illud* efficax, *hoc* ſufficiens *vocaretur*. *Nimis enim perſpicuum eſt*, *illam non eſſe adjutorii talis*, *ſed voluntatis differentiam*, *quæ eodem adjutorio*, ſufficientem poteſtatem *tribuente*, *vel non utebatur*, *vel utebatur*, *prout voluntati tribueretur*. *Itaque illud a recentioribus prolatum* gratiæ ſufficientis *genus*, *quo adjuvante nullum unquam opus factum eſt*, *aut fiet unquam*, *ſi eſt verum diſtinctumque a* gratia efficaci *membrum*, *videtur* monſtrum *quoddam ſingulare gratiæ*, *ſolummodo peccatis faciendis*, *majorique damnationi accerſendæ ſerviens*; *ideoque lapſis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum*: *quod cum altiſsima perſpicacia ſua videret Auguſtinus*, *ſimul atque ab illo ſuo errore reſipiſcere cœpit*, *ſilentio iſtud* (nempe auxilium etiam Thomiſtice ſufficiens) *in omnibus operibus ſuis præteriit*, *ſciens*, *læſum hominis peccatoris arbitrium non ſolum eo uti pervicaciter nolle*, *ſed ægritudine concupiſcentiali deprimente*, *non poſſe*; *cui propterea ſolum Salvatoris medicinale adjutorium* (ſcilicet auxilium efficax) *utile eſt*, *& evadendis peccati laqueis neceſſarium* (248). Hæc porro cum ita ſint, *quid ergo Janſenium abſolvemus*, inquit Cl. P. Serry, *ſi quod capite* 1. *non attigit*, *capite* 3. *perficit*? *Per gradus procedebat Vir acutus*; *& ex unius impugnatione gratiæ* (nempe ex impugnatione gratiæ Moliniſtice ſufficientis) *ad alterius confutationem* (nimirum ad confutationem gratiæ ſufficientis ſenſu Thomiſtico) *properabat* (249).

(248) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 3.
(249) Loco citato.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO II.

125. Quod ſi notionem *gratiæ ſufficientis*, qualem Thomiſtæ admittunt, propugnantque, ſpectemus, ne leviſsime quidem dubitandum nobis eſt, nullam penitus agnitam in ſtatu naturæ lapſæ ab Janſenio fuiſſe *gratiam ſufficientem* diverſam ab *efficaci*. Citra dubium eſt enim, *gratiam* Thomiſtice *ſufficientem* tribuere voluntati *veram*, *realem*, *completam*, & *expeditam*, non *abſolute* tantum, ſed etiam *relative*, *potentiam* bene operandi, adeo nimirum ut poſita in voluntate illa gratia, nihil omnino requiratur aliud, per quod voluntas ipſa in ratione potentiæ compleatur. *Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico ea eſt*, inquit Cl. P. Graveſon, *quæ dat hominis voluntati non ſolum* abſolute, *ſed etiam* relative, *ſeu comparate ad omnes difficultates, ſeu concupiſcentiæ gradus, qui in ea eſſe poſſunt*, veram, completam, proximam, & expeditam potentiam *prorumpendi omnes obſiſtentes difficultates, & ſingulos oppoſitos cupiditatis gradus ſuperandi, ita ut ex parte* potentiæ *nihil plane deſit* (250); atque *hanc eſſe* ait *germanam* gratiæ ſufficientis *in ſenſu Thomiſtico intellectæ notionem, quæ toti probatur Scholæ Thomiſticæ* (251), & *in cujus defenſionem univerſa illa Schola conſpirat* (252). Certe etiam Cl. P. Serry manifeſte docet, *potentiam in ratione* potentiæ *eo auxilio ſufficienti* (ſcilicet ſenſu Thomiſtico) *expeditam eſſe*, *atque completam*, *nec ultra* gratiam efficacem *deſiderari*, *ut in ra-*

(250) Claſſ. 2. Epiſt. 3. pag. 58.
(251) Ibidem pag. 62.
(252) Ibidem pag. 63.

Digitized by Google

ratione potentiæ *compleatur*, *ſed ſolum ut actui applicetur* (253). Si ergo conſtiterit, *gratiam* hoc ſenſu *ſufficientem* ab Janſenio non admitti, neque admitti poſſe, niſi ſui ſyſtematis principia prorſus evertat, conſtabit profecto, nullam penitus in illius ſyſtemate dari *gratiam ſufficientem*, neque Thomiſtico ſenſu intellectam, quæ reapſe ſit diſtincta ab *efficaci*. Jam vero rem ita eſſe, hoc brevi, ſed plane invicto argumento oſtenditur. Siqua in ſyſtemate Janſeniano daretur, vel dari poſſet *gratia ſufficiens* diſtincta ab *efficaci*, ea profecto non eſſet alia, niſi cœleſtis delectatio inferior gradibus ſuis carnali cupiditate. Hæc autem non poteſt eſſe, neque dici poteſt *gratia ſufficiens* ſenſu Thomiſtico. Etenim, ut egregie habet laudatus P. Graveſon, illa *gratia parva*, ſive inferior delectatio, *ſi ſpectetur* relative, *ſeu comparate ad majorem*, & *ardentiorem actualem concupiſcentiæ delectationem*, *non dat* plenam, completam, proximam, & expeditam poteſtatem *vincendi ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem*, *ſubindeque hæc parva Janſenii gratia dici non poteſt* ſufficiens in ſenſu Thomiſtico; *cum certum ſit*, gratiam ſufficientem *in ſenſu Thomiſtico dare* veram, proximam, & expeditam potentiam, *qua poteſt homo hic*, & *nunc reſiſtere cuilibet tentationi*, *vincere ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem*, *declinare peccatum*, & *divinam Legem adimplere* (254). Ergo nulla in Janſeniano ſyſtemate datur, vel dari poteſt *gratia* Thomiſtice *ſufficiens* diſtincta ab *efficaci*. Præterea, ut alibi etiam eſt obſervatum, cum aperte dicat Janſenius, gratiam illam, quam ipſe vocat *inefficacem*, *nullo modo ſufficere*, *ut homo*

(253) Loco citato.
(254) Claſſ. 2. Epiſt. 3. pag. 58.

Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat (255), palmari proculdubio contradictione nutaret, ſi vellet, gratiam illam conferre voluntati *veram, proximam, completam*, atque non tantum *abſolute*, verum etiam *relative expeditam potentiam* bene operandi; ac proinde ſi contenderet, gratiam illam eſſe Thomiſtice *ſufficientem*. Certum itaque perſpicuumque eſt, ſolam *gratiam efficacem*, Janſenium ſi audiamus, eſſe vere proprieque *ſufficientem*, adeo nimirum ut in illius ſyſtemate nulla omnino detur gratia *Moliniſtice*, vel *Thomiſtice* ſufficiens diſtincta ab *efficaci*. Ceterum quantum a *gratia ſufficienti* Thomiſtico etiam ſenſu intellecta, abhorreant Janſeniſtæ (quamvis, ut imperitis fucum faciant, invidiamque ipſi declinent, eam quandoque admittere videantur) non eſt cur ego dicam, ex iis enim elogiis apparet luculentiſsime, quibus aliqui ex illorum primpilis veriti nequaquam ſunt ipſam exornare.

SCHOLION III.

126. Adeo certum poſtremo eſt, nullam omnino *gratiam ſufficientem* diſtinctam ab *efficaci* admiſſam, agnitamque in hoc lapſæ naturæ ſtatu ab Janſenio fuiſſe, ut plerique Viri doctiſsimi, videlicet, ut alios prætercam, P. Graveſon, P. Serry, & P. Berti, inter præcipua Janſenii dogmata, ejuſdemque ſyſtematis principia id unum recenſeant. *Tertium doctrinæ Janſenii, ejuſque diſcipulorum principium*, inquit Cl. P. Graveſon, *ſpectat notionem, & eſſentiam* gratiæ ſufficientis. Nam

(255) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 27.

Digitized by Google

Nam gratia ſufficiens *in ſtatu naturæ lapſæ*, Janſeniſtice *intellecta, tantum abeſt, ut homini completam tribuat non peccandi potentiam, ut potius ipſam præceptorum obſervandorum impoſsibilitatem compatiatur* (256). Alibi vero, *negant*, inquit, *Janſenius, ejuſque diſcipuli, gratiam illam, quam* non victricem *appellant, poſſe dici* ſufficientem *comparate ad effectum principalem, plenum, ac perfectum, nimirum comparate ad actualem peccatoris converſionem, & actualem obſervantiam mandatorum Dei, quia, inquiunt, hæc gratia* non victrix *dare nequit homini* potentiam veram, proximam, expeditam, *&* relativam *producendi principalem, plenum, ac perfectum effectum, ſeu actualem operandi converſionem, vel actu obſervandi præcepta Dei. Sola quippe* gratia victrix, *ajunt Janſenius, ejuſque diſcipuli, dat homini* veram, proximam, expeditam, *&* relativam potentiam *producendi effectum principalem, plenum, ac perfectum, ſeu actualem producendi converſionem, & actu obſervandi mandata Dei.* Ex quo infert Vir ille doctiſsimus, quod rei noſtræ caput eſt, videlicet. I. *Janſenium, ejuſque diſcipulos nullam in ſtatu naturæ lapſæ admittere gratiam, niſi* efficacem. II. *eos nullam agnoſcere gratiam vere* ſufficientem *a gratia* efficaci *diſtinctam* (257). Id porro adeo ſolemne eſt Viro illi eximio, ut, illius judicio, quinam ſtent ad Janſenii partes, ex ipſo uno detegantur. Scribit enim: *Cum Janſenii diſcipuli urgentur a Thomiſtis, ut clare & remota omni verborum ambiguitate exponant, quid ſibi velint, quidve intelligant per* gratiam *illam* ſufficientem, *quam ſe in ſta-*

tu

(256) Claſſ. 1. Epiſt. 1. pag. 9.
(257) Claſſ. 2. Epiſt. 4. pag. 93.

tu naturæ lapſæ admittere , & homini juſto ; inſtante præcepto , non deeſſe profitentur? Confeſtim, inquit, *reſpondent iſti Janſenii diſcipuli , ſe per* gratiam *ſuam* ſufficientem *nihil aliud intelligere , quam delectationem quamdam cæleſtem , concupiſcentiæ delectatione terrena minorem , quæ neceſſario fortiori , & excandeſcentiori concupiſcentiæ delectationi cedere debet ; quippe quam , ob defectum virium , vincere ac ſuperare non poteſt. In qua* gratiæ *ſuæ* ſufficientis *interpretatione* palam ſe ſe produnt diſcipulos Janſenii, *qui , ſicut jam ſæpius diximus , quemadmodum* gratiæ efficacis *naturam in ſtatu naturæ lapſæ conſtituit in cæleſti indeliberata delectatione* relative *victrice , & ſuperiore terrena indeliberata concupiſcentiæ delectatione , ita* gratiam ineſſicacem , *quam* parvam *vocat , & quam nunc quidam ejus diſcipuli , ad* fucum *faciendum , appellant* ſufficientem , *conſtituit idem Janſenius in cæleſti indeliberata delectatione , quæ terrena indeliberata concupiſcentiæ delectatione minor , inferior , & debilior eſt , cuique neceſſario , ob virium defectum , cedere debet* (258). Hactenus P. Graveſon. Ita vero P. Serry, perinde ſane, atque ille, in Thomiſtica Schola celebratiſsimus. *Alterum*, inquit, *Janſenianæ doctrinæ principium iſtud eſt, nimirum in ſtatu naturæ lapſæ auxilium omne ex ſeſe, & ab intrinſeco eſſe* efficax , *nullum* ſufficiens *omnino dari , quod item ſimul* efficax *non ſit. Id videri poteſt* lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 4. *ubi tametſi prima fronte* gratiam ſufficientem *Moliniano dumtaxat ſenſu expoſitam impugnare videatur , quæ videlicet ex liberi arbitrii aſſenſu , vel diſſenſu* efficax , *vel* inefficax *fiat, ſubinde tamen , ultra quam par erat progreſſus* , ſuffi-

(258) Ibidem pag. 85.

ciens *omne* auxilium *oppugnavit*, *præter quod alterum* efficax *poſtulatur* (259). Demum Cl. P. Berti, *manifeſtum eſſe*, ait, *alterum Janſenianæ hæreſis caput in eo poſitum*, *quod Janſenius negat dari* gratiam ſufficientem *diſtinctam ab ea*, *quæ eſt* efficax, *& conjuncta cum actu*; *imo gratiam illam inutilem*, *monſtruoſam*, *a Semipelagianis confictam*, *atque Auguſtino*, *aliiſque Patribus ignotam auſus eſt appellare Janſenius*. *Etenim* lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 1. *inquit*: ſufficientem illam gratiam, quam Scholaſtici multi in Theologiam velut adjutorium Salvatoris intulerunt, ab Auguſtino deſtructam, funditusque everſam eſſe, libens fateor. *Et quamvis eo loci* (pergit Cl. Auctor) *videatur loqui dumtaxat de gratia* Moliniſtice *ſufficiente*, *de ea ſcilicet*, *qua poſita nihil aliud requiritur ex parte Dei per modum* principii, *ut homo actu velit*, *& operetur*, *quam utique gratiam ſufficientem nequeunt admittere quotquot ad actu operandum neceſſarium ulterius putant* auxilium efficax; *& quamvis affirmet dogmatiſta*, *ſe controverſiam non agere de illa* gratia ſufficiente, *ut a quibuſdam dicitur*, *præter quam adhuc neceſſarium eſt aliud adjutorium*, *ut homo de facto operetur*, *qualis eſt in hoc ſtatu adjutorium* ſine quo non, *& gratia ſufficiens* ſenſu Thomiſtico; *nihilominus hanc ipſam gratiam in hoc infirmitatis ſtatu penitus e medio tollit* (260). Porro *excludi a Janſenio quamcunque* ſufficientem gratiam *ab* efficaci *diſtinctam*, *demonſtrant*, ait laudatus P. Berti, *innumeris Janſenii teſtimoniis productis*, *Antijanſeniani omnes Theologi*, *quibus adde librum*

(259) Tom. 1. *Prælect. Theolog.* Diſp. 4. *de variis humanæ naturæ ſtatibus* Prælect. 2.

(260) P. 2. *Apologiæ* Diſſert. 4. cap. 1. §. 3. n. 3.

Digitized by Google

brum inſcriptum: Triumphus catholicæ veritatis, *editum Pariſiis* an. 1651. *necnon* Memorias Hiſtorico-Dogmaticas *tom.* 2. ad an. 1653, p. 303, *& ſeq.*, *ubi narratur*, *& evincitur*, gratiam *omnem* ſufficientem, *quæ non ſit* efficax, *a Janſenianis derideri*, *& explodi* (261). Niſi ergo velimus, Viros adeo doctos, atque in hac materia apprime verſatos erraſſe perquam turpiſsime, demus oportet, admitti non poſſe Janſenii ſyſtema, quin cum illo vel inviti dicamus, ſolam *gratiam efficacem* vere eſſe, recteque dici poſſe *ſufficientem*, ita nempe ut nulla ſit gratia vere proprieque *ſufficiens*, quæ ab *efficaci* diſtinguatur.

Corollarium XVI.

127. *Neceſſario demum admittendæ ſunt, tamquam veræ*, quinque *famoſæ Janſenii* propoſitiones, *quas Summus Pontifex* Innocentius X. *ſtigmate cenſorio confixerat.* Tanta ſiquidem evidentia ex præmiſsis ipſius Janſenii principiis illæ fluunt, tantaque neceſsitate cum ipſis connexæ ſunt, ut eas negare, illis principiis conceſsis, perinde omnino ſit, ac admiſſa cauſa neceſſaria, negare effectum. Quoniam autem maximi id momenti eſt, operæ pretium cenſeo, ſingulas ipſas propoſitiones diſtincte expendere, eaſque ad examen tam *juris*, quam *facti*, accuratius quoad fieri a me poteſt, revocare. Sit ergo propoſitio

I 2 I.

(261) Ibidem.

Digitized by Google

I.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

128. Hujuſce primæ in Janſenio proſcriptæ propoſitionis ſenſus eſt, juſtos, qui divina mandata tranſgrediuntur, ea tunc obſervare non poſſe, propterea quia illa gratia tunc ipſis deſit, ſine qua *phyſice impoſſibile* nobis eſt, ut divina præcepta adimpleantur. Porro tam impium dogma fluere neceſſario ex præmiſsis Janſenii principiis, ita oſtenditur. Certum eſt, eos omnes, qui divinum mandatum non implent, ideo, ſtando Janſenii principiis, illud non implere, quia indeliberatæ delectationi carnalis cupiditatis, qua una ab illo implendo retrahuntur, ipſi conſentiunt. Id unum quippe, Janſenium ſi audiamus, cauſa eſt, cur injuſte operemur. Certum eſt autem, juſtos illos ideo obſequi terrenæ delectationi, dum urget præceptum, quia illa tunc ſuperior eſt gradibus ſuis cœleſti delectatione gratiæ. Si namque contrariæ illæ delectationes eſſent æquales, nihil ipſi tunc agerent; & ſi delectatio cœleſtis terrenam tunc excederet, illi, non huic obſequerentur; atque hinc non tranſgrederentur divinum mandatum, ſed illud, ut patet, implerent. Igitur juſti, qui divina mandata non exequuntur, carent, quando exequi illa debent, tanta cœleſti delectatione gratiæ, quæ terrenam carnalis cupiditatis delectationem *intenſive* excedat. Jam vero ſi hoc, eſt illis *phyſice impoſſibile*, ut mandata ipſa adimpleant. *Phyſice impoſſibile* eſt enim, ut tunc conſentiant delectationi cœleſti, ſine qua

præ-

præceptum, ut patet, impleri non poteſt. Ergo juſtis, qui divina mandata tranſgrediuntur, *phyſice impoſſibile eſt*, ut illa adimpleant. Quod autem ea illis tunc deſit gratia, qua divina mandata tunc ipſis obſervatu poſſibilia fiant, patet. Deeſt quippe illis cœleſtis ea delectatio, quæ gradibus ſuis ſuperior ſit carnali cupiditate, per quam ab obſervantia divinorum mandatorum ita retrahuntur, ut, ſi delectatione cœleſti major ipſa fuerit, mandata, ut modo viſum demonſtratumque eſt, obſervari non poſſint.

SCHOLION I.

129. Hæc prima propoſitio adeo manifeſte a Janſenio traditur, ut ſtupendum ſit, non defuiſſe, qui id non ſolum in dubium vertere, verum etiam palam aperteque negare auſus fuerit. Ait enim Janſenius: I. *eſſe quædam homini præcepta ſecundum ſtatum, & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia.* II. *non adeſſe ſemper gratiam, qua poſſimus, hoc eſt, qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus.* III. *hanc impotentiam reperiri non ſolum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus........ſed etiam in fidelibus, & juſtis, qui & fidem Chriſti, & charitatem juſtitiæ ſuſceperunt.* IV. *hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt.* V. *nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, & obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis, volentibus, conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam, qua fiant poſſibilia*; idque

Sancti Petri exemplo, *aliiſque multis quotidie manifeſtum eſſe*, contendit, *qui*, inquit ipſe, *tentantur*, *ultra quam poſsint ſuſtinere* (262). Cum igitur, ut videre quiſque poteſt, hæc ſint genuina Janſenii verba, æquo animo ferant illius partiarii, ſi dixero, me haud poſſe animo complecti, qua demum fronte inficiari ipſi audeant, primam hanc ejuſdem propoſitionem, atro carbone ab Eccleſia juſtiſsime notatam, in illius *Auguſtino* reperiri.

ANIMADVERSIO I.

130. Omnino certa ſecundum Janſenium res eſt, per ſolam *relative* victricem divinæ gratiæ delectationem divina mandata obſervari a nobis poſſe; ac proinde illa ſi deſit, iis, quibus deeſt, mandata ipſa eſſe obſervatu impoſsibilia; atque hinc, cum victrix illa delectatio iis reapſe deſit, ut vidimus, qui divina mandata tranſgrediuntur, ab hiſce etiam, etſi fideles, & juſti fuerint, illa obſervari non poſſe. Enimvero, poſtquam dixit Janſenius, S. Petri exemplo manifeſtum eſſe, quamplures tentari ultra quam ſuſtinere ipſi poſsint, ſtatim ſubjungit, *nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficiſci*, *quod actus implendi debeat eſſe ſupernaturalis*, *vel meritorius*, *vel aliquid ſimile*, (*quæ Auguſtino*, inquit ipſe, *nunquam in mentem venerunt*) *ſed ex eo quod vires voluntatis infirmæ ſint*, *propter concupiſcentiam a volendo bono retrahentem*, *cujus reniſu fit*, *ut vires voluntatis diſtrahantur*, *atque ita homo non plane velit*, *non integre velit*, *non tota voluntate velit. Talem autem voluntatem non eſſe idoneam*, *ut ſuperet alteram vetuſtate roboratam*; *quia per*

(262) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 13.

Digitized by Google

per illam nondum poteſt homo tantum velle, quantum ſufficit, ut volendo faciat; poterit autem, cum habuerit magnam, & robuſtam (263), videlicet cum tanta in eo fuerit cœleſtis delectatio gratiæ, quæ terrenam carnalis cupiditatis delectationem, qua, ut ille dixerat, a volendo bono retrahitur, gradibus ſuis ſuperaverit. Nihil itaque certius apud Janſenium eſt, quam impoſsibilitatem obſervandi divina præcepta, quam, ipſo docente, fideles etiam, & juſti quandoque in ſeipſis experiuntur, ex cœleſtis delectationis *relative* victricis defectu provenire. Docet proinde alio loco, *gratiam inefficacem*, eam ſcilicet cœleſtem delectationem, quæ gradibus ſuis terrena inferior eſt, *nullo modo ſufficere, ut homo Dei mandatum operetur*. (264). Docet, *gratiam medicinalem, quæ poſt humanæ naturæ lapſum ad bene vivendum* (adeoque ad implenda divina mandata) *ſufficit........ eſſe talem, quæ quando datur, ipſum velle, & operari tribuit, non amplius quaſi nutum voluntatis expectando, ſed ipſum invicte largiendo* (265); ac propterea eſſe *gratiam efficacem*, cœleſtem ſcilicet delectationem *relative* victricem. Etenim, ut ille ipſe alibi aperte dixerat, *gratia ſufficiens ad præcepta facienda, cavendaque peccata, vera, & magna, & gratuita gratia eſt, quam ſpirat Spiritus, ubi vult; & hæc ſufficiens gratia, juxta doctrinam ejus* (nempe S. Auguſtini) *ſolidiſsimam, non eſt alia, nec, ut videtur, ſine errore alia dici poteſt, quam illa, quæ voluntatem facit facere, & in ea operatur reipſa velle, & operari* (266).

I 4 Cum

(263) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 13.
(264) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 27.
(265) Lib. 3. *ejuſdem* cap. 19.
(266) Ibidem cap. 5.

Digitized by Google

Cum ergo hæc ſit *gratia efficax*, ac proinde ſecundum Janſenium delectatio cœleſtis gradibus ſuis ſuperior carnali cupiditate, concedat ille neceſſe eſt, per ſolam delectationem cœleſtem *relative* victricem divina mandata eſſe nobis obſervatu poſsibilia; atque hinc ab iis, qui illa gratia deſtituti ſunt, quique proinde mandata ipſa tranſgrediuntur, obſervari non poſſe. Hinc eſt, ab eo diſerte doceri, tunc ſubtrahi gratiam, quæ ad implenda divina mandata ſatis eſt, quæque idcirco illa nobis obſervatu poſsibilia reddit, *cum Deus non præbet homini, ut animus legis impletione delectetur, ſed ſinit eum carnalibus delectationibus ſecundum terrenarum rerum cupiditates rapi* (267), videlicet cum Deus tantum cœleſtis delectationis nobis non infundit, quantum neceſſario requiritur, ut, dum urget præceptum, magis illius impletione, quam ejuſdem tranſgreſsione *indeliberate* delectemur. Hinc etiam eſt, eodem quoque docente, *non aliter eſſe verum, quod Deus non jubeat impoſsibilia, niſi quia quæcunque jubet, hominis voluntate per* omnipotentem (adeoque relative victricem) *gratiam adjuta, fieri poſſunt* (268). Nihil itaque certius in Janſenii doctrina, quam divina mandata ab iis, qui illa tranſgrediuntur, ac proinde qui *gratia efficaci*, adeoque cœleſti *relative* victrice delectatione deſtituti ſunt, obſervari non poſſe. Verum enimvero

ANIMADVERSIO II.

131. Apertius id nobis adhuc fiet, ſi conſiderabimus, quot tantum modis *poſsibile* ſit ſecundum Janſenium,

(267) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(268) Ibidem cap. 13.

Digitized by Google

nium, ut agat homo, quod juſtum eſt; quodque Deus jubet, ille adimpleat. Ait ergo ille, id fieri poſſe. I. *remotiſsime per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum, & malum*. II. *paulo propinquius per fidem, quamvis delectatione Dei, & actuali Dei adjutorio, interniſque viribus voluntatis careamus*. III. *multo plenius propinquiuſque per charitatem, per quam homo juſtificatur, ſcilicet per charitatem habitualem*. IV. *completiſsime*, inquit ille, *dicimur* poſſe, *quando S. Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur, ut non nude poſſit, ſed etiam velit* (269) videlicet quando tanta nobis infunditur actualis gratiæ delectatio, quæ delectationem carnalis concupiſcentiæ gradibus ſuis vincat ac ſuperet. Etenim, ut ipſemet docet, *tali gratia non ſolum* poſſe, *ſed etiam ipſum* agere *adjuvatur*. *Dat enim*, inquit, *non ſolum* poſſe, *ſi velis, ſed &* velle, *quod potes*. *Hoc* poſſe *nunquam habetur, niſi quando* reipſa *quoque* agitur; *& eſt proprius effectus non* fidei, *aut* charitatis, *ſeu* bonæ voluntatis habitualis, *ſed illius* gratiæ actualis, *quam Chriſtus attulit hominibus infirmis per crucem ſuam* (270). Jam vero *poſſe* primo, ſecundo, & tertio modo non eſſe *verum poſſe*, minime, ut ſpero, niſi velit ſibimetipſi palam contradicere, inficiabitur Janſenius. Certe de *poſſe* primo modo ait ipſe, *poteſtatem iſtam ſine gratia Dei efficere nihil poſſe* (271). Fatetur quoque, *fidem non operari obſervationem mandatorum, niſi per dilectionem* (272), & dilectionem, ſive *charitatem*

(269) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 15.
(270) Ibidem.
(271) Ibidem.
(272) Ibidem.

tem habitualem , *quantumcunque magna* ipſa fuerit, *poſt lapſum primi hominis in actum exire* non poſſe (273) ſine illa gratia actuali, quæ *dat non ſolum* poſſe, *ſi velis* , *ſed & velle* , *quod potes* (274) , nempe ſine delectatione cœleſti, quæ gradibus ſuis ſuperior ſit carnali cupiditate. *Niſi enim* , inquit , *mirabili & inuſitata gratia* (ſcilicet delectatione cœleſti relative) *fomes extinguatur* (*qui non eſt aliud* , *quam generale quoddam pondus ad creata diligenda*) *ſemper animum languentem deorſum premit* , *ſemper viſibilibus objectis*, *undequaque intus*, *& foris ſeſe offerentibus proritatur* , *niſi Spiritus Sancti munere* (nempe cœleſti relative victrice delectatione) *motus ejus vel præveniantur orituri* , *vel comprimantur exorti* (275). *Vigente* quippe *delectatione carnali*, *impoſſibile eſt* , ipſo docente , *ut virtutis ac honeſtatis conſideratio prævaleat* (276) ; & niſi cœleſtis divinæ gratiæ delectatio *major fuerit* , *quam terrena* , *qua* , ut ipſe quoque ait , *noſter affectus detinetur*, *fieri non poteſt* , *quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur* (277) imo , eodem Janſenio fatente , tam eſt *poſſibile* voluntati , cœleſti *relative* victrice delectatione deſtitutæ , ut bene velit , divinaque mandata adimpleat , *quam homini cæco* , *ut videat* , *vel ſurdo* , *ut audiat* , *vel tibiis fracto* , *ut recte gradiatur* (278) , ac demum adeo *imperfectos* ipſe etiam vocat tres priores *poſſibilitatis* modos , ut , illis præſentibus , *ſi poſtremus*

(273) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 25.
(274) Ibidem.
(275) Ibidem.
(276) Lib. 4. *ejuſdem* cap. 9.
(277) Ibidem cap. 6.
(278) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 1.

Digitized by Google

mus, *qui per actualem gratiam datur*, *non affuerit*, *non magis*, inquit, *hic*, *& nunc*, *& abſolute fieri poſſe præceptum dici poſsit*, *quam ſine alis volare poſſe diceretur* (279). Itaque, ipſomet fatente Janſenio, niſi *quarto modo* divina mandata obſervatu poſsibilia nobis ſint; ac proinde niſi, cum impleri debent, tantum in nobis fuerit cœleſtis delectationis, quæ terrenam *intenſive* ſuperet, illa ſunt nobis obſervatu *phyſice* impoſsibilia.

ANIMADVERSIO III.

132. Fucum faciunt Janſeniani, dum ajunt, divina mandata ab iis, qui illa tranſgrediuntur, quique idcirco carent delectatione cœleſti *relative* victrice, obſervari quidem non poſſe *potentia relativa*, ſed poſſe *potentia abſoluta*. Cum enim *abſoluta* hæc *potentia* ex parva Janſenii gratia, nempe ex cœleſti delectatione, quæ minor, ſive debilior ſit carnali cupiditate, ipſis fatentibus, proveniat, *vera potentia* non eſt, ſed, quemadmodum tum ratione, tum auctoritate alibi demonſtravimus, eſt *vera*, *realis*, & *phyſica impotentia*. Et ſane, cum impleri a nobis poſſe divina mandata *potentia abſoluta*, perinde omnino ſit ſecundum illius *potentiæ* fautores, ac ea impleri poſſe per talem gratiam, quæ delectatione ſua minor ſit delectatione carnalis cupiditatis, qua voluntas ab illorum obſervantia retrahitur, dicere profecto illi haud poſſunt, Dei præcepta per illam gratiam vere nobis reddi obſervatu poſsibilia, adeo nempe ut ipſorum tranſgreſsio jure nobis imputari ad culpam poſsit, niſi velint ab ſuo Ma-

(279) Lib. 3. *ejuſdem* cap. 15.

Digitized by Google

Magiſtro Janſenio recedere, eaque ipſi affirmare; quæ ille conſtanter negat. Fortene ignorant, illum docere, *niſi delectatio cœleſtis major fuerit, quam terrena, fieri non poſſe, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur* (280): *vigente delectatione carnali, impoſsibile eſſe, ut virtutis, ac honeſtatis conſideratio prævaleat* (281): *pravam delectationem ſine aliqua majore delectatione, & meliore* nos *non poſſe compeſcere* (282): gratiam inefficacem, nempe cœleſtem delectationem inferiorem terrena, *nullo modo ſufficere, ut homo Dei mandatum operetur* (283): tamque eſſe impoſsibile voluntati, ut ſine delectatione cœleſti *relative* victrice bene velit, & operetur, *quam homini cæco, ut videat, vel ſurdo, ut audiat, vel tibiis fracto, ut recte gradiatur* (284): ac demum *neceſſarium eſſe*, & quidem vera, reali, & phyſica neceſsitate, *ut ſecundum id operemur, quod amplius nos delectat* (285)? Fortene, inquam, illi ignorant, hæc Janſenium docuiſſe? Si autem id non ignorant, ut non ignorant certe, qua deinde fronte contendere queant, divina mandata per delectationem cœleſtem, quæ ſit debilior terrena, nobis vere eſſe obſervatu poſsibilia, atque ad nobis juſte imputandam illorum tranſgreſsionem, ſatis eſſe, ut *potentia abſoluta* obſervari illa a nobis poſsint, etſi non poſsint *potentia relativa*? Apparet igitur, quanta attentione nobis opus ſit, ne cum agitur de prima, ab

Ec-

(280) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(281) Ibidem cap. 9.
(282) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 3.
(283) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 27.
(284) Ibidem cap. 1.
(285) Lib. 4. *ejuſdem* cap. 6.

Digitized by Google

Eccleſia optimo jure proſcripta, Janſenii propoſitione, ab illius partiariis, ut facile eſt, decipiamur.

SCHOLION II.

133. Ita porro reſpondere Janſenianos, cum ab illis quæritur, quomodo divina mandata iis obſervatu poſsibilia ſint, qui carent *gratia efficaci*, ſive delectatione cœleſti *relative* victrice (cujuſmodi poſito illorum ſyſtemate, eorumque Magiſtro fatente, ii ſunt omnes qui mandata ipſa tranſgrediuntur) palam affirmat Cl. P. Graveſon, ut alios prætercam, explicatque diſertiſsime. *Janſenii diſcipuli*, inquit ille, *ſi compellantur a Thomiſtis ut exponant, quænam ſit illa obſervandi præcepta, & vincendi tentationes potentia, quam voluntati creatæ dat gratia ſufficiens* (nempe delectatio cœleſtis minor terrena), *quam admittunt in ſtatu naturæ lapſæ? incunctanter Janſenii diſcipuli reſpondebunt, potentiam illam adimplendi præcepta, & ſuperandi tentationes, quam ſua gratia ſufficiens in ſtatu naturæ lapſæ impertitur voluntati creatæ, eſſe dumtaxat* potentiam abſolutam, *& abſtractam a diſpoſitionibus, quæ ſunt in ſubjecto, ſeu eſſe potentiam, quæ præcepta Dei reddit* poſsibilia abſolute, *præciſis actualis, & ardentioris oppoſitæ terrenæ concupiſcentiæ delectationis gradibus ac circumſtantiis, quæ ſunt in ſubjecto; ſed non eſſe* potentiam relativam *ad oppoſitam terrenæ concupiſcentiæ delectationem. Volunt itaque Janſenii diſcipuli* (proſequitur ille) *gratiam illam* parvam, *quam in ſtatu naturæ lapſæ a* gratia *per ſe* efficaci *diſtinctam admittunt, quamque* ſufficientem *appellant, volunt*, inquit, *hanc* gratiam parvam *conferre voluntati creatæ* poten-

tiam

tiam *obſervandi mandata*, *&* *vincendi tentationes* abſolutam *tantum*, *&* *abſtractam a circumſtantiis*, *diſpoſitionibus*, *&* *gradibus oppoſitæ ſuperioris terrenæ concupiſcentiæ delectationis*; *ſed præfracte negant*, gratiam *illam* parvam, *quam in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcunt*, *quamque vocitant* gratiam ſufficientem, *dare voluntati creatæ* potentiam relativam *ad præſentes ſubjecti diſpoſitiones*, *hoc eſt*, veram, *&* expeditam potentiam *vincendi oppoſitam ſuperiorem terrenæ concupiſcentiæ delectationem. In conflictu enim delectationis cœleſtis inferioris cum oppoſita terrena concupiſcentiæ delectatione ſuperiori*, *impedita eſt hic*, *&* *nunc*, *&* *quaſi vinculo conſtricta manet illa obſervandi mandata*, *&* *vincendi tentationes* potentia abſoluta, *quam voluntati creatæ in ſtatu naturæ lapſæ dat* gratia *illa* parva, *quam Janſenii diſcipuli* ſufficientem *appellant*; *quia nullo pacto fieri poteſt*, *ut minor delectatio vincat majorem*, *ſicut impoſſibile eſt*, *ut pondus gravius a leviori trahatur* (286). Alibi quoque, loquens de hac prima Janſenii propoſitione, *non negant quidem*, inquit, *Janſenius*, *&* *Janſeniſtæ*, gratiam parvam, *quam habent aliqui juſti*, *deſtituti* gratia efficaci, *dare* potentiam abſolutam *ſuperandi concupiſcentiam* (*ſi enim minor eſſet oppoſita concupiſcentia*, *ab illa* parva gratia *vinceretur*), *ſed negant Janſenius*, *&* *Janſeniſtæ*, parvam *illam* gratiam, *quæ ineſt aliquibus juſtis*, gratia efficaci *deſtitutis*, *dare illis* potentiam relativam *ad oppoſitos concupiſcentiæ gradus*, *per quam aliqui juſti*, *abſente* gratia efficaci, *poſſint ſuperare majorem*, *&* *ſuperiorem oppoſitam concupiſcentiæ delectationem*; *quia*, *inquiunt Janſenius*, *&* *Janſeniſtæ*, *cum illa* gratia parva *ni-*

(286) Claſſ. 2. Epiſt. 4. pag. 86.

Digitized by Google

nihil aliud ſit, *quam indeliberata cæleſtis delectatio*, *quæ minor*, *& debilior*, *& inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione*, *impoſſibile prorſus eſt*, *ut* parva illa gratia *vincat oppoſitam majorem concupiſcentiæ delectationem*. *Minor enim delectatio non poteſt vincere oppoſitam majorem delectationem*, *ſed ei neceſſario cedere debet*. *Ex quo doctrinæ Janſenii*, *& Janſeniſtarum principio evidenter ſequitur*, aliquibus juſtis (*qui habent dumtaxat* gratiam *illam* parvam, *& carent* gratia efficaci, *ſeu* relative *victrici*) præcepta eſſe impoſſibilia: deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant (287).

ANIMADVERSIO IV.

134. Impotentia implendi præcepta divina, quam juſtis etiam, piiſque hominibus, dum illa tranſgrediuntur, ineſſe ait Janſenius, tanta, ipſomet docente, eſt, ut neque ad orationem, per quam a Deo gratiam illam poſtulent, quæ ad præcepta ipſa obſervanda ſufficiat, confugere poſſint. Poſtquam enim ſcripſerat, *ſufficientem gratiam* ad faciendum, quod Deus jubet tunc nobis a Deo ſubtrahi, *cum Deus non præbet homini*, *ut animus legis impletione delectetur*, *ſed ſinit eum carnalibus delectationibus ſecundum terrenarum rerum cupiditates rapi*, nemo, inquit, opponat, *orari ſaltem poſſe*, *ut iſta delectatio*, *quæ ſufficiat implendæ legi divinitus tribuatur*; dico enim, reſpondet ille, *non ſolum Judæis*, *ſed & Chriſtianis*, *non ſolum carnalibus*, *ſed & ſpiritualibus gratiam talem* ſufficientem *ad faciendum*, *quod jubetur*, *frequenter ſubtrahi*, *atque ita ſubtra-*

(287) Claſſ. 2. Epiſt. 6. pag. 123.

Digitized by Google

ſubtrahi, *ut* nec pro tali gratia adipiſcenda, deprecandi ſimilis ſufficiens gratia habeatur (288). Ait proinde alio loco, *iſtam gratiam* orandi, *ſeu* poſtulandi vires voluntatis, *Deum, cui voluerit, & quantum voluerit, largiri* (289), *neque exiguam eſſe quorundam hallucinationem, qua putant, ſemper adeſſe homini gratiam, ut petat, ac tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret id, quod petit* (290). *Itaque* (concludit Janſenius) *cum plurimi vel non petant gratiam illam, qua poſsint, ac ſufficiant præcepta facere, vel non ita petant, ut ad impetrandum neceſſarium eſt, nec* omnibus *gratiam vel ferventer petendi*, *vel* omnino petendi *Deus largiatur*, *apertiſsimum eſt*, fidelibus multis deeſſe illam ſufficientem gratiam (291), eam ſcilicet, qua divina mandata implere poſsint.

ANIMADVERSIO V.

135. At hic unum eſt, mea quidem ſententia, attente conſiderandum, videlicet etiam ad orationem, qua divinum auxilium imploretur, tantam cœleſtis gratiæ delectationem, ſecundum Janſenium, neceſſario requiri, ut gradibus ſuis carnalem eam cupiditatis delectationem, qua voluntas tunc ab orando retrahitur, ipſa ſuperet. Reſpondens quippe Janſenius objicienti, *orari ſaltem poſſe, ut delectatio, quæ ſufficiat implendæ legi, divinitus tribuatur*, ait, *etiam* ad orandum *quammaxime delectatio neceſſaria eſt*, *quæ non magis, quam*

(288) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(289) Ibidem cap. 13.
(290) Ibidem.
(291) Ibidem.

Digitized by Google

quam cæteræ, noſtræ poteſtatis non eſt, ſed a Deo per gratiam donari debet (292). Alibi quoque docet, *iſtam gratiam orandi, ſeu poſtulandi vires voluntatis, Deum cui voluerit, & quantum voluerit, largiri; Spiritus enim*, inquit, *qui ubi vult, ſpirat, ſicuti ſpiritum gratiæ, ita* precum *effundit, ubi vult. Qua de cauſa nec orare delectat, aut lubet, niſi Deus, ut lubeat, inſpiraverit; & quando jam lubet, non tanto ſemper* ardore *lubet, quanto neceſſarium eſt, ut ſic petamus, ac tantum petamus, quomodo, & quantum res tanta petenda eſt* (293). Sane, cum oratio ſit opus bonum, vel etiam ad orandum cœleſtis delectatio gratiæ *relative* victrix neceſſaria eſt, vel ad nullum opus bonum *relative* victrix gratiæ delectatio neceſſario requiritur: quæ cum ita ſint, apertum manet, eos qui non orant, cum orare debent, ideo non orare, ſtando Janſenii principiis, quia carent tanta delectatione gratiæ, quæ carnalem cupiditatem, qua retrahuntur ab oratione, & ad malum ſollicitantur, *intenſive* ſuperet; atque hinc ideo illos non orare, non quia nolunt, ſed quia orare non poſſunt.

ANIMADVERSIO VI.

136. Obſervatum pariter non minori attentione hic velim, eos quoque ab Janſenii doctrina non recedere, qui ajunt, divina mandata ideo nemini eſſe obſervatu impoſſibilia, quia impleri ab omnibus poſſunt per gratiam, quam Deus conferre poteſt omnibus, quamque omnes poſſunt ab illo recipere. Hoc enim

(292) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(293) Ibidem cap. 13.

Digitized by Google

ſenſu Deum non jubere impoſsibilia, neque Janſenius inficiatus eſt, diſertiſsimis verbis ipſe quoque affirmans, *non aliter verum eſſe*, *quod* Deus non jubeat impoſsibilia, *niſi quia quæcunque jubet*, *hominis voluntate*, *per omnipotentem gratiam Dei adjuta*, *fieri poſſunt* (294).

SCHOLION III.

137. Quod modo diximus de impletione divinorum præceptorum, etiam de peccatoris converſione ad Deum velim intelligatur: arbitror nempe, ut peccator vere dici queat ad Deum poſſe converti, haudquaquam ſufficere, ut habere, ſeu obtinere ipſe poſsit gratiam, qua converti ad Deum poſsit, eodem plane ſenſu, quo homo dicitur *poſſe manducare panem*, *etiam cum panem non habet*, *neque etiam quidquam*, *unde ſibi panem comparet*, & quo dicitur etiam, hominem illum poſſe videre, *qui non habet lucem*, *ſed in tenebroſum carcerem injectus eſt*, *quamvis ſine luce viſurus ſit unquam*, imo ne videre unquam poſsit. Si namque, Deum *poſſe* nobis dare gratiam, noſque *poſſe* gratiam recipere, qua implere divina mandata, atque ad Deum converti valeamus, plane ſufficeret, ut vere dici poſſet, Deum non jubere impoſsibilia, noſque poſſe ad Deum converti, etiamſi, dum urget præceptum, gratiam illam minime haberemus; haud ſane video, quamobrem dici recte non poſſet, ſicuti certe non poteſt, Deum non jubere impoſsibilia, ſi, quin illis ſanitatem reſtitueret, præciperet cæco, ut videret, ſurdo, ut audiret, tibiiſque fracto, ut recte graderetur? Non

(294) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 13.

Nonne enim illis Deus donare ſanitatem *poteſt*, ipſique *poſſunt* ſanitatem recipere? Similiter quis negabit, homini, quamdiu alis caret *phyſice impoſsibile* eſſe, ut volet, ſicuti etiam ut ille diu vivat, qui panem non habet, neque etiam quidquam, unde ſibi panem comparet, quamvis & Deus dare *poſsit*, & ipſi *poſſint* alas, atque panem a Deo recipere? Poſſe igitur hoc ſenſu minime ſufficit, ne Janſenio impie docenti, *Deum impoſsibilia præcipere*, conſentiamus.

ANIMADVERSIO VII.

138. Ex ea demum gratia, quam *parvam* vocat Janſenius, illa velleitas, conatuſque ille derivandus eſt, quo, ut ipſe ait, homines juſti ea Dei præcepta implere volunt, atque nituntur, quæ, eodem docente, ſunt ipſis obſervatu impoſsibilia. Parva enim illa gratia *quamvis*, inquit Janſenius, *nullo modo ſufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid vel iſtarum, vel alterius cujuſdam non* voluntates, *ſed* velleitates, *vel* complacentias *excitet, quas, niſi divinitus infundantur, obtinere humana poteſtate nemo poteſt* (295). Hinc cauſam explicans, cur divina mandata obſervari quandoque non poſsint, ait, id non ex eo oriri, quod *actus implendi debeat eſſe ſupernaturalis, vel meritorius, vel aliquid ſimile, ſed ex eo quod vires voluntatis infirmæ ſunt propter concupiſcentiam a volendo bono retrahentem, cujus reniſu fit*, inquit ille, *ut vires voluntatis diſtrahantur, atque ita homo non plane velit, non integre velit,*

(295) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 27.

non tota voluntate velit. Addit vero; *talem voluntatem non eſſe idoneam, ut ſuperet alteram vetuſtate roboratam*; *quia per illam nondum poteſt homo tantum velle, quantum ſufficit, ut volendo faciat. Poterit autem*, inquit, *cum habuerit magnam, & robuſtam* (296), nempe cum tanta cœleſtis delectatio gratiæ in ipſo fuerit, quæ terrenam carnalis cupiditatis delectationem *intenſive* ſuperaverit. Ideo enim, inquit alio loco, *in iſta cum tentationibus dimicatione* magna, *adeoque* major, *ac* victrix delectatio cœleſtis *neceſſaria eſt*; *quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non poteſt, ſeu, ut Schola loquitur, tam intenſe ac fortiter velle non poteſt, quantum neceſſe eſt, ut tentatio ſeu delectatio appoſita ſuperetur* (297).

II.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

139. Videlicet nulla ſecundum Janſenium in hoc lapſæ corruptæque naturæ ſtatu datur interior gratia Chriſti, quæ culpa noſtræ voluntatis, totum id non obtineat, quod, habita ratione circumſtantiarum, in quibus tribuitur, obtinere a nobis poteſt, & propter quod obtinendum nobis a Deo confertur. Neque enim vere proprieque loquendo, dici poteſt, voluntatem noſtram divinæ gratiæ reſiſtere, ſi illi obſequi nequit, idque minime facit, quod per eam facere ipſa non poteſt. *Reſiſtere gratiæ, proprie & ſtricte loquendo*, inquit

(296) Lib. 3. *ejuſdem* cap. 13.
(297) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.

Digitized by Google

quit Cl. P. Graveſon, *eſt eam fruſtrare ; ſeu privare eo effectu, quem habere poteſt in his. circumſtantiis, in quibus datur* (298). Re quidem vera reſiſtere gratiæ eſt impedire, ne gratia operetur. Quomodo autem dici poteſt, voluntatem impedire, ne gratia *operetur illud, quod ab ipſa gratia actu* produci *non poteſt*? Itaque ut dici queat, quod voluntas gratiæ reſiſtat, duo requiruntur. Primo: quod gratia privetur eo effectu, ad quem ipſa excitat voluntatem. Secundo: quod gratia det voluntati potentiam operandi illum effectum. Si enim voluntas non poteſt operari effectum, ad quem excitatur a gratia, nulla eſt, vel eſſe poteſt ex ejus parte reſiſtentia. Hoc igitur præmiſſo certo inconcuſſoque principio, futurum neceſſario oſtenditur ſecundum Janſenium, ut in hoc lapſæ naturæ ſtatu voluntas noſtra nunquam interiori gratiæ reſiſtat. Cœleſtis namque delectatio, in quo medicinalis Chriſti gratia, illo docente, poſita eſt, vel gradibus ſuis ſuperat delectationem illam carnalis cupiditatis, qua tunc voluntas premitur, vel ab illa *intenſive* deficit. Si ſuperat: tantum abeſt, voluntatem noſtram illi gratiæ reſiſtere, ut ne reſiſtere quidem poſſit ; cum *phyſice* neceſſarium ſit, ut ſecundum illam voluntas ipſa operetur. Si vero *intenſive* deficit : cum ſit *phyſice* impoſſibile, ut voluntas per eam vincat carnalem cupiditatem, atque adeo ut bonum illud opus agat, ad quod volendum, agendumque ab ipſa gratia excitatur, ei profecto gratiæ, ut patet ex modo dictis, voluntas non reſiſtit ; & ideo nulli gratiæ ipſa modo reſiſtit.

(298) Claſſ. 2. Epiſt. 4. pag. 94.

Digitized by Google

SCHOLION I.

140. Quod ita porro Janſenius ſenſerit, *adeo in aperto eſt, ut* Cl. P. Serry *otioſi hominis fore putet, ea in re demonſtranda diutius immorari* (299). Nonne enim docet Janſenius, tale eſſe adjutorium infirmæ captivæque voluntatis, quod *invictiſſime facit, ut voluntas velit, & a voluntate non deſeratur* (300), ſive ejus illud eſſe naturæ, *ut ſimul ac datur, ipſum velle voluntati detur, & ſi non detur, nunquam velit, quia ſine illo nunc propter infirmitatem velle non poteſt* (301)? Nonne vult ille ipſe, *nullam omnino medicinalem Chriſti gratiam effectu ſuo carere, ſed omnem efficere, ut voluntas velit, & operetur* (302), ſeu *ſemper effectum ſuum inferre voluntati, cui eam Deus ſua benignitate largitur* (303), adeo nimirum ut *nulla effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicacia fruſtretur? Frangit enim*, inquit, *ante omnia ipſam illam voluntatis pervicaciam, per quam effectus ejus impediretur, atque ita quandocunque largitur gratiam ſuam, ſimul dat incrementum Deus* (304). Contendit propterea, *apud Auguſtinum* gratiam, *&* opus bonum *ita reciprocari, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet, ita*

(299) Tom. 1. *Prælect. Theol.* Diſp. 4. *de Natura reparata* Prælect. 4.
(300) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 4.
(301) Ibidem.
(302) Ibidem cap. 25.
(303) Ibidem.
(304) Lib. 3. *ejuſdem* cap. 4.

Digitized by Google

ita vice verſa ex defectu operis gratiam non eſſe datam (305), nempe *hoc ipſo quod data eſt homini gratia, mox effectum ſequi*, & ex adverſo *hoc ipſo quod effectu homo deſtituitur, nullam ei gratiam collatam eſſe, ſed ſolo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc eſt, lege doctrinaque ad operationis præceptæ juſtitiam niti* (306). Hinc dicere non eſt veritus, *nullam aliam actualem Chriſti gratiam* S. Auguſtinum *agnoviſſe, nec agnoſcere potuiſſe, niſi regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam* gratiæ medicinalis *tradidit, & explicuit, vellet interimere* (307), & quicunque aliam gratiam nobis procuderit, talem ſcilicet, quæ ob voluntatis reniſum fruſtrari effectu ſuo poſsit, *novum gratiæ genus Chriſtianis afferre, quod nec Auguſtinus, nec ullus latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex profeſſo decertarunt, nec Eccleſia in Conciliis generalibus, vel provincialibus ab Apoſtolica Sede approbatis, agnovit unquam, nec agnoſcere potuit, niſi principia, quibus ipſa per antiquos Patres* medicinalem Chriſti gratiam *defendit, funditus evertantur* (308). Ac demum, ne longior ſim in re notiſsima, ſcribit ille alio loco, *in univerſis operibus* S. Auguſtini *non eſſe veſtigium, quod Chriſti gratia cuiquam ſit incongrua*, ita nempe ut effectu ſuo careat; *ſed omnis*, inquit ipſe, *operatur ac perficit effectum ſuum*, quatenus nempe *omnis delectat voluntatem, & omnis*

K 4

(305) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 25.
(306) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 25.
(307) Ibidem cap. 27.
(308) Ibidem.

Digitized by Google

nis hoc ipſo ad operandum effectum illum, ad quem datur, trahit (309).

ANIMADVERSIO I.

141. Verum ne quis hæc conſiderans putet, Janſenium ſibi contradicere, dum *inefficacem* & ipſe *gratiam* admittit, obſervandum eſt, etiam illam gratiam, quam Janſenius *inefficacem* vocat, eum totum effectum, quem poteſt, & propter quem voluntati tribuitur, ab ipſa voluntate ex Janſenii quoque ſententia obtinere; & ideo neque huic gratiæ, vere & proprie loquendo, ut monuimus, a voluntate reſiſti. Sibi namque objiciens Janſenius, *quomodo nulla Chriſti gratia effectu careat*, cum jam conſtet, *multos divinitus mente colluſtrari, imò vero & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt*; reſpondet, *multiplices eſſe divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Eſt enim*, inquit, *velle perfectum, quod Auguſtinus* poſſe *vocat*; *eſt & imperfectum, quod* velleitatem *appellare ſolent. Hæc ergo primus eſt cæleſtis iſtius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus. Nam quemadmodum inundatio divinæ gratiæ totam hominis voluntatem ſecum inſtar impetuoſi cujuſdam torrentis rapit, ſic ut omnia humani cordis retinacula, quibus terrenis rebus irretitur, velut violenta quadam tempeſtate, diſrumpit; ita lenis ille velut auræ tenuis afflatus complacentiam quamdam voluntatis tenuiſſimam, rei tam pulchræ, quæ ſimul objicitur contemplanda, contemperatam ſuaviter impetrat, &*

celer-

(309) Lib. 10. *ejuſdem* cap. 7.

Digitized by Google

celerrime quaſi furtim poſt ſe rapit. Hæc igitur gratia quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei madatum operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat; adhuc tamen facit aliquid, ut iſtarum, vel alterius cujuſdam cœleſtis rei liberas quaſdam non voluntates, *ſed* velleitates, *vel* complacentias *excitet, quas, niſi divinitus infundantur, obtinere humana poteſtate nemo poteſt* (310). *Sic videmus*, inquit paulo infra, *plurimos, qui necdum ab immunditia carnis ſe continere poſſunt* (quia nempe deſtituti delectatione gratiæ relative victrice) *vehementer tamen* (per gratiam inefficacem, quam habent) *optare continentiam: cujuſmodi vota divinæ gratiæ* (ſcilicet inefficacis) *ſunt munera* (311). Tametſi ergo etiam ſecundum Janſenium detur *gratia inefficax*, adhuc tamen manet, quod rei noſtræ caput eſt, *omnem* ſcilicet *gratiam in eo, cui datur, ſemper*, ut ipſe ait, *operari effectum, ob quem datur* (312); ac proinde quem ipſa poteſt in nobis operari, videlicet vel *perfectum velle*, vel *imperfectum*: primum, ſi gradibus ſuis ſuperior illa fuerit carnali cupiditate; alterum, ſi fuerit carnali cupiditate inferior. *Non enim*, inquit ipſe, *quævis gratia ad quoſvis effectus inferendos ſufficit, ut quidam imaginati ſunt; ſed poteſtates operationum difficultati ſunt attemperandæ* (313), ita nimirum ut quo major fuerit delectatio carnalis cupiditatis, qua voluntas ab operando bono retrahitur, eo vividior debeat eſſe cœleſtis delectatio gratiæ, ut illa vincatur; ac propterea, ut quod juſtum eſt, voluntas operetur. Neceſſe quippe eſt,

(310) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 27.
(311) Ibidem.
(312) Ibidem.
(313) Ibidem.

eſt, ſtando illius principiis, ut ſecundum id voluntas operetur, quod ipſam magis delectat.

ANIMADVERSIO II.

142. Verum pro pleniori rei hujuſce intelligentia conſiderandum attente eſt, animoque alte infigendum, errorem, in hac ſecunda Janſenii propoſitione ab Eccleſia proſcriptum, minime in eo eſſe poſitum, quod omnis interior Chriſti gratia aliquem ſemper in nobis effectum producat, quem impedire voluntas noſtra non poſsit; ſed in eo, quod omnis gratia eum ſemper totum effectum obtineat, cujus producendi *veram*, & *realem*, & quidem *relativam* potentiam voluntati communicat. Ut enim egregie habet *Janſeniſmi redivivi* Illuſtriſsimus Auctor, *certiſsimum eſt, Deum, quando per gratiam ſuam mentem illuminat, vel accendit voluntatem, producere ſemper in mente quandam illuſtrationem, & in voluntate piam quamdam motionem, ſaltem indeliberatam. Illuminationem enim activam ex parte Dei* neceſſario *ſequitur in intellectu hominis illuminatio paſsiva, & motionem activam ſequitur in voluntate paſsiva motio, ſaltem indeliberata* (314). Qui ergo ajunt, ex omni gratia, quæ mentem noſtram interius afficit, ſemper ſequi actum aliquem voluntatis, etiam deliberatum, ac proinde ipſam gratiam nunquam prorſus omni privari effectu, ſed aliquem ſemper a nobis conſequi, non idcirco tamquam Janſenii partiarii traducendi ſunt, veluti ac errorem in ſecunda illius propoſitione damnatum ipſi quoque propugnent. Id quippe docere illi poſſunt ſine ulla prorſus Jan-

(314) P. 1. Artic. 3. n. 2.

Digitized by Google

Janſeniſmi ſuſpicione *modo fateantur*, inquit laudatus Cl. Præſul, *interiorem gratiam*, *etſi ſemper in voluntate aliquem producat effectum*, *non tamen ſemper producere omnem illum effectum*, *cujus producendi veram confert potentiam. Ad hoc enim*, *ut dici poſſit*, *quod interiori gratiæ aliquando reſiſtitur*, *ſatis eſt*, *quod reniſu voluntatis gratia aliquando privetur eo effectu*, *quem producere potuiſſet*, *& ad quem producendum conferebat veram potentiam*; *non autem neceſſe eſt*, *quod aliquando nullum omnino producat effectum*; *etiam deliberatum*. *Itaque* (concludit ille) *etſi gratia ſemper producat aliquem effectum*, *ſi tamen reniſu voluntatis totum illum non producat effectum*, *cujus producendi veram voluntati confert potentiam*, *tunc vere & proprie ei reſiſtitur*, *& conſequenter immunes ſunt ab errore ſecundæ propoſitionis Theologi illi*, *qui docent*, *gratiam ſemper operari aliquem effectum*, *etiam deliberatum* (315). Porro, etſi etiam ſecundum Janſenium omnis gratia non ſemper effectum illum obtineat, ad quem producendum movet voluntatem, non idcirco tamen dici poteſt, ſtando illius principiis, aliquam dari gratiam, quæ, culpa voluntatis, eo effectu privetur, cujus producendi *veram*, & *realem*, ſive *relativam*, *potentiam* ipſi voluntati communicat. Ejuſmodi namque non eſſe delectationem cœleſtem, quæ ſuperior ſit carnali cupiditate, nullus erit, qui dubitet. Neceſſe ſiquidem eſt, *vera*, *reali*, & *phyſica neceſſitate*, ut illi delectationi voluntas conſentiat; ac proinde ut id ipſa agat, ad quod faciendum ab illa excitatur. At nemo quoque inficiabitur, hujuſmodi non eſſe delectationem illam gratiæ, quæ a delectatione carnalis cupiditatis *intenſive* de-

(315) Loco citato.

Digitized by Google

deficiat. Cum enim *phyſice* ſit impoſsibile ſecundum Janſenium, ut illi cœleſti delectationi voluntas obſequatur, ac propterea ut id ipſa efficiat, ad quod movetur, caret quidem hæc gratia eo effectu, ad quem movet voluntatem; ſed non eo caret effectu, ad quem producendum *relativam potentiam* ipſi voluntati communicat; unde ipſa etiam, perinde ac delectatio *relative* victrix, eum ſemper totum effectum a voluntate conſequitur, cujus *relative* capax eſt, ſive quem producere ipſa poteſt; & ideo nulli gratiæ ſecundum Janſenium a voluntate reſiſtitur, quamvis etiam ſecundum ipſum non omnis gratia eum ſemper obtineat effectum, ad quem movet excitatque voluntatem.

ANIMADVERSIO III.

143. Obſervandum conſequenter eſt, omnem gratiam tuta fide, & abſque ulla prorſus Janſeniſmi ſuſpicione dici poſſe *efficacem*, ſumta *gratia efficaci* pro illa quæ ſemper quidem aliquem in nobis effectum producit, non tamen omnem, cujus *relative* capax eſt, ſive cujus producendi *relativam potentiam* nobis communicat. Si namque non eſt contra fidem, neque favet Janſeniſmo, ut modo vidimus, quod omnis gratia aliquem ſemper effectum in nobis producat, dummodo dicatur, non producere ſemper eum totum, quem *relative* poteſt producere; contra fidem non eſt profecto, neque Janſeniſmo favet, quod omnis gratia hoc ſenſu dicatur *efficax*. Non enim hinc ſequitur, ejuſcemodi eſſe omnem interiorem Chriſti gratiam, ut voluntas noſtra, quemadmodum falſo docet Janſenius, nunquam ei reſiſtat.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION II.

144. Omnem Chriſti gratiam poſſe hoc ſenſu dici *efficacem*, dummodo tamen pro comperto habeatur, non eum ſemper totum effectum, cujus producendi *relativam potentiam* voluntati ipſa confert, ab illa produci, docent Theologi præſtantiſsimi. Obſervandum eſt, inquit Em. Card. de Lauræa, *quod cum Deus ex ſua benignitate prævenit aliquem, ſive infidelem, excitando, illuminando, & inſpirando, ut veniat ad fidem; ſive fidelem lapſum, ut veniat ad pœnitentiam; ſive fidelem juſtum, ut faciat opera præcepti, aut conſilii, duo in his excitationibus ſunt conſideranda. Unum eſt ipſa* paſsiva excitatio, illuminatio, & inſpiratio, *quas Deus ſolus cauſat in nobis ſine nobis*, quæ *recipiuntur in intellectu, & voluntate, & iſti effectus ſemper a ſolo Deo efficiuntur, & ſic ſemper gratia excitans quoad hos* effectus illuminandi, & inſpirandi *eſt* efficax. *Alterum autem, quod conſiderandum venit, eſt ipſum opus; de quo fit excitatio, ſeu illuminatio, & inſpiratio, ut in propoſitis exemplis pro infideli* fides, *pro baptizato peccatore* pœnitentia, *pro fideli juſto* obſervantia præcepti, *vel* conſilii, *vel* operum ſupererogationis. *Iſta autem*, inquit, *appello* opera principalia, *quia ad hæc ordinantur excitationes* (316). Scribit quoque Cl. P. Graveſon, palamque affirmat, *Thomiſtas gratiæ ſufficienti* (ei nempe, cui voluntas noſtra dicitur reſiſtere) *duos aſsignare effectus*, primarium *videlicet*, & ſecundarium. *Primarius effectus, ad quem gratia ſufficiens ex voluntate Dei conſequenti ordinatur, conſiſtit.*

(316) Opuſc. 3. cap. 4. n. 84.

ſiſtit in piis cogitationibus , inſpirationibus , *&* illuſtrationibus *in intellectu* , *in* piis *etiam* motionibus , *&* affectionibus *in voluntate* , *aliiſque* bonis , *ſed* debilibus , *&* imperfectis actibus , *ſeu* deliberatis , *ſeu* indeliberatis. *Porro hunc* effectum primarium , *ad quem ex voluntate Dei conſequenti ordinatur* , *ſemper producit gratia ſufficiens* , *& in hoc ſenſu dicitur* efficax , *quia voluntas Dei conſequens ſemper impletur*. Secundarius effectus *gratiæ ſufficientis* , *ad quem ordinatur ex voluntate Dei antecedenti* , *ſiſtit in* actuali , *&* perfecta operatione , *ſeu* ex. g. *in* actuali converſione peccatoris. *Hunc autem* effectum ſecundarium *gratia ſufficiens nunquam* , inquit ille , *producit* , *niſi præſto adſit gratia* per ſe efficax , *quæ ſuapte vi facit* , *ut voluntas in actualem* , *& perfectam prorumpat operationem*. *Hinc Thomiſtæ docent* (ita ille paulo poſt) *gratiam ſufficientem reſpectu* primarii effectus , *quem ſemper producit* , *eſſe* efficacem : *ſed reſpectu alterius* effectus ſecundarii *eſſe tantum* ſufficientem..... *Dat tamen homini gratia ſufficiens reſpectu illius* ulterioris , *&* ſecundarii effectus , *quem ſe ſola nunquam producit* , veram , proximam , *&* expeditam , *hunc* ſecundum , *&* principalem effectum *producendi* , potentiam , *ita ut homini* , *habenti gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam* , *nihil omnino deſit ex parte* potentiæ *operandi* (317). Niſi ergo velimus , quod abſit omnino, hoſce Viros præſtantiſsimos , alioſque etiam , quos compendii gratia ſilentio prætereo , cum Janſenio ſentire, nempe errorem illum propugnare , quem Eccleſia in ſecunda illius propoſitione atro carbone notavit , fateamur neceſſe eſt , Janſeniſmum non redolere , quod om-

(317) Claſſ. 2. Epiſt. 3. pag. 62. & ſeq.

Digitized by Google

omnis interior Chriſti gratia, quantumvis exigua, aliquem ſemper effectum, etiam *deliberatum*, in nobis producat; ac proinde quod omnis gratia interior hoc ſenſu ſit *efficax*, dummodo ratum fixumque maneat, effectum hunc, quem ſcilicet illa ſemper in nobis producit, non ſemper eſſe eum totum, propter quem a Deo nobis illa confertur, cujuſque producendi *veram*, & *realem*, & quidem non *abſolutam* dumtaxat; ſed *relativam potentiam*, gratia ipſa nobis communicat. Stat quippe hoc ipſo, quod fidei dogma eſt, quodque Janſenius negat, non omnem ſcilicet interiorem Chriſti gratiam ejus eſſe naturæ, ut ei nunquam voluntas noſtra reſiſtat.

SCHOLION III.

145. Eam porro ob cauſam, poſitis Janſenii principiis, dici non poſſe, nos reſiſtere gratiæ, quam ille *parvam* appellat, propterea quia *relativam potentiam* producendi eum plenum effectum, ad quem excitat voluntatem, ipſa nobis minime conferat, diſertiſsime docet laudatus P. Graveſon, & Cl. P. Berti aperte confirmat. Ait enim ille: *Gratiæ, quam* parvam appellat *Janſenius, non reſiſtitur quantum ad* effectum imperfectum, *quia juxta Janſenium hunc effectum ſemper producit, & eo nunquam fruſtratur. Quantum vero ad* effectum plenum, *&* perfectum, *ad quem illa parva gratia Janſeniana* abſolute *tendit & ordinatur, non poteſt in Janſenii ſyſtemate dici, quod ei reſiſtatur, quia hunc* effectum plenum, *atque* perfectum *gratia illa parva*, relative *ad majorem & ſuperiorem concupiſcentiæ oppoſitam delectationem, conſequi*

&

& producere non poteſt in doctrina Janſenii (318); etenim, ut antea dixerat idem Vir Cl., *proprie & ſtricte loquendo, reſiſtere gratiæ eſt eam fruſtrare, ſeu privare eo effectu, quam habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur. Cum igitur Janſenius, & Janſeniſtæ pertendant, hanc gratiam* parvam, *ſeu* Janſeniſtice ſufficientem *non poſſe* relative *obtinere effectum ulteriorem, ſeu plenum ac perfectum, ad quem* abſolute *ex ſe tendit, plane ex intimis eorum doctrinæ principiis ſequitur, hominem non reſiſtere huic gratiæ* parvæ, *ſeu* Janſeniſtice ſufficienti, *etiam quoad* effectum ulteriorem, plenum, *&* perfectum, *ad quem prædicta gratia* Janſeniſtice ſufficiens *ex ſe* abſolute *tendit, & quem, propter oppoſitam ardentiorem concupiſcentiam, cui* neceſſario *cedere debet, nullo pacto in his circumſtantiis, in quibus datur, obtinere poteſt; quia eſt ligata & irretita a majori & fortiori oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione* (319). Ita vero Cl. P. Berti: *Quamquam*, inquit, *poſteriores Janſeniani jactent ſe, dum ajunt nunquam interiori gratiæ reſiſti, & ex gratia conſequi neceſſitate bonum opus, ſermonem inſtituere de* gratia *dumtdxat* efficaci, *& de* neceſsitate ſequenti, *non rejecta gratia ad ſenſum Thomiſtarum* ſufficiente, *nec* libertate indifferentiæ in actu primo: *manifeſtum eſt tamen, hæc inania eſſe ſubterfugia, & Janſeniano ſyſtemati repugnare. Quum enim in hoc ſyſtemate, ſecluſa delectatione victrici, neceſſum ſit, ut voluntas in* parvis deſideriis, *&* conatibus *hæreat, conſequenter gratia, quæ non inſpirat delectationem victricem renitentis concupiſcentiæ, conferre non po-*

(318) Claſſ. 2. Epiſt. 5. pag. 124.
(319) Ibid. Epiſt. 4. pag. 94.

Digitized by Google

poteſt veram *recte agendi* poteſtatem; *ſiquidem ubi eſt* neceſsitas *obtemperandi motibus concupiſcentiæ*, *nequit eſſe* libera poteſtas *ad obediendum Deo nondum conferenti gratiam neceſſariam ad motus illos concupiſcentiæ frænandos*. Illa quippe neceſsitas, & libertas *conſiſtere ſimul nequeunt*. Nec *inducta a Janſenianis* neceſsitas *dici poteſt* neceſsitas conſequens; *quum enim* ſoli coactioni *opponatur*, *ac ſit ejuſdem generis*, ac *neceſsitas illa*, *qua omnes volunt eſſe beati*, *qua Deus ſeipſum diligit*, & *qua Sanctorum ſpiritus in cœlis adhærent ſummo bono*, *ut diximus* §. 2. n. 2. *eſt* neceſsitas antecedens, & *quæ* libertatem indifferentiæ *omnino excludit* (320). Vides ergo horum quoque doctiſsimorum Virorum judicio confirmatum, ideo *interiori gratiæ* ſecundum Janſenium *nunquam modo reſiſti*, non quia aliquem ſemper effectum, quem impedire voluntas noſtra non poſsit, illa in nobis operetur; ſed quia omnem effectum, quem *relative* poteſt, ipſa ſemper in nobis producat.

ANIMADVERSIO IV.

146. Demum licet non omnis gratia interior Chriſti, Janſenium quoque ſi audiamus, ſit *efficax*, ſumta gratia *efficaci* pro ea, per quam voluntas reapſe vult, quod volendum eſt, nempe converſionem ſui ad Deum, quodque agere debet, divinorum ſcilicet mandatorum impletionem, ipſa operatur; verumtamen ſumta gratia *efficaci* pro illa, quæ effectum eum totum, cujus *relative* eſt capax, producit, omnis gratia, etiam quam ille *parvam* vocat, ſecundum Janſenium

(320) *Apologiæ* Diſſert. 4. cap. 1. §. 5. n. 7.

nium eſt *efficax*; quatenus nempe nulla, illius judicio, ut vidimus, *effectu ſuo caret*, *ſed omnis efficit*, *ut voluntas velit*, *& aliquid operetur*. (321), id nempe totum, quod, habita ratione circumſtantiarum, in quibus eſt voluntas, operari ipſa poteſt. Propterea

ANIMADVERSIO V.

147. Hoc poſteriori ſenſu ſi accipiatur *gratia efficax*, non omnis *gratia efficax* ſecundum Janſenium *victrix* eſt, bene vero omnis *gratia victrix* eſt *efficax*. Non omnis *gratia efficax* eſt *victrix*, quia licet omnis *gratia efficax*, hoc ipſo quod eſt *efficax*, eum ſemper totum, quem *relative* poteſt, ex ſententia Janſenii, effectum obtineat; non omnis tamen hujuſcemodi gratia domat ac vincit, quemadmodum neceſſe eſt, ut *victrix* jure dicatur, carnalem illam cupiditatem, cum qua in voluntate pugnat; ſed ea dumtaxat, quæ ita eſt *efficax*, ut carnalem ipſam cupiditatem gradibus ſuis ſimul ſuperet. At vero omnis *gratia victrix* eſt ſimul *efficax*; quia ſi eſt *victrix*, ſuperat carnalem cupiditatem, qua voluntas ab operando bono retrahitur; & ſi carnalem illam cupiditatem ſuperat, ſine dubio bonum ipſum voluntas operabitur; cum *phyſice* neceſſarium ſit ſecundum Janſenium, ut illi delectationi gratiæ voluntas conſentiat. Itaque ſecundum Janſenium, ut recte habet Cl. Tournely, *gratia ſemper eſt* efficax, *licet non ſemper* victrix. *Semper eſt* efficax; *quia ſemper aliquid producit* (id nempe totum, cujux relative capax eſt). *Non ſemper eſt* victrix; *quia non ſemper ſuperat oppoſitam concupiſcentiam*, *nec plenum ac perfectum opus producit*,

(321) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 25.

Digitized by Google

sit, *& conſequenter nunquam ei reſiſtitur*; *non quantum ad effectum plenum*, *ſi fuerit* victrix; *non etiam quantum ad effectum imperfectum*, *ſi* victrix *non fuerit*, *quia eo nunquam fruſtratur* (322).

SCHOLION IV.

148. Sicuti prolixius, ita etiam clarius explicat doctiſsimus P. Graveſon id, quod ex Cl. Tournely modo obſervandum exhibui. *Janſenius*, *ejuſque diſcipuli*, inquit ille, *duplicem in ſtatu naturæ lapſæ admittunt gratiam*, *unam videlicet*, *quam* victricem *nuncupant*: *alteram*, *quam* non victricem *appellant*; *utramque tamen gratiam volunt eſſe* efficacem, *ſeu* producere omnem effectum, cujus *relative* capax eſt, & propter quem a Deo datur, habita ratione circumſtantiarum ſubjecti. *Gratia enim* victrix, *quam Janſenius*, *ejuſque diſcipuli conſtituunt in cœleſti indeliberata delectatione* relative *victrice*, *& ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione*, *ac neceſsitante*: *hæc*, *inquam*, *Janſenii ejuſque diſcipulorum gratia* relative victrix, *& ſuperior concupiſcentiæ delectatione*, *ſemper* efficax *eſt*, *& producit plenum*, *ac perfectum effectum*, *ad quem a Deo datur*, *nimirum* actualem, & perfectam converſionem peccatoris, *vel* actualem obſervantiam mandatorum Dei. *Gratia vero*, *quam Janſenius*, *ejuſque diſcipuli vocant* non victricem, *quamque conſtitutam eſſe volunt in cœleſti indeliberata delectatione*, *quæ minor ac debilior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione* relative victrice, *hæc inquam gratia* non victrix, *juxta Jan-ſe-*

(322) Prælect. Theol. *de Gratia Chriſti* q. 3. ad 2. prop. *Janſenii.*

Digitized by Google

ſenium, *ejuſque diſcipulos*, *eſt itidem* efficax, *& producit in voluntate creata effectum imperfectum & debilem*, *ad quem a Deo datur*, *videlicet* actus imperfectos velleitatis, *&* pia deſideria. *Ceterum* (proſeſequitur Cl. Auctor) *negant Janſenius*, *ejuſque diſcipuli gratiam illam*, *quam* non victricem *appellant*, *poſſe dici* ſufficientem *comparate ad effectum principalem*, *plenum*, *ac perfectum*, *nimirum comparate ad* actualem peccatoris converſionem, *&* actualem obſervantiam mandatorum Dei; *quia*, *inquiunt*, *hæc gratia* non victrix *dare nequit homini* potentiam veram, proximam, expeditam, *&* relativam *producendi principalem*, *plenum*, *ac perfectum effectum*, *ſeu actualem operandi converſionem*, *vel actu obſervandi præcepta Dei*. *Sola quippe* gratia victrix, *ajunt Janſenius*, *ejuſque diſcipuli*, *dat homini* veram, proximam, expeditam, *&* relativam potentiam *producendi effectum principalem*, *plenum*, *ac perfectum*, *ſeu actualem producendi converſionem*, *& actu obſervandi mandata Dei*. *Ex quo ſequitur primo*, Janſenium, ejuſque diſcipulos nullam in ſtatu naturæ lapſæ admittere gratiam, niſi efficacem. *Secundo*, eos nullam agnoſcere gratiam vere ſufficientem, a gratia efficaci victrici diſtinctam, quæ det homini veram, complectam, proximam, expeditam, & relativam potentiam producendi actum plenum, ac perfectum, ſeu actualem converſionem, vel obſervantiam mandatorum Dei. *Sequitur tertio*, gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti. *In ſententia enim Janſenii*, *ejuſque diſcipulorum*, *ſicut mox obſervavi*, quælibet gratia in ſtatu naturæ lapſæ cum ſemper obtinet effectum, cujus, relative ad oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem, capax

eſt,

eſt ; & ad quem, habita ratione hujus delectationis ſuperioris, producendum a Deo datur, *ſive* plenum, *ac* perfectum, *ſi terrena concupiſcentiæ delectatio inferior fuerit, & gratiæ delectatio cœleſtis ſuperior*, imperfectum *vero*, *ac* debilem, *ſi concupiſcentiæ delectatio ſuperior extiterit, gratiæ vero delectatio inferior; adeoque in doctrina Janſenii, ejuſque diſcipulorum* gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur: *quod in ſecunda Janſenii propoſitione ab Eccleſia catholica fuit damnatum* (323).

III.

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.

149. Senſus hujus tertiæ propoſitionis eſt, ut actiones noſtræ in hoc lapſæ corruptæque naturæ ſtatu dignæ ſint præmio, vel pœna, minime requiri, ne a nobis fiant neceſſario *indeclinabili neceſſitate*; ſed plane ſufficere, ne fiant neceſſario *neceſſitate coactionis*, hoc eſt, coacta, invita, ac repugnante voluntate. Rem porro ita eſſe, poſitis Janſenii principiis, hac una, brevi quidem, ſed plane invicta ratione oſtenditur. Certum eſt, illis principiis admiſsis, nos non libere *libertate a neceſſitate ſimplici*, ſed neceſſario *vera, reali, & phyſica*, adeoque *indeclinabili neceſſitate*, in hoc lapſæ naturæ ſtatu tam quod juſtum, quam quod injuſtum eſt, operari. Alterutrum ergo fateamur oportet, videlicet aut nos non mereri, cum bene, neque demereri, cum male agimus; aut in iis nos mereri, &

(323) Claſſ. 2. Epiſt. 4. pag. 93.

& demereri, quæ neceſſario *indeclinabili neceſſitate* operamur. Negandum non eſt autem, nos mereri, cum bene, demereri, cum male agimus. Ergo dicamus neceſſe eſt, in iis modo mereri nos, & demereri, quæ neceſſario *indeclinabili neceſſitate* operamur; atque hinc ad merendum, & demerendum, in hoc lapſæ naturæ ſtatu non requiri libertatem *a neceſſitate ſimplici*, ſed eam ſufficere, quæ dicitur *a coactione*, nempe libertatem illam, quam ſecundum Janſenium habemus ſub delectatione tam cœleſti, quam terrena *relative victrice*, adeoque per quam non coacti, non inviti, ſed delectabiliter, & cum complacentia, tametſi neceſſario *inſuperabili neceſſitate*, id quod agimus, operamur.

SCHOLION I.

150. Quod de libertate ſufficiente ad meritum, & demeritum in hoc lapſæ naturæ ſtatu ita ſenſerit Janſenius, adeo certum eſt, tamque perſpicuum, ut plane hoſpes in illius *Auguſtino* ſit oportet, qui hac de re vel leviſsime dubitaverit. Eos ſiquidem omnes in percipienda genuina Auguſtini mente falli in primis, ait Janſenius, *qui eum audiunt omne peccatum voluntate, ſeu libertate, non neceſſitate committi, itemque debere eſſe* voluntarium, *non* neceſſarium, *& eſſe debere* liberum *ab eo abſtinere, putant, illis phraſibus ſuas cogitationes de illa* exercitii, *ſeu* contradictionis libertate *ſtabiliri, qua quis peccatum hic, & nunc poſſit facere, & vitare, committere, & ab eo, ſaltem aliud perpetrando, abſtinere* (324). Ait ſecundo, S. Auguſtinum *ſemper agnoviſſe, actum eſſe liberum* libertate, quæ

(324) Lib. 4. *de Statu Naturæ lapſæ* cap. 21.

Digitized by Google

quæ ad peccatum *ſufficit* , *quamvis identidem & conſtanter neget* , *eſſe liberum ea* libertate *ad faciendum bonum* , *& malum* , *quam Scholaſtici poſtulant* (325), nempe ea libertate , quæ non ſolum *violentiam* , ſed etiam *neceſsitatem* excludit. Perſuaſum ergo fuit Janſenio , non requiri *libertatem a neceſsitate* , ut actus aliquis imputari nobis ad culpam poſsit. Imo tantum abeſt , libertatem hanc , Janſenii judicio , neceſſariam eſſe ad actum , ut ſit liber , ea utique libertate , quæ ad meritum , demeritumque requiritur , ut *paradoxum in Auguſtini doctrina inauditum* appellare non vereatur, *quod actus aliquis voluntatis propterea liber ſit* , *quia ab illo deſiſtere voluntas* , *& non agere poteſt* ; addens etiam , ſe miraculi loco habiturum , *ſi in Auguſtini doctrina oſtendi poſſet* , *voluntatem* , *quæ potentiſsime, & immobiliter* , *& perpetuo juſtitiam diligit* , *& operatur* , *non eſſe in iſta volitione* , *& operatione liberam* (326). Dubitandum itaque non eſt , quominus ſecundum Janſenium ad merendum , & demerendum in hoc lapſæ naturæ ſtatu *libertas a neceſsitate* minime requiratur. Quod autem , ipſum quoque ſi audiamus, ſufficiat ad meritum, & demeritum in eodem ſtatu *libertas a coactione* , ſufficiat nempe , ut actus fiat non ſolum cum rationis advertentia , & circumſtantiarum cognitione , verum etiam non coacta & invita voluntate, ſed delectabiliter , & cum complacentia , tametſi deinde adeo neceſſario fiat, ut vitari non poſsit, ita quoque ex illius verbis oſtenditur. Ait enim : *cum vera cauſa* , *cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur* , *ſit delectatio* , *qua intrinſecus in ipſa voluntate* mul-

(325) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 15.
(326) Lib. 6. *ejuſdem* cap. 8.

Digitized by Google

mulcetur, *hinc eſt*, *quod conſequenter Auguſtinus tradit*, *tam in appetendo*, *quam in omittendo peccato*, *voluntatem* delectatione *liberam fieri* (327); & *ex hoc generali principio ulterius Auguſtinus*, inquit ille, *ſæpe docet*, *idcirco voluntatis conſenſum ad peccandum tribui*, *vel non tribui*, *quia voluntas* delectatione *peccati mollitur*, *aut deſtituitur*, *aliaque fortiore poſſidetur* (328). Conquerentibus itidem Pelagianis, quod *libertas arbitrii* ad peccandum ab S. Auguſtino tolleretur, ſcribit Janſenius; illum non aliud ad hæc reſpondiſſe, *niſi hominem non cogi* (ad peccandum), *ſed libenter cum delectatione*, *& ideo propria*, *& libera voluntate peccare* (329), neque *aliter* liberum arbitrium *in peccato quærendum eſſe*, *niſi quia vi delectationis*, *non alius quiſpiam cogens hominem*, *ſed ipſe homo delinitus propria voluntate peccatum facit* (330). Docet propterea, *voluntatem ſemper eſſe liberam tam in* bono, *quam in* malo, *tam ſub* gratia, *quam ſub* peccato, *quia expers eſt violentiæ*, *cogentiſque neceſſitatis* (331); atque hinc, *opus eſſe* laude, *vel* vituperio *dignum*, meritorium, *vel* demeritorium *ex hoc*, *quod ſit voluntarium*, *ſpontaneum*, *non coactum*, *tametſi determinatum ad unum* (332), nempe ex hoc, quod ſit liberum *libertate a coactione*, quamvis non ſit liberum *libertate a neceſſitate*.

SCHO-

(327) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 3.
(328) Ibidem.
(329) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 9.
(330) Ibidem.
(331) Ibidem. cap. 13.
(332) Lib. 6. *ejuſdem* cap. 24.

Digitized by Google

SCHOLION II.

151. Ita porro de libertate, quæ in hoc ſtatu ad merendum, & demerendum ſufficit, Janſenium tenuiſſe, clarius adhuc fiet, ſi conſideremus, qualis, illius judicio, ea ſit libertas, quæ *arbitrii* dicitur. Cum enim, fatentibus Theologis omnibus, ad merendum, & demerendum neceſſe ſit, ut homo libere *libertate arbitrii* operetur, reliquum profecto eſt, ſolam *libertatem a coactione* ſecundum Janſenium ad merendum, & demerendum ſufficere, ſi *arbitrii libertas* in una *libertate a coactione* ab illo ſtatuatur. Jam vero in ea una libertate *liberum arbitrium* ab illo conſtitui, tot tamque perſpicuis ejuſdem teſtimoniis alibi demonſtravimus, ut id iterum oſtendere, perinde ſit profecto, ac manifeſte abuti velle otio & literis. Quia tamen res iſta maximi, ut omnes norunt, momenti eſt, liceat ad pleniorem ejuſdem demonſtrationem duo ipſius Janſenii teſtimonia ſatis conſpicua, meoque judicio plane decretoria, hoc etiam loco ſubjicere. Itaque, ait ille, *memoria repetendum eſt id, quod tam prolixe ex Auguſtino, Bernardo, ceteriſque tum Patribus, tum Scholaſticis aſſeruimus*, libertatem arbitrii *generalem & naturalem non eſſe aliam, niſi a* neceſſitate, *quam eos ſolam* coactionem *intellexiſſe demonſtravimus. Ex quo fit, ut apud eos liber actus* (utique *arbitrii* libertate) *ſit idem, qui* non coactus, *qui non fit* nobis nolentibus, *ſeu* invitis, *& qui hoc ipſo eſt in noſtra poteſtate: Hoc autem non eſt aliud, quam* actus voluntarius, *ſeu* ſpontaneus, *prout voluntas, voluntarium, & ſpontaneum, juxta Damaſceni doctrinam ſupra traditam,* mo-

Digitized by Google

motum rationalem cum rationis advertentia, & circumſtantiarum cognitione *deſignat*, *nec oriri poteſt in homine, renitente voluntate* (333). Alibi quoque, poſtquam dixerat, *nullam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocunque voces nomine, ſed ſolam* coactionis *neceſſitatem* libertati voluntatis *repugnare* (334), aperte fatetur, *hactenus declaraſſe, generalem* libertatis *rationem, a qua*, inquit ipſe, *dictum eſt* liberum arbitrium, *commune bonis, & malis, in eo ſitam eſſe, quod immune ſit a* neceſsitate coactionis (335). Velint ergo, nolint Janſenii partiarii, fateantur oportet, vel minime ſufficere ſecundum Janſenium ad merendum, & demerendum in hoc lapſæ naturæ ſtatu, ut libere *libertate arbitrii* homo operetur; vel ſatis eſſe, illius ſententia, ad meritum, & demeritum, ut homo agat libere *libertate a coactione*; & ideo, ut verisſime habet Cl. P. Serry, *nihil Janſenio ea in parte* (quæ nempe ad *tertiam* illius *propoſitionem* ſpectat) *a Summis Pontificibus affictum eſſe, eumque ita plane ſenſiſſe, adeo certum eſt, ut otioſi eſſet hominis in re compertiſſima diutius immorari* (336).

SCHOLION III.

152. Quod demum eam ob cauſam neceſſe ſit ſecundum Janſenium, ut ad merendum, & demerendum in hoc ſtatu corruptæ naturæ ſola *libertas a coa-*

(333) Lib. 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(334) Lib. 6. *ejuſdem* cap. 38.
(335) Lib. 7. *ejuſdem* initio cap. 1.
(336) Tom. 1. *Prælect. Theol.* Diſp. 4. *de Natura reparata* Prælect. 5.

Digitized by Google

coactione ſufficiat, quia non *libere*, ſed *neceſſario* indeclinabili neceſsitate, ſtando illius principiis, agimus ipſi, quidquid modo agimus, ſive boni, ſive mali, docent plerique, etiam extra Molinæ, & Suareſii Scholam, Theologi præſtantiſsimi. Primus ſit Cl. Diroyſius. *Senſus*, inquit, *Janſenii quoad* tertiam propoſitionem *eſt*, *quod quamvis voluntas in ſtatu naturæ corruptæ ſit* neceſſario *determinata ad omnes ſuas actiones ab* indeliberatis *illis*, *quas de quocunque objecto ſentit*, delectationibus, *non ſecus ac ab* influentiis *determinatur*; *non tamen deſinit eſſe* libera, *nec conſequenter deſinit* mereri; *quia non ceſſat agere cum* cognitione, *&* delectatione; *& quia unuſquiſque meretur in ſtatu viatorum omnibus actionibus*, *quæ a* libero arbitrio *procedunt* (337). Ita quoque doctiſsimus P. Graveſon. Et ipſe ſiquidem ait, hanc *tertiam* Janſenii *propoſitionem* neceſſario fluere ex hoc, quod ille velit, voluntatem noſtram ab indeliberata *relative victrice* delectatione *neceſſario*, etſi non *coacte*, ad operandum determinari, ad bonum ſcilicet, adeoque ad merendum, ſi *cæleſtis*; contra vero ad malum, ac proinde ad demerendum, ſi *terrena* delectatio ipſa fuerit. Etenim, inquit ille, *cum Janſenius ſæpius aſſerat*, libertatem *in uno dumtaxat* voluntario deliberato *conſiſtere*, *nec aliud eſſentialiter poſtulare*, *noſque id magis velle*, *quod magis nos delectat*, *demulcet*, *ac rapit*, *tametſi* neceſſario; *hinc infert Janſenius*, *ſuperiorem*, *&* relative victricem *gratiæ delectationem cauſam eſſe noſtræ libertatis*, *ideſt* a coactione; *quia facit*, *ut velimus*, *quamvis hæc ſuperior*, *& victrix gratiæ delectatio nobis* neceſſitatem bene agendi, *non quidem per*-
pe-

(337) Diſſert. *de Juſta condemnatione &c.* cap. 1. n. 13.

Digitized by Google

petuam, immutabilem, & involuntariam, ſed tranſitoriam, mutabilem, & voluntariam, imponat. Idem docet Janſenius de ſuperiori, ac relative victrice concupiſcentiæ delectatione, quam itidem dicit eſſe cauſam, cur libere (*ideſt* libertate a coactione) *peccemus, tametſi hæc concupiſcentiæ major delectatio nobis imponat ſimplicem, voluntariam, mutabilem, tranſitoriam, & relativam peccandi neceſsitatem* (338). Sed clarius P. Serry ex eadem inclita Thomiſtarum Schola. *Si quis porro*, inquit, *ſcire velit, quorſum novum iſtud paradoxum Janſenius cuderit, ſtare ſcilicet meritum, ac demeritum cum neceſsitate agendi, modo nulla coactio ſuperveniat, dicam breviter, & Janſenianæ hæreſeos radicem aperiam. Gratiam ſcilicet efficacem Janſenius propugnavit, quæ* neceſsitatem *inferat voluntati, quæque activam indifferentiam amoveat. Quia vero opponi illico poterat, hominem iſtiuſmodi gratia efficaci motum nullum jam meritum habiturum, quippe qui neceſsitate bonum ageret, hoc incommodum ut effugeret, novum iſtud doctrinæ monſtrum efformare coactus eſt; ſcilicet ſtare meritum poſſe cum agendi neceſsitate, modo nulla coactio ſuperaccederet, hincque mala malis agglutinavit. Quare* lib. 8. cap. 5. *contendit*, nullum in Auguſtini monumentis apparere veſtigium, ex quo colligi poſsit, gratiam cum libero arbitrio conciliaſſe, ex quo homo divina gratia motus poſsit agere, & non agere (*quod ad indifferentiam, & immunitatem a neceſsitate pertinet*); ſed quia homo divina gratia motus vult reipſa, quod vult; nec inſtar trunci a Deo agitur, ſed ſponte movetur, ſemota licet indifferentia (*quod ad immunitatem a coactione pertinere certum eſt.*

(338) Claſſ. 2. Epiſt. 6. pag. 125.

eſt. *Si vero quæratur ab eo, cur Beati nil novi Deum diligendo mereantur, ſi ſola ad meritum ſufficit* immunitas coactionis, *qualicunque neceſsitati conjuncta? Reponit, id accidere non defectu ſufficientis ad meritum* libertatis; *ſed ob id unum, quod* in termino, *ac extra* viæ ſtatum *conſtituti jam ſint* (339).

IV.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

153. Hæc quarta in Janſenio damnata propoſitio duos errores complectitur, quorum alter *juris*, *facti* alter nuncupatur. Error *facti* eſt, Semipelagianos admiſiſſe neceſsitatem prævenientis interioris gratiæ ad ſingulos actus, ne ipſo quidem excepto fidei initio. Error vero *juris* in eo conſiſtit, quod velit Janſenius, ideo illos peccaſſe contra fidem, eamque ob cauſam fuiſſe tamquam hæreticos ab Eccleſia proſcriptos, quod gratiam illam ejus naturæ eſſe dicerent, cui & obtemperare, ſi vellet, humana voluntas poſſet, & cui, ſi vellet, poſſet ipſa reſiſtere. Omiſſo ergo errore *facti*, demonſtrandum modo eſt, errorem *juris* neceſſario ſequi ex poſitis ab Janſenio principiis, ex illis nempe neceſſario futurum, ut nulla ſit interior gratia Chriſti, cui voluntas noſtra vel obſequi non poſsit, ſi velit, vel non poſsit, ſi velit illi reſiſtere: uno verbo neceſſario futurum ut nulla ſit gra-

(339) Tom. I. *Prælect. Theolog.* Diſp. 4. *de natura reperata* Prælect. 5.

gratia Chriſti interior, quæ, renifu, ſeu culpa voluntatis, effectu illo fruſtretur, cujus producendi *relativam potentiam* ipſi voluntati illa communicat. Itaque cœleſtis delectatio, in qua interior Chriſti gratia ſecundum Janſenium poſita eſt, vel ſuperior eſt gradibus ſuis carnali cupiditate, qua tunc voluntas premitur, vel eſt gradibus inferior. Si ſuperior, ei certe voluntas ſecundum Janſenium non poteſt reſiſtere; cum, illo docente, neceſſarium ſit, inimpedibili neceſsitate, ut illi voluntas obſequatur, & ſecundum illam operetur. Si inferior, nequit voluntas ei obtemperare, nempe facere opus illud, ad quod faciendum ab illa excitatur; cum, Janſenium ipſum ſi audiamus, ſit *phyſice* impoſsibile, ut voluntas, relicta delectatione vividiore, debiliori conſentiat. Omnis ergo interior Chriſti gratia hujuſmodi eſt ſecundum Janſenium, ut voluntas vel nequeat illi obtemperare, vel nequeat ipſi reſiſtere.

Animadversio I.

154. Cœleſti delectationi gratiæ, quæ gradibus ſuis ſit inferior carnali cupiditate non ſolum ſecundum Janſenium obtemperare nequit voluntas, ſed, ſi proprie loqui velimus, neque illi reſiſtere. Etenim, ut eſt alibi viſum, reſiſtere gratiæ eſt impedire, ne effectum illum ipſa obtineat, cujus producendi *relativam potentiam* voluntati noſtræ communicat. Stando autem Janſenii principiis, omnis gratia, quantumcunque exigua, eum ſemper totum effectum, cujus producendi *relative* capax eſt, a voluntate conſequitur. Ergo voluntas noſtra neque illi delectationi gratiæ, quæ a carna-

nali cupiditate *intenſive* deficit, vere proprieque loquendo, reſiſtit.

SCHOLION I.

155. Hanc propoſitionem quoad utramque partem ab Janſenio doceri, clarum adeo perſpicuumque eſt, ut nonniſi a protervo in dubium verti poſsit. *Itaque*, inquit Janſenius, *Maſsilienſium opinionibus, & Auguſtini doctrina quam diligentiſsime ponderata, certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quod Maſsilienſes præter prædicationem, atque naturam*, veram *etiam &* internam, *&* actualem gratiam *ad ipſam etiam fidem, quam humanæ libertati, & voluntatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur* (340). Et alio loco: *ex qua ſane*, ait ille, *principiorum Auguſtini ac doctrinæ conſonantia perſpicuum eſſe puto, ſemper eum & bonæ voluntatis nutum, & in bona voluntate perſeverantiam adjutorio divinæ gratiæ tribuiſſe, non modo quando ſenex cum Pelagiana peſte conflixit, ſed etiam quando Presbyter, & cathecumenus in eodem quo Maſsilienſes errore verſabatur. Abſit enim, ut unquam tantus Doctor lapſum hominem tot tantiſque infirmitatibus circumdatum, tot vulneribus mortuum, ſtante homine, ipſiſque Angelis integerrime ſanitate fruentibus, fortiorem eſſe deliraverit, ut quod iſtos ſine divino adjutorio nullo modo efficere potuiſſe profitetur, hoc ſuis ſolius viribus illum præſtare poſſe judicaverit. Omnino ſemper ad omnem omnino bonam voluntatem, qua Deo creditur, Deus rogatur, ſanitas petitur, gratiam Dei, & adjutorium faſſus eſt, non*

(340) Lib. 8. *de hæreſi Pelagiana* cap. 6.

non modo Adamo, & Angelis, ſed maxime infirmis hominibus eſſe neceſſarium. Sed, ut ſupra diximus, & ſæpius repetendum eſt, aliud ſanorum, aliud ægrotorum adjutorium eſt. Illud ſine quo non *creditur, aut rogatur Deus; hoc eſt* quo *creditur, & rogatur Deus, quia ipſam credendi rogandique voluntatem inſpirat ac donat. In hoc ergo* (concludit Janſenius) *proprie Maſſilienſium, & Auguſtini error ſitus fuit, quod Angelorum ſanctorum, & ſtantis hominis adjutorium, in quo intelligendo, & admittendo nulla penitus ipſis difficultas fuit, etiam lapſis hominibus hactenus ſufficere voluerint, ut quia non penitus eſſet depravata, vel extincta natura, cum illo eodem auxilio perdurante, quo antea in Adamo cuncta poterant, poſſent etiam nunc lapſi, fracti, & ægri ſaltem credere, & a ſua infirmitate velle ſanari. Nec opus eſſe, ut per illam aliam gratiam ægrotis propriam, quam Chriſtus attulit, ipſa* credendi voluntas donaretur, *ſeu, ut etiam dicunt*, donaretur, ut velit, *rejectis ab illo dono aliis pariter reis. Talem enim gratiam volunt* non ad initium bonæ voluntatis, *ſeu* ad credendum, *ſed tantum ad operandum eſſe neceſſariam; quia aliquid integritatis in natura remanſerit, propter quam cum illo Adami, & Angelorum adjutorio, ſi vellet, crederet, non autem ſi vellet, poſſet operari* (341). Veriſsime ergo dixi, nonniſi a protervo negari poſſe, traditum fuiſſe a Janſenio errorem *facti*, quem Eccleſia in quarta illius propoſitione atro carbone notavit, videlicet *Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei.* Quod vero attinet ad errorem *juris* in eadem propoſi-

(341) Lib. 8. *de hæreſi Pelagiana.*

ſitione ab Eccleſia damnatum, arbitror, non minori evidentia conſtare, illum quoque ab Janſenio fuiſſe traditum, nempe ipſum docuiſſe, *Semipelagianos in eo fuiſſe hæreticos, quod vellent, eam gratiam*, quam ſcilicet ipſi quoque admittebant tamquam neceſſariam etiam ad initium fidei, *talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*, nimirum cui & obtemperare, ſi vellet, humana voluntas poſſet, & cui, ſi vellet, poſſet ipſa reſiſtere. En Janſenii verba: *In hoc proprie Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primevæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo* ſaltem credere poſſet, ſi vellet; *neutrum tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate*. (342). Nihil itaque certius, nihilque apertius eſt, quam errorem tam *juris*, quam *facti*, in hac quarta propoſitione cenſorio ſtigmate ab Eccleſia confixum, Janſenium docuiſſe.

SCHOLION II.

156 Si differentia illa conſideretur, quam ſtatuit Janſenius inter gratiam, quæ Adamo innocenti collata a Deo fuerat, & eam, quam nobis Chriſtus meruit, facile quiſquam videbit, quantum ille ab ea gratia fuerit alienus, cui obtemperare humana voluntas poſsit, ſi velit, & cui, ſi velit, poſsit ipſa reſiſtere. Ait enim Janſenius, *integræ naturæ gratiam, quantum ad operandi modum, talem fuiſſe, ut ejus uſus in ſua cuique voluntate relinqueretur, hoc eſt, ut ea uti velle, aut nol-*

(342) Ibi cap. 6.

nolle, cum ea credere, vel non credere; operari, vel non operari, perſeverare, vel non perſeverare uniuſcujuſque relinqueretur arbitrio. Non enim illa gratia (pergit Janſenius) *dabat homini* velle, *vel* agere, *ſed erat talis*, ſine qua non *poſſet quicquam velle, vel agere. Nunc autem, perdita illa feliciſſima integritate naturæ, homini variis libidinibus captivo, & ſui ipſius, aliarumque creaturarum amoribus excæcato, talis gratia datur, quæ paulatim ipſius arbitrium ſanando liberet, ipſum* velle, & agere, & perſeverare *largiendo. Eſt enim gratia non tantum* ſine qua non *poteſt actio fieri, ſed* qua *potentiſſime fit*, quæ niſi detur, nunquam poterit quicquam boni ſalutaris velle, *vel* agere; *quia rerum creatarum* libidinoſis delectationibus *prægravatus*, non poteſt *ullo modo captivam voluntatem in ſinceriſſimam increatæ lucis puritatem attollere, etiamſi primi hominis gratia non tantum affulgens, ac parata ſemper aſſiſteret, ſed etiam longe cumulatius auctiuſque conferretur. Eſt enim iſta gratia illius naturæ, ut homini libero, non captivo ſerviat; ſano, non ægroto opituletur; integro, non læſo, vulneratoque conveniat: ex quo fit, ut neque captivum liberet, neque ægrotum ſanet, neque membra fracta conſolidet; ſed ejus uſus integritatem, ſanitatem, libertatemque ſupponat. Eſt enim inſtar baculi, inſtar cibi, inſtar lucis, quæ nihil prorſus adjuvant, ut vel vinculis compeditus ambulet, vel faſtidioſus & ægrotus comedat, vel cæcus, aut oculis læſus videat, niſi ante compedes frangantur, faſtidium detergatur, pupilla ſanetur. Hoc autem non eſt aut ſcipionis, aut alimenti, aut lucis, ſed collyrii, aut medicinæ, cujus ope paulatim integritas, ſanitas, libertaſque reſtituitur, quibus redditis, jam illis adju-*
toriis,

Digitized by Google

toriis utitur, ſi voluerit; quia uti, vel non uti in arbitrio ſanati hominis conſtitutum eſt. Non enim ita adjuvant, ut uſum ipſius voluntatis inferant, ſed impulſum potius ipſius voluntatis exſpectant (343). Alibi etiam, in eo poſitum eſſe, ait, utriuſque gratiæ diſcrimen, quod *gratia ſanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam, ſi vellet, deſereret, aut, ſi vellet, uteretur; gratia vero lapſæ, ægrotæque voluntatis nullo modo in ipſius relinquatur arbitrio, ut eam deſerat, aut arripiat, ſi voluerit* (344). Hinc docet, *nullum adjutorium gratiæ, cujus uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur, ut illud amplectatur, aut deſerat, ut illi conſentiat, aut non conſentiat.......... ad medicinale adjutorium Chriſti poſſe aliquo modo pertinere* (345); addens inſuper, per prædicationem talis gratiæ, *quæ nos operari faciat, ſi velimus, nihil aliud agi, niſi ut Chriſti gratia medicinalis tollatur funditus, & gratia ſanæ voluntatis, hoc eſt, Adami, & Angelorum, ſubſtituatur in locum ejus* (346); & quicunque *alia divinæ gratiæ adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deſerant, ſi velint, cum quibus tamen ſufficientibus operentur, ſi velint, non aliud imprudenter facere, niſi ut originalis peccati virus evacuet, illæſas liberi arbitrii vires eſſe, Chriſtum fruſtra veniſſe, & gratis mortuum eſſe, perſuadeat* (347): quæ cum ita ſint, quis negabit, perſuaſum fuiſſe Janſenio, eam non eſſe

(343) Loco citato.
(344) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 4.
(345) Ibidem cap. 5.
(346) Ibidem cap. 24.
(347) Ibidem cap. 27.

Digitized by Google

gratiam Chriſti, cui liberum ſit voluntati obtemperare, vel reſiſtere; atque hinc ejus illam eſſe naturæ, ut ei non obedire voluntas noſtra non poſsit?

ANIMADVERSIO II.

157. Si nulla ſit ſecundum Janſenium interior gratia Chriſti, cui humana voluntas obtemperare poſsit, ſi velit, & cui, ſi velit, poſsit ipſa reſiſtere; neque ullus, ipſum quoque ſi audiamus, de natura illius gratiæ ita ſentire queat, niſi in uno eodemque prorſus cum Semipelagianis luto hæreat: reliquum profecto eſt, Janſenii judicio nullam eſſe interiorem Chriſti gratiam, ſub qua voluntas noſtra ſit libera *libertate exercitii*, ſive *a ſimplici neceſsitate*; atque inſuper ad partes ſtare Semipelagianorum, quiſquis voluntatem ſub interiori gratia, hoc libertatis genere, liberam eſſe dixerit. Libera non eſt enim voluntas *libertate a neceſſitate* ſub gratia, niſi quia ſub illa, & cum illa bene operatur, ſi vult, & ſi vult, minime operatur, adeo nimirum, ut perinde omnino ſit, voluntatem hoc modo ſub gratia eſſe liberam, ac ipſam obtemperare poſſe gratiæ, ſi vult, & ſi vult, poſſe illi reſiſtere. Verumenimvero

ANIMADVERSIO III.

158. Velim hic attente conſideretur, ad tuendam libertatem humanæ voluntatis poſitæ ſub gratia minime ſufficere, ut voluntas ipſa dicatur conſentire, & diſſentire poſſe divinæ gratiæ, ſi vult, ſed dicendum præterea, voluntatem, dum ſub gratia eſt, id velle

poſ-

Digitized by Google

poſſe. Si namque dicatur, voluntatem poſſe quidem conſentire, & diſſentire gratiæ, ſi velit, ſed id velle non poſſe; negandum abſolute eſt, ipſam tunc vere poſſe divinæ gratiæ conſentire, eique vere poſſe reſiſtere, alioquin dicere quoque liceret, ut egregie obſervat Cl. P. Dechamps, *Deo liberum eſſe, atque in ejus poteſtate ſitum mentiri, peccare, amare injuſtitiam, odiſſe ſeipſum, quia tam vere dici poteſt: Deus mentiretur, peccaret, amaret injuſtitiam, odiſſet ſeipſum, ſi vellet, quam vere dicitur: Beati ceſſarent ab amore beatifico, ſi vellent; homo diſſentiretur gratiæ neceſsitatem inferenti, ſi vellet; Pater, & Filius ſuſpenderent productionem Spiritus Sancti, ſi vellent* (348). Similiter, eodem teſte, dicere quoque poſſemus, *liberum eſſe homini amare malum, quia amaret, ſi vellet; vel odiſſe bonum, quatenus bonum, quia odiſſet, ſi vellet; item liberum eſſe infanti rationis uſu carenti peccare, quia peccaret, ſi vellet; imo, quod abſurdius eſt, liberum eſſe lapidi peccare, quia peccaret, ſi vellet* (349). Cum ergo nihil ſit magis a veritate alienum, quam liberum eſſe Deo peccare, Beatis ceſſare ab amore beatifico, homini diſſentiri gratiæ neceſsitatem inferenti, Patri, & Filio ſuſpendere productionem Spiritus Sancti &c., quia, tametſi fieri poſſent hæc omnia, ſi vellent, id tamen velle ipſi non poſſunt; reſtat profecto, voluntatem quoque noſtram, ut ſub motione divinæ gratiæ vere libera ſit *arbitrii libertate*, debere ita poſſe motioni divinæ gratiæ conſentire, ſi vult, eique, ſi vult, ita poſſe reſiſtere, ut, dum ſub illa motione eſt; utrumque velle ipſa poſsit. Certe, inquit

 lau-

(348) Lib. 3. *de hæreſi Janſen.* Diſp. 2. cap. 7. n. 2.
(349) Ibidem.

laudatus Vir Cl. , *juxta communem loquendi conſuetudinem , a doctis pariter , & indoctis uſurpatam , quando dicimus de aliquo* : poteſt hoc , ſi velit , *eo ipſo affirmamus , aut ſaltem ſupponimus* , poſſe illum id velle. *Nam ſi non poteſt velle , falſo dicitur* : poteſt , ſi velit; *ſed dici abſolute debet* : non poteſt. *Ita abſolute dici debet* : Deus peccare non poteſt , mentiri non poteſt, ſeipſum odiſſe non poteſt ; *quia licet hæc omnia faceret , ſi vellet , velle tamen abſolute non poteſt* (350).

ANIMADVERSIO IV.

159. Fatetur Janſenius (351) , Scholaſticos recte ſentire , dum ajunt , ſignificari humani arbitrii *libertatem* ſub gratia , quando audiunt , doceri ab Tridentina Synodo , *voluntatem poſſe diſſentire , ſi velit* , & ab Auguſtino , *hominem Deo vocanti conſentire poſſe , ſi velit*. Verum aut admittit Janſenius , voluntatem noſtram ita poſſe Deo vocanti , adeoque interiori illius gratiæ , conſentire , ſi vult , eique , ſi vult , poſſe reſiſtere , ut utrumque velle ipſa poſsit ; aut id ille non admittit. Si non admittit , fucum ille facit profecto, affirmans , humani arbitrii libertatem memoratis Tridentini Concilii , & S. Auguſtini verbis ſignificari ; cum, ut eſt modo viſum , ſi voluntas velle nequeat Deo vocanti conſentire , eique reſiſtere , nonniſi perperam , & ad fallendos incautos dici queat , voluntatem poſſe Deo vocanti conſentire , *ſi vult* , eique , *ſi vult* , reluctari ipſam poſſe. Si autem admittit Janſenius , voluntatem ita poſſe conſentire , & non conſentire Deo vo-

(350) Lib. 3. *de hæreſi Janſenian.* Diſp. 2. cap. 7. n. 4.
(351) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 35.

Digitized by Google

vocanti, ſi vult, ut ſimul id ipſa velle queat, ſibi certe ipſe non conſtat, dum *paradoxum in Auguſtini doctrina inauditum* ſibi eſſe ait, *quod actus aliquis voluntatis propterea* liber *ſit*, *quia ab illo deſiſtere voluntas*, *& non agere poteſt* (352), ſicuti etiam dum ſcripſit, *in nullis Auguſtini libris vel ſemel inveniri poſſe unum textum*, *vel veſtigium opinionis iſtius*, *quod idcirco voluntas* ſub gratia, *quæ facit eam facere*, *maneat libera*, *quia ceſſare poteſt* (353); ac demum, ut innumera propemodum id genus alia prætercam, dum dixit, *operationem divinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrii libertati*, ſi aliud non ſit hæc libertas, *niſi potentia agendi*, *& non agendi*, *ſeu faciendi*, *& abſtinendi ab eo*, *quod facit* (354). Etenim ſi voluntas, dum per gratiam a Deo vocatur, poteſt illi non conſentire: ergo poteſt ab eo actu, quo illi conſentit, deſiſtere, poteſt ab illo ceſſare, poteſt ipſum non elicere, retinetque proinde ſub gratia potentiam agendi, & non agendi, ſeu faciendi, & abſtinendi ab eo, quod facit.

ANIMADVERSIO V.

160. Si verum eſt ſecundum Janſenium, voluntatem poſſe non conſentire Deo vocanti, ſi velit, verum quoque erit, illius judicio, interiori gratiæ voluntatem ipſam, ſi velit, poſſe reſiſtere. Non conſentire enim Deo vocanti, & interiori illius gratiæ reluctari, idem mihi omnino eſt, omnibuſque perinde eſſe puto. Sibi ergo non conſentit Janſenius, affirmans uno

M 4 lo-

(352) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 8.
(353) Ibidem.
(354) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 14.

Digitized by Google

loco, voluntatem poſſe conſentire Deo vocanti, ſi vult, & ſi vult, poſſe illi non conſentire, ſimulque alio loco negans, ad medicinale Chriſti adjutorium gratiam illam pertinere, *cujus uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illa utatur, aut non utatur, ut illam amplectatur, aut deſerat, ut illi conſentiat, aut non conſentiat, ſi voluerit* (355).

SCHOLION III.

161. Quamvis quæſtio, num *Semipelagiani admiſerint interioris gratiæ neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei*, ſit *facti*, non autem, *juris*, & *Eccleſiaſticæ definitiones*, ut ait doctiſsimus P. Serry, *de factis hiſtoricis eſſe non poſsint, quæ ex Scripturis, aliiſque fidei regulis eliquari nequeunt, ſed aliis documentis, quæ nihil cum fide commune habent* (356), veruntamen, ut egregie habet Janſeniſmi redivivi Illuſtriſsimus Auctor, *quæſtio hæc*, an ſcilicet Semipelagiani neceſsitatem interioris gratiæ ſimpliciter etiam ad fidei initium admiſerint, *ita ad* factum *pertinet, ut in quarta Janſenii propoſitione ad* Jus *etiam pertinere videatur. Nam*, inquit ille, & recte quidem, *ſi Janſenianus quis contendat, quod talis gratiæ neceſsitas revera a Semipelagianis admiſſa fuerit, ſequi videtur, eos in hoc eſſe hæreticos, quod admiſerint talem gratiam, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare* (357); atque ejuſcemodi gratiam a nobis negari

(355) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 5.
(356) Tom. 1. *Prælect. Theol.* Diſp. 4. *de Natura reparata* Prælect. 7. pag. 458.
(357) P. 1. Artic. 5. n. 2.

Digitized by Google

gari debere, penituſque explodi, ne contra catholicam fidem cum Semipelagianis ipſi quoque ſentiamus: quod ſane quam abſurdum, falſumque ſit, neminem futurum arbitror, qui etiam me tacente non videat. Id porro optime novit, atque ingenue faſſus eſt etiam Cl. P. Gonetus. Poſtquam enim dixit, ſe in ea quoque olim fuiſſe opinione, quod Semipelagiani interioris gratiæ neceſsitatem etiam ad fidei initium admiſerint, *re tamen*, inquit, *attentius*, *&* *maturius conſiderata*, *dico breviter*, *Semipelagianos omnes gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem ad initium fidei negaſſe*; tum productis rationibus, propter quas ita ſentiat, ſubjicit, *ex illis intelligi*, *jure meritoque damnatam eſſe ut* falſam *ab* Innocentio X. *hanc propoſitionem Janſenii*: Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei. *Licet enim* (inquit ipſe) *hæc propoſitio ſit quæſtio* facti, *quæ proprie fidem non ſpectet*; *quia tamen altera*, *quæ eſt* Juris, *nempe iſta*: Et in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poteſt humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, *cum iſta connexa eſt*, *eamque neceſſario præſupponit*, *potuit*, *ac debuit Pontifex eam*, *ut* falſam, *proſcribere*, ut ſubinde *alteram*, *ut* hæreticam, *damnaret* (358). Apparet propterea, quid dicendum ſit de Patribus Franciſco Macedo, Contenſonio, & Maſſoulié, qui laudato P. Serry, quemadmodum ipſe fatetur (359) auctores fuere, ut Pontificiam damnationem non

(358) Tom. 6. *Clyp. Theol. Thom.* in Append. ad Tract. *de Gratia* cap. 2. §. 2. n. 10. pag. 221. edit. Lugdun. 1681.

(359) Loco citato.

Digitized by Google

non in primam hujuſce quartæ Janſenianæ propoſitionis partem, ſed in alteram dumtaxat incidiſſe contenderet. *Temeritatis* notam effugere eos non poſſe, affirmat Cl. P. Natalis ab Alexandro. Ait enim, *Janſenium Yprenſem Epiſcopum falſo ſcripſiſſe* lib. 8. de Hæreſ. Pelag., *Semipelagianos ad initium fidei, orationem, deſideria, ſimileſque actus bonos, quos in hominis poteſtate remanſiſſe ſentiebant, veræ, internæ, actualiſque gratiæ adjutorium ſtatuiſſe neceſſarium. Sed de iſto Semipelagianæ hæreſeos capite in Diſſertationibus uberius*, inquit, *agam contra Janſenium, Franciſcum Macedo Minorem, Gonetum noſtrum* (falſo tamen, quia ſententiam hanc & ipſe tandem proſcripſit) *&* *alios, qui, nulla habita ratione propoſitionis quartæ in Conſtit.* Innocentii X. *damnatæ*, temere *aſſerunt*, *Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admiſiſſe* (360).

SCHOLION IV.

162. At longe magis falſum id eſſe arbitror, quod addit laudatus P. Serry, nempe Semipelagianos *non alia de cauſa fuiſſe damnatos, niſi quod gratiam illam* (quam ſcilicet, ut ipſe falſo contendit, ad fidei initium neceſſariam admittebant) *libero arbitrio ſubderent, atque ita uno eodemque cum illis luto hærere Molinianos, qui gratiam illam ſuam libero arbitrio ſubditam*, ait ipſe, *fabulantur* (361). Scire quippe vellem ab illo Viro doctiſsimo, num admittere gratiam, cui humana voluntas obtemperare poſsit, & reſiſtere,

idem

(360) In *Hiſt. Eccl.* ad Sæc. 5. cap. 3. art. 8.
(361) Loco citato pag. 449.

Digitized by Google

idem ſit omnino, ac admittere gratiam verſatilem Moliniſtarum, an non. Si namque eſt idem: ergo ſicuti tuta fide negari poteſt verſatilis Moliniſtarum gratia, ita etiam illa rejici, ſalva fide, poterit, cui voluntas obtemperare queat, & reſiſtere: quod certe nullus catholicorum dicet. Si autem non eſt idem: ergo fallitur Cl. P. Serry, contendens, Semipelagianos eam ob cauſam *ab Eccleſia uti minus catholicos habitos fuiſſe, imo potius uti veræ Chriſti gratiæ hoſtes a Sacris Conciliis anathemate percuſſos* (362), quod vellent gratiam ab ſe admiſſam, *liberi arbitrii nutui ſubeſſe, ſuamque a libero arbitrio determinationem emendicare* (363); cum damnata Janſenii propoſitio Semipelagianos ceu hæreticos idcirco traducat, quod gratiam admiſerint, cui humana voluntas obtempetare poſſet, vel reſiſtere. Præterea ſi cauſa, propter quam Semipelagiani damnati fuerunt tamquam hæretici, ea vere eſſet, quam affert Cl. P. Serry, Molinæ doctrina de modo, quo gratia *efficax* ſit, vel tantum *ſufficiens*, jamdiu fuiſſet tamquam hæretica in Semipelagianis ab Eccleſia proſcripta. Hoc autem, fatente doctiſſimo P. Graveſon ex eadem inclyta Thomiſtarum Schola, omnino falſum eſt. *Quo* enim *in ſenſu*, inquit ille, *explicanda ſit gratiæ ſufficientia*, an Thomiſtico, *an* Moliniano, *an* Suareſiano, *fateor lubens, id nec dum ab Eccleſia fuiſſe definitum*; *ſed eſſe litem, quæ adhuc ſub judice pendet, quamque Eccleſia Theologorum* diſputationibus *ventilandam permittit* (364). Unde etiam apparet, laudatum P. Serry falſo quoque dixiſſe, *Thomiſtas, ut nihil, ea ſal-*

(362) Ibidem.
(363) Ibidem pag. 453.
(364) Claſſ. 2. Epiſt. 5. pag. 100.

ſaltem in parte, in qua nempe agitur de natura gratiæ ſufficientis, & efficacis, *Semipelagianos inter*, *ac Molinianos diſcriminis eſſe demonſtrent*, *id præſertim ſtatuendum ſibi ſumere*, *Semipelagianos gratiæ interioris prævenientis neceſsitatem ad initium bonorum operum*, *ac ipſius etiam fidei propugnare*, *nec alia idcirco de cauſa fuiſſe damnatos*, *niſi quod gratiam illam libero arbitrio ſubderent*; *atque ita uno eodemque cum illis luto hærere Molinianos*, *qui gratiam illam ſuam libero arbitrio ſubditam fabulantur* (365). Contrarium namque palam aperteque tradit, ut modo vidimus, inſignis Thomiſta P. Graveſon, affirmans nempe, necdum definitum fuiſſe ab Eccleſia, quonam ſenſu explicanda ſit gratiæ ſufficientia, ſed litem eſſe, quæ adhuc ſub judice pendet, quamque Eccleſia Theologorum diſputationibus ventilandam permittit. Certum poſtremo eſt, Summum Pontificem Benedictum XIV. in celebri ſua encyclica, ad Supremum Hiſpaniarum Inquiſitorem nuper data, manifeſte declaraſſe, *Eccleſiam nullum ex propoſitis modis conciliandi libertatem humanam cum divina omnipotentia*, ac proinde explicandi *ſufficientiam*, & *efficaciam* gratiæ, quam tradunt Thomiſtæ, Auguſtiniani, & Moliniſtæ, uſque adhuc reprobaſſe; ſed Molinianos *in tuitione Moliniani ſyſtematis libere proſequi poſſe*, quamvis, inquit Pontifex Sapientiſsimus, *perinde ac ſi eſſent* veri Semipelagiani, ab aliquibus *proſcribantur*. Ergo falſum eſt, tanti Pontificis oraculo, Semipelagianos inter, ac Molinianos hac ſuper re nihil eſſe diſcriminis; falſum, eos omnes in eodem hærere luto; falſum, Semipelagianos eam ob cauſam ceu hæreticos fuiſſe ab Eccleſia damnatos, quod gra-

(365) Loco citato pag. 449.

Digitized by Google

gratiam *liberi arbitrii nutui ſubditam*, qualem Moliniſtæ propugnant, admitterent; alioquin permitteret modo Eccleſia, quod olim tamquam hæreticum atro carbone notaverat, graviterque erraſſet Benedictus XIV., Eccleſiam *uſque adhuc non id reprobaſſe*, declarans, quod ſolemniter jam in Semipelagianis ſtigmate cenſorio confixerat. Audiendus non eſt igitur P. Serry, dum *pro certo ſtatuendum* ſcripſit, *Semipelagianos gratiæ interioris, & prævenientis neceſſitatem ad initium ſalutis, & fidei conceſſiſſe; ſed eo ſe recepiſſe, ut vellent, gratiam illam, cujus opem ad ipſa bonorum operum exordia requirebant, liberi arbitrii nutui ſubeſſe, ſuamque a libero arbitrio determinationem emendicare, ſic ut nihil plane, eo ſaltem in capite, Semipelagianos inter, ac Molinianos diſcriminis inveniri a quoquam poſſit* (366).

SCHOLION V.

163. Negare gratiam, *cui poſſit humana voluntas reſiſtere ac reluctari*, non tantum *ſapit hæreſim*, quemadmodum ait laudatus P. Serry (367), ſed *hæreticum* eſt. De hac enim quarta Janſenii propoſitione loquens Summus Pontifex Innocentius X., hanc, inquit, *falſam*, & hæreticam (quatenus ſcilicet negat gratiam, cui humana voluntas reſiſtere poſsit) *declaramus*, & *uti talem damnamus*. Quantum autem interſit inter cenſuram, qua aliqua propoſitio damnatur ut *hæretica*, & illam, qua propoſitio aliqua ut *ſapiens hæreſim* proſcribitur, non eſt ſane, cur ipſe dicam. Falſum quoque arbi-

(366) Loco citato pag. 453.
(367) Ibidem *Prælect.* 7. pag. 459.

Digitized by Google

arbitror, quod negare gratiam, *cui poſſit humana voluntas reſiſtere, ac reluctari*, ideo *hæreſim ſapiat*, quia, ut ait laudatus Vir Cl., *dentur* auxilia *pure* ſufficientia, *quibus identidem reluctatur humanum arbitrium*. (368). Hac quippe ratione ſignificari videtur, nonniſi *gratiæ ſufficienti* voluntatem humanam reluctari poſſe; cum tamen dogma ſit fidei, omni interiori gratiæ, etiam efficaciſsimæ, ipſam poſſe reſiſtere. Nihil itaque magis falſum eſt, quam Semipelagianos admiſiſſe interioris gratiæ neceſsitatem etiam ad initium fidei. Nihil magis falſum, quam eorum hæreſim in eo ſitam eſſe, quod vellent, illam gratiam ejus eſſe naturæ, cui humana voluntas & obtemperare poſſet, ſi vellet, & cui, ſi vellet, poſſet ipſa reſiſtere.

V.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

164. Hæc poſtrema Janſenii propoſitio duos itidem errores complectitur. Primus eſt, eos omnes in Semipelagianiſmi luto verſari, qui ajunt, Chriſtum Dominum pro omnibus omnino hominibus, nempe etiam pro reprobis, mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe. Alter vero, pro ſolis prædeſtinatis ipſum eſſe mortuum, ita nempe ut illis dumtaxat æternam vitam obtentu poſsibilem morte ſua reddiderit. Colligitur autem hic duplex error ex cenſura, qua poſtremam hanc Janſenii propoſitionem perſtrinxit Summus Pontifex Innocentius X. Eam quippe ſumtam, quatenus *Semi-*

(368) Loco citato.

Digitized by Google

Semipelagianiſmi notam inurit ſententiæ, aſſerenti Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, *falſam* vocat, *temerariam*, & *ſcandaloſam*. Eo vero ſenſu intellectam, ut nonniſi pro prædeſtinatorum ſalute Chriſtus Dominus mortuus eſſe dicatur, eam declarat *impiam*, *blaſphemam*, *contumelioſam*, *divinæ pietati derogantem*, & *hæreticam*, atque *ut talem* ipſam damnat. Primo itaque neglecto, demonſtrandum eſt, ſecundum errorem fluere neceſſario ex principio duarum delectationum pro graduum ſuperioritate invincibilium. Certum eſt igitur, Chriſtum Dominum pro illis dumtaxat eſſe mortuum, quibus æternam ſalutem reddidit ſua paſsione atque morte obtentu poſsibilem. Illo autem principio poſito, ſolis prædeſtinatis Chriſtus reddidit æternam ſalutem obtentu poſsibilem. Illis quippe dumtaxat finaliter obtinuit *auxilium ſufficiens*; cum ipſis tantum conſequutus fuerit *auxilium efficax*, quod unum, principio illo admiſſo, *ſufficiens auxilium* eſt. Ergo, admiſſo illo principio, Chriſtus Dominus mortuus eſt pro ſolis prædeſtinatis.

SCHOLION.

165. Nemini dubium eſſe poteſt, quominus ſenſerit Janſenius, & tantum pro prædeſtinatis mortuum eſſe Chriſtum, & in eodem cum Semipelagianis luto hærere eos, qui pro omnibus omnino hominibus illum mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe, arbitrantur. Ad primum namque errorem quod ſpectat, *omnibus illis*, inquit Janſenius, *pro quibus* (Chriſtus) *ſanguinem fudit*, & *quatenus pro eis fudit*, *etiam* ſufficiens auxilium *donat*, *quo non ſolum* poſsint, *ſed etiam*

rei-

reipſa velint, & faciant *id*, *quod ab eis volendum*, & *faciendum eſſe decrevit. Nam per illa occultiſſime juſta*, & *juſtiſſime occulta conſilia ſua quibuſdam hominibus dare prædeſtinavit fidem*, *charitatem*, & *in ea perſeverantiam uſque in finem*, *quos* abſolute prædeſtinatos, electos, & ſalvandos *dicimus*; *aliis charitatem ſine perſeverantia*; *aliis fidem ſine charitate. Pro* primi generis *hominibus*, *tamquam veris ovibus ſuis*, *vero populo ſuo*, *tamquam* abſolute ſalvando, *ſemetipſum dedit*, *ac tradidit*; *pro iſtorum peccatis omnino delendis*, & *æterna oblivione ſepeliendis propitiatio eſt*; *pro iſtis in æternum vivificandis mortuus eſt*; *pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum*, non pro ceteris, *qui a fide*, & *charitate deficientes*, *in iniquitate moriuntur........ Cum enim* (proſequitur ille) *non poſſit eſſe inanis oblatio mortis*, & *propitiationis*, & *orationis Chriſti........ fieri quoque non poteſt*, *ut* pro quo ſanguinem fuderit Chriſtus, & mortuus fuerit, & rogaverit Patrem ſuum *eam ob cauſam*, *ut ſanguis ſuus propitiatio peccatorum ejus fieret*, non aſſequatur *iſtius mortis*, & *propitiationis*, & *deprecationis* effectum (369). Infert propterea, *non perire eum*, *qui ſanguine Chriſti redemptus eſt*; *non perire*, *pro quo Chriſtus mortuus eſt*; *non rogare pro Mundo Chriſtum*, *qui ad damnationem prædeſtinatus eſt*; & ideo quiſquis perit, *ſive aliquando juſtus fuerit*, *ſive non juſtus*, non eſſe pro illo mortuum Chriſtum (370). Addit porro, nullo modo S. Auguſtini principiis conſentaneum eſſe, *ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium*, *vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſa-*

(369) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 21.
(370) Ibidem.

Digitized by Google

ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem eraſſe ſentiatur. Scivit enim, inquit Janſenius, *quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat; ſcivit, hoc decretum neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſeipſum velle mutare. Pro quo factum eſt* (concludit ille), *ut juxta ſanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit*; atque hinc, *ſicuti non voluit* (S. Auguſtinus) *voluntatem Dei* ad ſalutem omnium omnino hominum *extendi, ſed* illorum dumtaxat, *qui ex omni genere, & lingua, ex omni hominum genere* prædeſtinati *ſunt; ita nec voluit, effectus iſtius voluntatis, hoc eſt mortem, ſanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Chriſti ad* omnes *homines dilatari; ſed ad* ſolos *illos, qui* prædeſtinati *ſunt, quatenus pro æterna, & totali eorum ſalute offeruntur*. (371). Janſenium itaque docuiſſe, Chriſtum Dominum pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe, adeo manifeſtum eſt, ut nihil apertius ab illo dici, tradique potuerit. Quod vero ad alterum ſpectat, Janſenium ſcilicet docuiſſe, in eodem cum Semipelagianis errore verſari, quiſquis tenet, non pro ſolis prædeſtinatis, ſed pro omnibus omnino hominibus Chriſtum mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe, ex hiſce illius verbis id non minori evidentia oſtenditur. *Cum enim*, inquit ille, *Maſſilienſes divinæ benevolentiæ propoſitum erga quoſdam ſubvertere, ac penitus ex hominum animis tollere conarentur, tamquam Gentilium fatum, libertatis excidium, neceſſitatis azylum, deſperationis, ignaviæque barathrum, præ-*

(371) Loco citato.

Digitized by Google

præcepti, exhortationis, correptionis, orationis interitum, denique tamquam quo duæ partes, duæ maſſæ, duæ naturæ, inſania pluſquam manichæa, inducerentur, tamquam fortiſſimam baſim errori ſuo collocarunt iſta Scripturæ loca, quibus Deus dicitur, omnes velle, ſalvos fieri, *atque eſſe* redemptor omnium. *Nam inde fabricarunt primo adverſus illud peculiare, & rigidum propoſitum Dei quandam generalem, & indifferentem erga univerſos voluntatem; deinde ex illa generali voluntate ſalutis omnium vocationem quoque generalem, ſufficientemque omnibus gratiam derivarunt, quam, qui vellet, arriperet, aut abjiceret, atque operationem ejus, conſentiendo, aut diſſentiendo, fructuoſam, aut caſſam redderet pro ſuæ liberæ arbitrio voluntatis* (372). Tum in fine capitis: *Illa*, inquit, *extenſio tam vaga modernorum Scriptorum* (quod nempe non pro ſolis prædeſtinatis, ſed pro omnibus hominibus Chriſtus mortuus fuerit) *non ex alio capite, quam ex iſta generali, & indifferenti voluntate Dei erga* ſalutem omnium, *& ex illa* ſufficientis gratiæ *omnibus conferendæ* præparatione *fluxit: quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit* (373). Nihil itaque certius eſt, quam utrumque errorem, quem in hac quinta propoſitione atro carbone notavit Summus Pontifex Innocentius X., traditum fuiſſe a Janſenio, abeoque propugnatum.

ANI-

(372) Ibidem.
(373) Ibidem.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

166. Ut falſum ſit, Chriſtum Dominum mortuum eſſe, quemadmodum contendit Janſenius, pro ſolis prædeſtinatis, minime requiritur, ut pro quolibet reprobo in particulari, nullo prorſus excepto, mortuus ille fuerit, ſed ſufficit, ipſum pro aliquo reprobo ita ſanguinem ſuum fudiſſe, ut auxilium gratiæ, ad ſalutem conſequendam vere *ſufficiens*, illi ex animo præparaverit, & reapſe contulerit. Propterea ex hujuſce quintæ Janſenianæ propoſitionis damnatione nihil jure inferri poteſt, quod iis quæſtionibus, quæ de infantibus decedentibus ſine baptiſmo, de infidelibus, & obduratis agitari, ſalva fide, in Scholis catholicis ſolet, vel minimum officiat. *Hoc ſenſu examinata propoſitione*, quod nempe ſecundum Janſenium Chriſtus Dominus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus fuerit, adeo nimirum ut illis dumtaxat *auxilia* vere *ſufficientia* præparaverit, & ex animo contulerit, *intactæ relinquuntur* inquit doctiſsimus Haller, *difficultates, quæ occurrunt aut circa infantes ſine baptiſmo decedentes, aut infideles, aut obduratos. Nam qui dicit*, Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum, *non dicit conſequenter*, pro quolibet reprobo in particulari mortuum eſſe, *ſed ſufficit, quod* pro aliquibus ſaltem reprobis *mortuus ſit* (374), ita nempe, ut hiſce etiam contulerit auxilia, quibus æternam ſalutem vera, & reali potentia, ſcilicet non *abſoluta* dumtaxat, ſed etiam *relativa*, conſequi poſſent.

N 2 ANI-

(374) Diar. pag. 285.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO II.

167. Eo ſenſu non contendit Janſenius, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis, ut velit, eos, qui prædeſtinati non ſunt, nihil prorſus merito illius paſsionis atque mortis recipere. Poſtquam dixit, Chriſtum pro prædeſtinatis, *tamquam veris ovibus ſuis, vero populo ſuo, ſemetipſum dediſſe, ac tradidiſſe; pro iſtorum omnium peccatis omnibus omnino delendis, & æterna oblivione ſepeliendis propitiationem eſſe; pro iſtis in æternum vivificandis mortuum eſſe, pro iſtis ab omni malo liberandis rogaſſe Patrem ſuum*, ſtatim ſubjicit Janſenius, pro iis, qui *a fide, & charitate deficientes in iniquitate moriuntur, in tantum mortuum eſſe, in tantum eſſe propitiationem peccatorum, & in tantum rogaſſe Patrem, in quantum temporalibus quibuſdam divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt*; ita nempe ut effectum non aſſequantur alium, *niſi temporalis fidei, aut charitatis, ſive perſeverantiæ*, unde concludit, *eatenus*, & non aliter *pro illis Chriſtum mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe, & propitiationem peccatorum eſſe, & rogaſſe Patrem ſuum, ut videlicet illos* temporales effectus *propitiationis, hoc eſt mortis, & ſanguinis, & orationis conſequantur* (375). Hinc, ut in ſuo Janſeniſmo redivivo egregie obſervat Illuſtriſsimus Archiepiſcopus Viennenſis, *ab hæreſi Janſeniana non recedunt ii, qui quamvis negent*, Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum, *nihil aliud præterea volunt, quam quod Chriſtus mortuus ſit ad nonnullas etiam gratias temporales re-* pro-

(375) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 21.

Digitized by Google

probis promerendas (376). Siquidem id quoque ab Janſenio manifeſte doceri, manifeſtum eſt. Alibi quoque, ſcilicet in ſuo Documento Paſtorali, idem doctiſſimus Præſul, *Summus*, inquit, *Pontifex definiens*, *Chriſtum mortuum eſſe etiam pro ſalute aliorum, quam prædeſtinatorum, non tantum definivit, eum mortuum eſſe ad obtinendas etiam reprobis non perſeverantibus gratias aliquas fugaces, ac fluxas* v. g. *gratiam fidei iis, qui Chriſtianiſmum amplexi ſunt, gratiam ſanctificantem iis, qui donum juſtificationis acceperunt, licet eſſent ex numero reproborum*; *neque enim poterat contra Janſenium definire, quod ab ipſo Janſenio non negabatur. Novator autem iſte docet aperte, Chriſtum mortuum eſſe ad obtinendas aliquas ejuſmodi gratias etiam reprobis, qui aliquot in hac vita recipiunt. Utque poſſit aliunde vere dici*, Chriſtum pro eorum ſalute eſſe mortuum, *requiritur, ut dictum eſt, eum voluiſſe ſuæ redemptionis pretium pro eorum ſalute offerre*; *requiritur, ut iis gratias obtinuerit, quibus vere pervenire ad ſalutem poſſent*; *requiritur denique, ut ſalus illis vere poſsibilis reddita fuerit. Qua enim dici ratione poſſet*, Chriſtum pro reproborum ſalute mortuum eſſe, *ſi ſalutem eis reddere poſsibilem noluit in fortioris cupiditatis circumſtantiis, in quibus ipſi inveniuntur* (377)? Hinc

ANIMADVERSIO III.

168 Ad declinandum errorem, in hac poſtrema Janſenii propoſitione ab Eccleſia damnatum, minime

 ſuf-

(376) P. 1. Artic. 6. n. 5.
(377) P. 2. Art. 2. §. 5. n. 2.

ſufficit (idque attente obſervetur velim) ſi dicatur, etiam reprobis eam gratiam, merito paſsionis Chriſti, a Deo conferri, quam Janſenius, ejuſque partiarii *parvam* appellant, quæ nempe poſita eſt in cœleſti indeliberata delectatione, inferiore gradibus ſuis carnali cupiditate. Id, inquam, ad Janſenianum hunc errorem declinandum minime ſatis eſt. Etenim, ut eſt alibi viſum, cum parva illa Janſenii gratia non conferat voluntati *veram potentiam* bene operandi, ſed potius in *vera*, *reali*, & *phyſica* bene operandi *impotentia* voluntatem ipſa relinquat, dici certe non poteſt, Chriſtum Dominum, ſi nonniſi gratiam illam merito mortis ſuæ reprobis obtinuerit, illis reddidiſſe æternam vitam obtentu poſsibilem. *Dicunt Janſenii diſcipuli*, inquit Cl. P. Graveſon, *Chriſtum per mortem ſuam non promeruiſſe quidem reprobis gratias* relative victrices, *quæ ſuperant omnem concupiſcentiæ delectationem* (*has quippe gratias Chriſtus per mortem ſuam ſolis, ajunt, promeruit, præparavit, & largitur prædeſtinatis, qui ſalutem æternam infallibiliter conſequuntur*) *promeritum tamen eſſe Chriſtum per mortem ſuam reprobis gratias illas, quas Janſenius appellat* parvas, *& quæ dici poſſunt, ut ajunt Janſeniani*, gratiæ ſufficientes in ſenſu Thomiſtico; *quia iſtæ gratiæ parvæ dant veram potentiam vincendi oppoſitam concupiſcentiam, quamvis illam non vincant. Hoc eſt alterum Janſenii diſcipulorum effugium* (proſequitur Vir ille doctiſsimus) *ex quo facile exturbari poſſunt pluribus momentis, quæ in meis ſuperioribus epiſtolis late*, inquit ille, *expoſui, & quæ hic indicare abunde ſufficiet. Oſtendi enim* primo, *nullas a Janſenio admitti in ſtatu naturæ lapſæ* gratias *vere* ſufficientes *a* gratiis efficacibus *diſtinctas*, *quæ* dent

dent completam, proximam, & expeditam agendi potentiam.......... Secundo, *demonſtravi, gratias illas, quas Janſenius appellat* parvas, *non eſſe* vere ſufficientes......... *Cum igitur gratiæ illæ, quas Janſenius appellat* parvas, *quaſque reprobis a Deo, ait, tantum concedi, non ſint* vere ſufficientes *in ſenſu Thomiſtico, ſequitur* I. *Janſenii diſcipulos falli, & fallere velle, dum dicunt, ſe quidem non admittere* auxilia ſufficientia *dari reprobis in ſenſu Semipelagiano, vel Pelagiano, vel Moliniano intellecta; ſed non negare, Deum largiri reprobis* auxilia ſufficientia, *quibus ſalutem æternam conſequi poſsint, modo* auxilia ſufficientia *in ſenſu Thomiſtico accipiantur. Hoc enim oppido falſum eſſe, ſat copioſe*, inquit, *probavi in meis ſuperioribus epiſtolis, in quibus luculentiſsime oſtendi, Janſenium, ipſiuſque diſcipulos, juxta intima ſuæ doctrinæ principia*, nullum *in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcere* auxilium, *quod ſit* vere ſufficiens *in ſenſu Thomiſtico. Sequitur* II. *juxta Janſenii, ejuſque diſcipulorum doctrinam, Chriſtum, qui confert dumtaxat reprobis gratias illas, quas* parvas *vocant, quæque, ut dixi, non ſunt* vere ſufficientes, *non præparaſſe reprobis per mortem ſuam* auxilia vere ſufficientia, *quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, proindeque Chriſtum pro æterna reproborum ſalute non mortuum eſſe, nec pretium ſanguinis ſui Patri ſuo ſincera voluntate obtuliſſe, ut illis prodeſſet ad ſalutem æternam* (378).

N 4 ANI-

(378) Claſſ. 2. Epiſt. 8. pag. 163. & ſeq.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO IV.

169. Si illa propoſitio: *Chriſtus Dominus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus eſt*, ita intelligatur, ut ly *dumtaxat* afficere ponatur *ſalutem*, non autem *prædeſtinatos*, adeo nimirum ut ſit ſenſus, Chriſtum *pro ſola ſalute* prædeſtinatorum eſſe mortuum, propoſitionem illam etiam Janſeniani, tamquam falſam, rejiciunt. Et illi namque fatentur cum Janſenio, ut ſupra vidimus, non eo ſenſu Chriſtum Dominum *pro ſalute dumtaxat* prædeſtinatorum eſſe mortuum, ut iis, qui prædeſtinati non ſunt, nullam prorſus temporalem gratiam morte ſua, ille meruerit; cum certum ſit, illorum quoque judicio, quamplures temporales gratias etiam reprobis plurimis per Chriſti mortem fuiſſe collatas, & etiam modo conferri. Itaque, ut recte habet Janſeniſmi redivivi Cl. Auctor, *Summus Pontifex quintam propoſitionem damnando in ſenſu Janſenii, definiit, prædeſtinatos non eſſe ſolos, pro quorum ſalute Chriſtus mortuus eſt: definiit, eum mortuum eſſe etiam pro ſalute reproborum, ſaltem nonnullorum: definiit, eum non ſolum mortuum eſſe pro gratiis quibuſdam temporalibus, ſed etiam pro ſalute reprobis ſaltem nonnullis obtinenda* (379).

ANIMADVERSIO V.

170. Nunquam quoque negavit Janſenius, neque modo inficiantur illius partiarii, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus quantum ad *ſufficientiam pretii*. Et ipſe

(379) P. I. Art. 6. n. 6.

ipſe namque apertiſsime fatetur, *pretium illud infinitum eſſe ſufficiens ad redemptionem omnium omnino infidelium, imo etiam dæmonum, omniumque damnatorum* (380); addens præterea, hoc ſenſu nonniſi perperam dici poſſe, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, *alioquin*, inquit ipſe, *etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens* (381). Non ergo in eo poſitus eſt error in hac quinta Janſenii propoſitione ab Eccleſia proſcriptus, quod Janſenius noluerit, pretium ſanguinis Chriſti eſſe *ſufficiens* abſolute, & in ſeipſo ad omnium etiam infidelium redemptionem; ſed in eo, quod ille noluerit, Chriſtum Dominum eo animo, eaque voluntate, & intentione ſubiiſſe mortem, ſuumque ſanguinem fudiſſe, ut iis etiam, qui prædeſtinati non ſunt, gratias *vere ſufficientes* ad æternam ſalutem conſequendam obtineret. *Verus Janſenii ſenſus, in hac propoſitione damnatus, in hoc poſitus eſt*, inquit Cl. P. Graveſon, *quod velit Janſenius, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus quantum ad* intentionem offerentis, *& quantum ad* applicationem ſui ſanguinis *per præparationem mediorum, ſeu auxiliorum* vere ſufficientium, *quæ omnibus hominibus vel conferat, vel ſaltem offerat, quæque dent veram, proximam, completam, & expeditam potentiam vincendi cupiditatem, & æternam ſalutem conſequendi* (382). Profecto, ipſomet fatente Janſenio, *phraſis, qua quis dicitur, ſe pro aliquo redemptionem*

(380) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 21.
(381) Ibidem.
(382) Claſſ. 2. Epiſt. 7. pag. 132.

Digitized by Google

nem dare, præſeferre videtur, redemptionem ex re-dimentis animo in uſum, ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi (383); ut proinde, eodem ipſo teſtante, Chriſtum *eſſe paſſum, crucifixum, mortuum, ſe redemptionem dediſſe, vel propitiationem eſſe pro omnibus, plus aliquid dicat, quam nude pretium ſufficiens obtuliſſe, quod iis applicari nolit. Illud enim indicat*, inquit ipſe, *intentionem morientis, pretium pro illis oblatum eſſe, ut ejus oblatione placatus Pater, eos reipſa de ſervitute liberaret, non ſub iſta conditione* ſi ipſi velint, *qui niſi Deo donante velle non poſſunt, ſed* ut velint, *& credant, potenter in eorum voluntatibus operando* (384). Quis igitur, hæc conſiderans, inficiabitur, Janſenium docuiſſe, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis eo ſenſu, quo Eccleſia quintam hanc propoſitionem anathemate confixit? Quis dubitabit de Janſenii mente, poſtquam ipſum ſcribentem legerit, *Chriſtum* nullo modo *pro illis infidelibus, qui per quatuor annorum millia ante adventum Salvatoris in carne, in infidelitate ſua mortui atque damnati ſunt, vel aliis ſimiliter poſt ejus adventum in ſua infidelitate perſeverantibus paſſum eſſe* (385)? *Vanum eſt enim*, addit ipſe ad pleniorem mentis ſuæ declarationem, *pro talibus ſalvandis* ſeria voluntate *pati ac mori: vanum pro talibus a perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, & ſanguinem ſuum. Mortis enim, & ſanguinis oblatio eſt quoddam efficaciſſimum ro-*

(383) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 21.
(384) Ibidem.
(385) Loco citato.
(386) Ibidem.

Digitized by Google

rogandi genus (386); ut proinde *proſit illi neceſſario Chriſti ſanguis, & mors, pro quo ſanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit* (387), *neque fieri ullo modo poſſit, ut Chriſtus pro aliquo mortuus ſit, ut vivat, quin ille vitam aſſequatur* (388).

ANIMADVERSIO VI.

171. Aperte negat Janſenius, Chriſtum Dominum mortuum eſſe *ſufficienter* pro omnibus eo ſenſu, quo loquuntur Theologi catholici, hoc eſt, eo ſenſu, ut *auxilia vere ſufficientia* ad ſalutem æternam conſequendam, ſua paſſione atque morte ſingulis meruerit, ex animo præparaverit, ipſiſque obtulerit. Docet enim, *argumentum illud, quo Chriſtus pro omnibus paſſus, & mortuus, vel redemptionem ſe pro omnibus dediſſe dicitur, nihil omnino pro* auxilio ſufficienti *omnibus, nemine excepto, ſuppeditando facere. Nec enim*, inquit, *juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omnino Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit; cum hoc potius tamquam errorem a fide catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum. Omnibus vero illis* (proſequitur Janſenius), *pro quibus ſanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam* ſufficiens auxilium *donat, quo non ſolum poſſint, ſed etiam reipſa velint, & faciant id, quod ab eis volendum, & faciendum eſſe decrevit* (389). Hinc conſequenter ad argumentum ex illo Apoſtoli: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, quod ini-

(387) Ibidem.
(388) Ibidem.
(389) Ibidem.

Digitized by Google

initio capitis ſibi propoſuerat, *genuinius*, *veriuſque* reſpondendum cenſet, *Chriſtum dici* ſe dediſſe redemptionem pro omnibus, *hoc eſt*, inquit ipſe, *pro univerſa ſua Eccleſia toto Orbe diſperſa*, & *conſequenter pro omnibus hominum generibus*, *Regibus*, *privatis*, *nobilibus*, *ignobilibus &c. itemque pro omnibus*, *hoc eſt*, *pro hominibus omnium nationum*, *linguarum*, & *gentium*, *Judæis videlicet*, *ac Gentilibus*, *ex quibus congregatur univerſus populus* Dei (390). Addit quoque, *non aliter Auguſtini judicio* Chriſtum ſe redemptionem pro omnibus dediſſe, *ſeu* propitiationem eſſe pro peccatis totius Mundi, *niſi quia pro peccatis* omnium fidelium, *ex quibus una* catholica *conſtituitur* Eccleſia, *redemptio atque propitiatio eſt*; contendens, *nec in univerſis Auguſtini operibus locum eſſe*, *ubi doceat*, *Chriſtum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium eſſe propitiationem*, *vel pro illis ſe dediſſe redemptionem*, (391); idque etiam *adeo in ipſius doctrina verum eſſe*, ait, *ut paſsim omnes locutiones Sacrarum Litterarum*, *quæ quamdam univerſitatem effectuum paſsionis*, *aut mortis*, *aut redemptionis*, *aut divinæ gratiæ inſinuant*, *ad* ſolos prædeſtinatos *revocet ac reſtringat*, nempe *quia ipſorum liberationem ex maſſa perditionis*, & *ſalutem abſolute voluit*, *reliquorum* (ſcilicet non prædeſtinatorum) *eatenus dumtaxat*, *quatenus aliquo temporali ſanctificationis guſtu nonnihil ex iſta ſalute*, & *liberatione participant* (392).

ANI-

(390) Loco citato.
(391) Ibidem.
(392) Ibidem.

Animadversio VII.

172. Sicuti porro contendit Janſenius, Chriſtum Dominum non pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe; ita conſequenter docet, Deum non omnes, ſed eos tantum, qui prædeſtinati ab ipſo fuere, velle ſalvos fieri, ipſiſque dumtaxat per Chriſti mortem præparaſſe, & reapſe conferre auxilia, quæ ad æternam conſequendam ſalutem vere ſufficiant. Docet enim, *non poſſe ſtatui, quod Recentiores*, inquit ipſe, *plerumque ſolent, voluntatem quamdam generalem, qua Deus velit, omnes homines, in damnatione primi peccati poſitos, ſalvos fieri, ex qua voluntate non ſolum* generalia *redemptionis* remedia, *ſed etiam* ſufficientia adjutoria *omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicut enim* (pergit ille) *talia* ſufficientia adjutoria *non dantur omnibus, imo* nulla *omnino poſt lapſum ſunt, ita nec voluntas illa generalis, ex qua promanare dicuntur* (393). Affirmat præterea, *talem voluntatem generalem fuiſſe Maſſilienſium baſim, ex qua ipſi* media *omnibus hominibus* ſufficientia *largiti ſunt, & conſequentiſſime nullam prædeſtinationem electorum, niſi in prævisione futurorum, fabricarunt* (394). Et infra, *quod*, inquit Janſenius, *Scholaſtici plerique putant, Deum poſt hominum lapſum habere adhuc voluntatem ſalvandi omnes omnino, nemine excepto, & ex illa voluntate omnibus etiam reprobis* ſufficientem *non ſolum* redemptionem, *ſed etiam* gra-

(393) Lib. 10. *de Gratia Chriſti* cap. 2.
(394) Ibidem.

Digitized by Google

gratiam *præparaſſe*, *ab Auguſtini doctrina prorſus diſſentaneum eſt* (395). Nomine porro *ſufficientis auxilii*, quod negat Janſenius præparatum a Deo fuiſſe per mortem Chriſti etiam reprobis, ab eo intelligi *gratiam* non Moliniano dumtaxat, verum etiam Thomiſtico ſenſu *ſufficientem*, nemini dubium eſſe poteſt; cum, ut conſtat ex alibi traditis, certiſsime conſtet, Janſenium non aliam in hoc lapſæ naturæ ſtatu agnoviſſe gratiam, niſi *efficacem*, nempe talem, ut, quemadmodum ipſe ait, *non ſolum* ſine illa *volentes*, *& operantes eſſe non poſsint*, *verum etiam ut* per illam *nonniſi volentes*, *& operantes ſint* (396). Quamobrem cum certum ſit, prædeſtinatis dumtaxat, non autem reprobis *efficacem gratiam* a Deo conferri, certum eſt etiam, Deum illis tantummodo, non autem iſtis reddere voluiſſe ſecundum Janſenium æternam ſalutem obtentu poſsibilem; atque hinc Deum, hujuſce Novatoris judicio, nolle ſalutem omnium, ſed eorum dumtaxat, qui ſunt prædeſtinati.

ANIMADVERSIO VIII.

173. Obſervandum poſtremo eſt, non negari quidem a Janſenio, Deum *voluntate antecedenti* velle omnium prorſus hominum ſalutem, ipſiſque omnibus *auxilia* ad ſalutem conſequendam *ſufficientia* præparaſſe; verum *antecedentem* illam *voluntatem* ad ſolum innocentis naturæ ſtatum ipſe reſtringit, ita nempe ut in ſtatu naturæ curruptæ nonniſi *voluntatem conſequentem* ipſe admittat. Vult nempe Janſenius, voluntatem, quam

(395) Ibidem cap. 3.
(396) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 19.

Digitized by Google

quam ipſe vocat *antecedentem*, ſalvandi omnes, in Deo non fuiſſe, niſi antecedenter ad primum Adæ peccatum; poſt vero, illam non eſſe in Deo, nullamque gratiam ex ea in homines derivari, quemadmodum in dæmones nullæ ex illa gratiæ proveniunt. In hoc conſiſtit error in quinta Janſenii propoſitione ab Eccleſia proſcriptus, *quod velit Janſenius*, inquit Cl. P. Graveſon, *voluntatem Dei* antecedentem *de ſalute omnium hominum pertinere dumtaxat ad ſtatum* naturæ innocentis; *voluntatem vero Dei* conſequentem, *quæ ſpectat tantummodo ſalutem electorum, ac prædeſtinatorum pertinere ſolum ad præſentem ſtatum* naturæ lapſæ. *Ex quo capitali ſuæ doctrinæ principio Janſenius infert primo*, voluntatem *Dei* antecedentem *de ſalute omnium hominum non eſſe in ſtatu naturæ lapſæ* veram, *ac* ſinceram voluntatem, *qua Deus velit ſalutem omnium hominum, ſed eſſe tantum ſimplicem velleitatem......Infert ſecundo Janſenius, Deum pro omnibus reprobis in ſtatu naturæ lapſæ nec præparaſſe, nec ipſis per* voluntatem antecedentem *conferre voluiſſe* gratias vere ſufficientes, *quæ eis dent* veram, proximam, completam, expeditam, *&* relativam potentiam *vincendi ardentiorem, ac ſuperiorem concupiſcentiam, atque æternam ſalutem conſequendi. Tertio infert Janſenius, Deum velle tantum ſalutem electorum, ac prædeſtinatorum in ſtatu naturæ lapſæ; iiſque ſolis per* voluntatem conſequentem *præparare, ac conferre* auxilia vere ſufficientia, *quæ illis dent* proximam, completam, expeditam, *&* relativam potentiam *vincendi omnes concupiſcentiæ gradus, & conſequendi ſalutem æternam* (397). Ne quis tamen opponat, P. Graveſon peſſime interpre-

(397) Claſſ. 2. Epiſt. 7. pag. 139.

Digitized by Google

pretatum fuiſſe Janſenium, ejuſque doctrinam de voluntate Dei erga omnium ſalutem inique traducere, Janſenium ipſum loquentem audire ne pigeat. Præmiſſa itaque diſtinctione duplicis voluntatis in Deo, *antecedentis* ſcilicet, & *conſequentis*, tradita ab Damaſceno, ſed quam ille perperam explicat, *ſignificat*, inquit, *Damaſcenus*, *voluntatem* (antecedentem), *quam Deus ex ſe concepit*, *quando humanum genus* inſtituit, *quæque* omnia peccata *hominis* anteceſsit, *fuiſſe* bonitatis, *ut homo gratiæ*, *ſalutis*, *felicitatiſque particeps fieret*....... *Voluntatem autem* conſequentem *eſſe* juſtitiæ, *qua peccatores diverſis ſuppliciis plecti vult*, *ac jubet*. *Sed talis antecedens voluntas*, *quamdiu res ſine acceſſoriis circumſtantiis conſideratur*, *aliquid ad cauſandam gratiam ſufficientem*, *aliaque media neceſſaria procurandæ ſalutis facit*, *utpote ex qua* gratia *primorum hominum* ſufficiens *fluxit*. *Sed poſtquam peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur*, antecedens voluntas *in* ſola præciſione mentis, *adeoque* nuda quadam velleitate, nihil omnino gratiæ cauſante, *conſiſtere poteſt*. *Quod ex eo manifeſtiſsime patet*, *quia talem* antecedentem voluntatem *etiam erga damnatas creaturas ſive hominum*, *ſive Angelorum Deus habet* : *qua non obſtante*, *ſicut poteſt conſequente voluntate juſtitiæ*, *Angelos* omni gratia ſufficiente, *& ſalute ſpoliare*, *excæcare*, *obdurare*, *damnare* ; *ita non obſtante eadem* antecedente voluntate, *quibuſdam hominibus originali labe damnatis*, *conſequente voluntate juſtitiæ*, gratiam ſufficientem *fidem*, *juſtitiam*, *ſalutem*, *felicitatemque negare poteſt*, *eoſque nolle ſalvos fieri*. *Sic enim & Judex*, *præciſione intellectus*, *& inde ſubnaſcente quadam velleitate*, *quæ* nihil *operatur*, *vult hominem eſſe ſalvum*,

Digitized by Google

vum, *quem tamen propter homicidium* omnibus *aſſequendæ ſalutis* remediis, *ipſaque vita privat*...... *Nihil omnino igitur doctrina Damaſceni de* antecedente *ſalutis omnium* voluntate *Recentioribus prodeſt*, *ut quæ optime cum negandæ ſalutis*, *&* gratiæ ſufficientis *voluntate conſiſtit*; *niſi forte & Angelis*, *& hominibus damnatis*, *antecedente voluntate ſalutis*, gratiam ſufficientem, *aliaque redemptionis inſtrumenta ſuppeditari*, *& erogari putent* (398). Nihil itaque clarius, nihil apertius dici ab Janſenio potuit ad declarandam ſententiam ſuam de voluntate Dei erga omnium ſalutem, videlicet fuiſſe quidem in Deo ante prævisionem peccati voluntatem ſalvandi omnes, ipſiſque omnibus largiendi *ſufficientia auxilia*, quibus conſequi ſalutem poſſent; at poſt peccatum nullam prorſus in illo eſſe ejuſmodi voluntatem, niſi erga prædeſtinatos, quemadmodum nulla eſt erga dæmones, eoſque homines, qui æternis pœnis jam ſunt addicti. Neceſſe eſt igitur, ut Janſenius, ejuſque partiarii, ſi conſtare ſibi velint, vel inviti fateantur, quemadmodum egregie habet laudatus P. Graveſon, *Chriſtum non habuiſſe poſt lapſum Adami* veram, *&* ſinceram voluntatem antecedentem *ſalvandi reprobos*, *nec pro illis mortuum eſſe*, *nec ſanguinis ſui pretium Patri ſuo obtuliſſe*, *ut illis ad æternam ſalutem prodeſſet*, *ac denique eis præparaſſe* auxilia *vere* ſufficientia, *quibus ſalutem æternam conſequi poſſent* (399).

O ANI-

(398) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 20.
(399) Claſſ. 2. Epiſt. 8. pag. 165.

ANIMADVERSIO IX.

174. Neque demum ſufficit ad declinandum Janſenii errorem, in hac quinta Janſenii propoſitione atro carbone ab Eccleſia notatum, ſi dicatur, Deum etiam in hoc lapſæ naturæ ſtatu velle *voluntate antecedenti* ſalutem omnium, quia tali voluntate vult etiam poſt lapſum, *quidquid in ſe bonum, rectumque eſt*, cujuſmodi profecto eſt omnium ſalus ſecundum ſe præciſe conſiderata. Id, inquam, non ſufficit. Quandoquidem, ut recte obſervat Janſeniſmi redivivi doctiſsimus Auctor, *neque Janſenius hanc* antecedentem *Dei* voluntatem *in hoc ſenſu acceptam unquam negavit, nec negare potuit. Quis enim dubitavit unquam*, inquit Illuſtriſsimus ille Præſul, *Deum velle, voluntate ſaltem ſterili & otioſa, quidquid in ſe bonum eſt, & rectum, ſi illud non velit voluntate vera, & activa* (400)? Dicere quoque non ſufficit ad hunc Janſenii errorem declinandum, quod Deus velit *voluntate antecedenti* omnium ſalutem, vel quia, accommodata, ut ajunt, diſtributione, velit ſalutem eorum *omnium*, qui revera ſalvantur; vel quia velit ſalutem aliquorum de *omni genere* hominum, nempe Judæorum, Gentilium, Regum, Principum, Nobilium, Ignobilium, Servorum, Liberorum; vel quia demum velit, ut ſancti homines optent ſalutem omnium, & pro illa Deum ipſum deprecentur. Hoc enim ſenſu Deum velle omnes ſalvos fieri, neque Janſenius inficiatus eſt, imo docuit apertiſsime. Explicans enim illa Apoſtoli verba: *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, negat in pri-

(400) P. 1. artic. 6. n. 14.

Digitized by Google

primis, verba illa ita intelligi poſſe, ut dicatur, Deum velle ſalutem omnium, *quantum in ſe eſt, aut ſi etiam ipſi velint*; contendens, expoſitionem hanc *neque veris defenſoribus gratiæ unquam placuiſſe, ſed graviter improbatam eſſe; neque verbis Apoſtolicis congruere, ſed ab errantibus introductam, & pertinaciter defenſam fuiſſe*. Hac igitur expoſitione rejecta, tres ipſe affert, quas *veras*, & *antiquioribus probatas* appellat. Prima eſt, *ut Deus dicatur omnes homines velle ſalvos fieri, accommodata ſcilicet diſtributione, omnes, qui videlicet ſalvantur, ſeu, quod idem eſt, quia nemo fit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvum fieri*. Secunda: *intelligendam eſſe diſtributionem non* pro ſingulis generum, *hoc eſt, pro omnino ſingularibus hominibus, ſed* pro generibus ſingulorum, *hoc eſt, pro omni genere hominum, pro Judæis, & Gentilibus, Servis, & Liberis, Principibus, & Privatis, Doctis, & Indoctis, Adultis, & Parvulis, Viris, ac Mulieribus &c. quia*, inquit Janſenius, *ex omni hominum genere aliqui prædeſtinati ſunt, & ſalvi fiunt*. Tertia eſt, *ut Deus dicatur omnes homines velle ſalvos fieri, quia facit, ut ſancti homines ſalutem omnium velint, & optent, & orando deſiderent, non tantum voluntate ſigni, præcipiendo, ut omnium ſalutem velint, ſed etiam eis hanc ipſam voluntatem, hoc deſiderium, hanc ſollicitudinem inſpirando* (401). Non ergo a Janſenio recedunt, qui aliqua ex hiſce rationibus explicare nituntur laudatum Apoſtoli dictum, atque oſtendere, quomodo illud verum ſit, quamvis Deus *voluntate*, non *conſequenti, abſoluta*, & *efficaci*, ſed an-

(401) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 20.

Digitized by Google

antecedenti non omnium, ſed aliquorum dumtaxat; prædeſtinatorum ſcilicet, ſalutem velit. Nititur quidem Janſenius, expoſitiones illas auctoritate S. Auguſtini confirmare. Sed perperam. In iis quippe locis, quæ Janſenius ſibi favere putat, explicat S. Auguſtinus, quomodo ſtet, Deum velle omnes ſalvos fieri, quemadmodum ait Apoſtolus, quamvis *voluntate conſequenti*, *abſoluta*, & *efficaci*, prædeſtinatorum dumtaxat ſalutem velit. Verum fuſe hac de re ſuo loco. Summis tantum labiis id modo attigiſſe, breviterque indicaſſe ſufficiat. Interim, ut egregie monet doctiſsimus P. Dominicus Soto, *hoc ſit nobis conſtitutiſsimum*, *quod* (*Deus*) *voluntate antecedenti vult totum Mundum ſervatum iri*, *atque adeo univerſis paratus eſt auxiliis gratiæ*, *communibus ſaltem*, *ſuccurrere*, ſive, ut dixerat paulo antea, *quod Deus vult omnes homines*, *&* *eorum quemcumque*, *quantum ad ſe attinet*, *ſalvos fieri*, *ſi modo ipſi voluerint*, *neque obſtinaverint corda ſua* (402).

OBSER-

(402) Expoſit. in cap. 9. *Epiſt. ad Romanos*.

Digitized by Google

OBSERVATIONES

in hactenus expoſitum

JANSENII SYSTEMA.

OBSERVATIO I.

175. Maxime dignum conſideratione eſt, non defuiſſe olim, neque modo deeſſe, qui arbitraretur, & etiamnum pertinaciter contendat, *quinque* famoſas Janſenii *propoſitiones*, quas in hoc poſtremo Janſeniani ſyſtematis conſectario explicavimus, vel non eſſe in falſo illius Novatoris Auguſtino, vel non eo ſenſu in illo ab Janſenio fuiſſe traditas, quo eas deinde ſtigmate cenſorio Eccleſia confixerat. Ex iis enim, quæ dicta ſunt hactenus, fuſeque explicata, clare adeo nitideque apparet, & illas omnes haberi in memorato Janſenii Opere, & eo ipſo ſenſu, quo eas ille docuerat, ab Eccleſia fuiſſe proſcriptas, ut nonniſi a protervo negari utrumque poſſit. Certe nonniſi a protervo negari poteſt, eas omnes eſſe in illius Auguſtino. Id enim maniſeſte oſtendunt Janſenii verba, quæ ex memorato ipſius Opere fideliter excerpta, ſingulis ipſis propoſitionibus ſubjecimus. Negari itidem nequit, quominus ſenſus, in quo illæ ab Eccleſia damnatæ ſunt, ſit ille ipſe, quo Janſenius eas docuerat. Certum eſt enim, Janſenium eo ſenſu propoſitiones illas ſuas docuiſſe, qui oritur ex principio, cui uni totum ipſius ſyſtema innixum eſt, quodque *clariſſimum*, & *præclariſſimum*,

Digitized by Google

aureiſque characteribus dignum ipſe appellat (403), ſcilicet principio duarum delectationum pro *graduum* ſuperioritate invincibilium. Etenim ſi ſecus, ſibi ſane perpetuo non ſtetiſſet Janſenius, ſed plane incohærentia tradidiſſet. Eo autem ſenſu *quinque* illæ propoſitiones ab Eccleſia damnatæ ſunt, atroque carbone notatæ, qui ex memorato duarum delectationum *relative* invincibilium famoſo principio eruitur. Hoc ſiquidem ſenſu intellectæ inconcuſsis catholicæ fidei dogmatibus, ut patet, adverſantur. Ergo eo ſenſu proſcriptæ ſunt, quo illas Janſenius docuerat.

SCHOLION I.

176. Quinque *famoſas* Janſenii *propoſitiones* & eſſe reipſa in falſo illius Auguſtino, & in eo contineri eo ipſo ſenſu, quo damnatæ deinde fuerant, nemo Catholicorum ſine graviſsima temeritatis nota, ne dicam ſine crimine violatæ fidei, revocare in dubium poteſt. Apertiſsime namque a Summis Pontificibus declaratum utrumque eſt. Ita enim in primis Alexander VII. in ſua Bulla, quæ incipit: *Ad ſanctam B. Petri Sedem*, data anno 1656. Pontificatus ſui anno 2. *Cum, ſicut accepimus* (inquit ille) *nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones vel in* libro *prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed ficte, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in* ſenſu *ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere, magno cum Chriſti fidelium ſcandalo, non reformident, Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attente perſpeximus, ... quinque illas propoſitiones ex* libro *præmemora-*

(403) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.

Digitized by Google

morati Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis, *cui titulus eſt*: Auguſtinus, *excerptas*, *ac in* ſenſu *ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe declaramus*, *&* *definimus*, *ac uti tales........ iterum damnamus*. Idem Summus Pontifex in *formulario*, quod ab omnibus ſubſcribi diſtricte juſsit, præcipit, ut omnes jurent, ſe *ſincero animo* rejicere, ac damnare *quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro*, *cui nomen Auguſtinus*, *excerptas*, *& in ſenſu ab eodem Auctore intento*, *prout illas........ Sedes Apoſtolica damnavit*. Summus quoque Pontifex Clemens XI. in ſua Bulla: *Vineam Domini Sabaoth*, data anno 1705. Pontificatus ſui anno 5. non ſolum confirmat Conſtitutiones Innocentii X., & Alexandri VII. contra Janſenium editas, verum etiam damnat eos, qui temere ajunt, Innocentium XII., dum *prædictas quinque propoſitiones ex memorato libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio*, *quem ipſamet propoſitionum verba exhibent*, *ac præ ſe ferunt*, *damnatas eſſe pronunciavit*, *non de ipſomet obvio ſenſu*, *quem in Janſenii* libro *habent*, *quive ab eodem Janſenio* intentus, atque ab Innocentio X., & Alexandro VII. *damnatus fuit*, *ſed de alio quopiam diverſo ſenſu cogitaſſe*. Illos etiam ſtigmate cenſorio configit, qui docere non verentur, *ad obedientiam præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus* (quibus nempe quinque Janſenii propoſitiones damnatæ ſunt) *debitam non requiri*, *ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſitionibus damnatum*, *interius ut* hæreticum *damnet*; *ſed ſatis eſſe*, *ſi ea de re* obſequioſum, *ut ipſi vocant*, ſilentium *teneatur*. Declarat inſuper, *damnatum in* quinque *præfatis* propoſitionibus *Janſeniani libri ſenſum*, *quem illarum verba præ ſe ferunt*, *ab om-*

Digitized by Google

omnibus Chriſti fidelibus , *ut* hæreticum , *non ore ſolum* , *ſed & corde rejici ac damnari debere* ; *nec alia mente* , *animo* , *aut credulitate ſupradictæ formulæ* (Alexandri VII.) *ſubſcribi licite poſſe* , *itaut qui ſecus*, *aut contra* , *quoad hac omnia* , *& ſingula* , *ſenſerint* , *tenuerint* , *prædicaverint* , *verbo* , *vel ſcripto docuerint*, *aut aſſeruerint* , *tamquam præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum tranſgreſſores* , *omnibus & ſingulis illarum cenſuris* , *& pœnis ſubjaceant*. Etſi porro ad eorum coercendam temeritatem, qui negare audent, memoratas quinque propoſitiones reperiri in Auguſtino Janſenii, vel eo ſenſu damnatas eſſe , quo in illo libro continentur, hæc, quæ modo retulimus , Pontificia oracula abunde ſufficiant , luculentiſsimo tamen plurimorum Galliæ Epiſcoporum teſtimonio id etiam invicte confirmare ne pigeat. Ita ergo illi, numero 36. cum Card. Mazarino, ad alios Galliæ Epiſcopos : *Spes nobis erat* , *homines eos* , *qui ſe Cornelii Janſenii Epiſcopi Yprenſis amatores* , *ſectatoreſque profiteutur* , *poſt ejus ab* Innocentio X. *anathematizatas* , *& damnatas quinque opiniones* , *deſituros tandem ab omni motu*, *atque* , *cum ſuo ille decreto imperaſſet ventis* , *futuram in Eccleſia tranquillitatem magnam. Sed contra plane*, *quam expectatum a nobis fuerat* , *accidit* ; *mirarique ſatis non poſſumus* , *poſt æquiſsimam ſanctiſsimamque Conſtitutionem illam* , *qua Beatiſsimus Pater* Innocentius X. *prædictas quinque propoſitiones damnavit* , *& iis quidem verbis* , *quibus nihil dici poteſt expreſsius*, *nihil clarius* , *homines illos affirmare* ; *imo & perſuadere aliis velle res duas* , *vanas omnino* , *& inanes* : *alteram* , quinque illas propoſitiones non eſſe Janſenii; *alteram* , damnatas eſſe eo in ſenſu , qui ad Janſenium

nium nihil pertineat. *Poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quam tueri id velle, cui refellendo, revincendoque nihil opus ſit rationibus, nihil diſquiſitione etiam mediocri, aut levi, ſed ſola Pontificiæ Conſtitutionis, quæ per ſe ipſam rem totam aperte dirimit, lectione? Et quidem cum ejuſmodi ſint duæ res iſtæ, ut multis videri poſſint ipſæ per ſe, & ſponte ſua ruituræ, atque adeo ſpernendæ potius & negligendæ; nobis tamen, quibus compertum eſt, eas ignorantibus, infirmiſque non paucis eſſe offendiculo, quibuſque pro muneris noſtri ratione id præſertim incumbit, ut tollamus omnia ſcandala a Regno Dei, viſum fuit occurrendum eſſe huic malo, comprimendumque mature hoc virus, quod jam aliquos occupavit. Quod ut fieret accuratius, & pro ea, qua par erat, gravitate, dignitateque, quotquot in hac urbe Regni primaria negotiorum Eccleſiaſticorum cauſa fuimus, Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi collecti in unum cenſuimus, hoc quidquid eſt rei committendum eſſe curæ, ac diligentiæ Illuſtriſſimorum Reverendiſſimorum Fratrum Noſtrorum* Archiepiſcoporum Turonenſis, Ebrodunenſis, Rothomagenſis, Toloſani, & Epiſcoporum Eduenſis, Montalbananſis, Rhedonenſis, Carnotenſis, *ſic tamen, ut quidquid inter ſe ipſi legiſſent, obſervaſſent, ſenſiſſent, referrent ad Nos. Iis vero ex ipſa Conſtitutionis lectione, atque inſuper ex Opere Janſeniano, quod etiam, quantum ad quinque illas propoſitiones*, ſtudioſe *legerunt, expenderuntque (quamquam ſola per ſe ad id ſufficiat Conſtitutio)* manifeſtum, & perſpectum *fuit*, illas quinque propoſitiones vere eſſe Janſenii, & damnatas eſſe in vero ac proprio verborum ſenſu, & eo plane, quo a Janſenio traduntur, & explicantur. *Atque cum id ipſi ad Nos,*

Nos, ſcilicet in unum rurſus congregatos retuliſſent, & a Nobis quoque idem cognitum, *&* exploratum *fuiſſet, declaravimus, & hoc noſtra judicio declaramus*, rem plane ita ſe habere, *&* nullum dubitandi eſſe locum. *Quare & eos, qui* quinque *illas* propoſitiones *tuentur, aut probant, vere eſſe ex eorum numero, quas* Innocentius X. *ſua illa in Conſtitutione vocat* contradictores, *&* rebelles, *& quos vult a Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per cenſuras, & pœnas contra* hæreticos, *& eorum fautores in jure expreſſas, ceteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceri, & compeſci* (404). Jam vero quid ad hæc Janſenii partiarii, & fautores? Dicentne, Summos Pontifices, totque doctiſsimos Præſules, eximioſque Theologos vel non legiſſe Janſenii librum, vel illum, ſi legerint, non intellexiſſe? Sed hoc eſſet inſolentiſsimæ ſuperbiæ, & audaciæ prorſus intolerabilis. *Num enim Arnaldus* (ut Viri Cl. verbis utar) *& Paſcalius, num Paulus Irenæus, num de S. Victore, & Abbas Richardus, aliique perſonati Scriptores, oculorum vigore ſoli pollebant, negantes in Janſenii ſcriptis themata damnata contineri, cæteri vero innumeri Catholici, Maximique Pontifices, & Epiſcopi aut cæci, aut deceptores fuere, qui contra non ſolum viderunt, ſed etiam ſtatuerunt eadem e Janſenianis libris non ad verbum quidem ſingula, ſed ſpectata Janſenii ſententia, atque intentione verborum omnia excerpta fuiſſe? Ubi talibus cavillis* (pergit Cl. Auctor) *in Chriſtiana Republica ſit lo-*

(404) Ex Montenſi Collectione hiſtorica *Bullarum &c. ſpectantium ad errores hujus ſæculi &c.* pag. 111.

Digitized by Google

locus, *quid reſtat amplius*, *ut pro libito damnationi quemcumque librum vel pernicioſiſſimum*, *& peſtilentiſſimum eripiamus*, *in quem Cathedra Petri*, *aut Sacra Concilia inutilem plane tulerint ſententiam? Idem ſemper effugium recurret*, *deceptos nempe judices*, *quum ibi damnabiles errores*, *ubi non erant*, *ſomniaverint*; *atque interea peſſimi*, *ac venenati libri debacchari pergent*, *illamque paſſim ſpargere peſtem*, *quam detexit*, *ac eliminavit Eccleſia* (405). Mirandum non eſt tamen, ſi Janſenii partiarii tantum audeant. *Habent enim hoc hæretici proprium*, inquit S. Gregorius Papa, *ut de inani ſcientiæ ſuæ arrogantia inflentur*, *& recte credentium ſimplicitatem ſæpe derideant* (406); atque inter illorum fraudes hæc prima eſt, ut obſervat doctiſsimus Franciſcus Simonis, *ſe*, *ſuoſque ſolos magni æſtimare*,........ *ceteros contemnere omnes* (407).

SCHOLION II.

177. Ajunt Janſeniani, quæſtionem hanc, num ſcilicet, *quinque propoſitiones ſint in libro Janſenii*, *eoque ſenſu*, *quo traditæ ab Janſenio ſunt*, *fidei*, *adverſentur*, non *juris* eſſe, ſed *facti*; ac propterea, cum Eccleſia, in *facti* quæſtionibus dirimendis non ſit infallibilis, negari poſſe tuta fide, quinque illas propoſitiones & eſſe in Janſenii libro, & eo ſenſu, quo ipſas Janſenius docuit, eſſe hæreticas; ſed plane ſufficere, ut Apoſtolicæ Conſtitutiones, quibus definitum habemus, *quin-*

(405) Auctor *Prolegomen.* in Leſcium Crondermum cap. 2. n. 2.

(406) Comment. in cap. 19. *Job* cap. 12.

(407) P. 2. *de Fraudibus Hæreticorum.*

quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptas eſſe, & in ſenſu ab eodem auctore intento damnatas, omni cultu, obſequio, & obſervantia excipiantur. At nimis turpiter errant, qui ita ſentiunt. Hæc enim quæſtio non *meri facti* eſt, ſed *facti* cum *dogmate*, ſive cum *jure* conjuncti; ac proinde ex illarum genere, in quibus dirimendis nec falli Eccleſia poteſt, neque fallere. Ut enim egregie habet doctiſsimus Melchior Cano. *Cum*, inquit Cla. Vir, *inter catholicos, & hæreticos non de Scriptura, ſed de ſenſu plurima controverſia ſit, ſi Eccleſiæ interpretatio non eſt certa intelligendi norma, ecquis erit iſtiuſmodi controverſiæ Judex? Senſum enim ſuum pro ſua virili quiſque defendet. Quod ſi in exploranda Scripturæ intelligentia nullus eſt Eccleſiæ certus Judex, audeo dicere, Rempublicam fuiſſe nullam ſtultius conſtitutam; nullum enim deſidiorum futurum finem, conſenſionem fidelium nullam, nullam fidei unitatem: qua ſublata, non charitas modo, & pax, ſed fides etiam ipſa penitus tollitur, atque ipſum omnino Eccleſiæ nomen* (408). Neque officit, tantum Virum loqui eo loci de interpretanda divina Scriptura. Etenim qua ratione errare nequit Eccleſia in definiendo vero S. Scripturæ ſenſu, eadem ipſa falli non poteſt in libris de Religione tractantibus interpretandis. Unde Cl. P. Graveſon palam fatetur, *Janſeniſtas, aſſerentes univerſam Eccleſiam errare poſſe in* factis doctrinalibus (*quale eſt* factum Janſenii) *adimere Eccleſiæ auctoritatem finiendi lites, quæ excitari poſſunt inter fideles de* ſenſu propoſitionum, *vel* librorum. *Qui enim* (inquit Cl. Auctor) *poterit unquam Eccleſia in ordinem redigere obſtinatos illos homines, qui pertendunt, quod etſi æcumenica Synodus declaraſſet,* hære-

(408) Lib. 12. *de Locis Theol.* cap. 6. *ad præcept.* 1.

hæreticam eſſe libri Janſenii doctrinam , *nunquam tamen ad conſentiendum ,ſua propria reclamante conſcientia , adduci poſſent ?. Profecto nulla ſuppeteret Eccleſiæ via coercendi pervicaces illos homines ,ſicque vana prorſus atque irrita redderentur Summorum Pontificum , & totius Eccleſiæ Epiſcoporum decreta , ac Tribunalia, quæ in dirimendis emergentibus in Eccleſia controverſiis, & fovendæ tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ inſtituit Chriſtus Dominus ; æternum in Eccleſia regnarent lites , contentiones , & jurgia , proculque exularet illa pax , quam ſuis diſcipulis Chriſtus Dominus reliquit pretioſam hæreditatem* : Pacem meam do vobis , pacem meam relinquo vobis (409). Firmiſsime itaque cum doctiſsimo Card. de Lauræa tenendum eſt I. *quod dum Eccleſia in Concilio , vel Romanus Pontifex extra Concilium damnat aliquam doctrinam cum expreſſione Auctoris , v. g. , doctrinam Sabellii &c. licet totum complexum includat aliquid* facti , *damnatio illa eſt objectum fidei , atque ideo abſolute , & ſine diſtinctione* facti *a* jure *eſt recipienda , ut fidei objectum* II. *quod dum Eccleſia ſeu in Concilio Generali , ſeu Romanus Pontifex ſolus damnat doctrinas cum hac formula* : in ſenſu Arii, in ſenſu Neſtorii, in ſenſu Eutychetis, *vel* alterius perſonæ , *eſto tota illa complexio conſtet ex* facto , *&* jure , *& ratione unius partis non ſit expreſſe revelata , non propterea definitio illa ceſſat eſſe objectum fidei ; ideo ut talis recipienda eſt ab Eccleſia* (410). Propterea cum expreſse declaraverit Summus Pontifex , quinque Janſenii propoſitiones & haberi in illius

(409) Claſſ. 2. Epiſt. ult. pag. 229.

(410) Tom. 3. *Comment.* in 3. Sent. Scoti *Diſp.* 6. art. 6. n. 236. & 256.

Illius Auguſtino, & eo ſenſu damnatas eſſe, quo Janſenius ipſas docuit, utrumque firmiſsime credi a nobis debet; & fidem his negare, non modeſtiæ ſolum, ac reverentiæ defectus erit, ſed etiam in Religione crimen, quidquid dicant Janſenii fautores, eſt reputandum.

SCHOLION III.

178. At vero prætereundum ſilentio non eſt, Janſenianos, negantes, Eccleſiam, Summoſque Pontifices certo intelligere, & decernere poſſe librorum ſenſum, non ſolum adverſari Janſenio, ſed etiam ſibimetipſis turpiſsime contradicere. Adverſantur Janſenio. Ille ſiquidem tum vivens, tum moriens proteſtatus eſt, ſe nolle aliter ſentire, quam Eccleſia, cujus infallibili judicio opus ſuum ſubjecit, definierit. *Quidquid enim*, inquit, *de rebus tam multiplicibus, & arduis non juxta meam, ſed juxta S. Doctoris* (Auguſtini ſcilicet) *mentem pronunciavi, ex Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque Romanæ matris meæ* judicio ſententiaque *ſuſpendo, ut illud jam nunc teneam, ſi tenendum; revocem, ſi revocandum; damnem, & anathematizem, ſi damnandum, & anathematizandum eſſe*, judicaverit. *Nam quemadmodum iſtius Eccleſiæ, ac Sedis myſteriis infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui, & crevi, & adolevi, & ſenui, nec ab ea ad latum unguem, quod ſciam, animo, aut facto, aut ſermone deflexi, ita porro ad extremum uſque ſpiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, divinoque judicio ſiſti, mihi conſtitutum eſt, ut juxta ſacratiſsimam ejus regulam, quæ a temporibus Apoſtolorum per ſucceſsionem conti-*

Digitized by Google

tinuam Romanorum Pontificum per univerſum Orbem prædicata, & credita eſt, referam a Dei miſericordia, aut juſtitia bonum, aut malum (411). Ita quoque idem ipſe, morti jam proximus, nempe vix media hora ante mortem: *Si Romana Sedes aliquid mutari velit* (loquitur de ſuis ſcriptis, ad explicationem S. Auguſtini, ut ipſe ait, ſpectantibus) *ſum obediens filius, & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi uſque ad hunc lectum mortis obediens ſum* (412). Niſi ergo velint illius partiarii, ipſum mentitum fuiſſe, fateantur oportet, Janſenium ne leviſsime dubitaſſe, quominus Apoſtolica Sedes judicare infallibiliter poſsit de librorum ſenſu, certoque decernere, quinam ſanam, ſeu catholicam, quinam vero falſam, hæreticamque doctrinam contineant; ac proinde concedant iidem ipſi neceſſe eſt, ſe ab Janſenio recedere, dum ejuſcemodi auctoritatem Eccleſiæ, Summiſque Pontificibus denegare non verentur. Sed neque ſibimetipſis illi conſtant. Certum eſt enim primo, eos, antequam Summus Pontifex Innocentius X. *quinque* Janſenii *propoſitiones* proſcribere, curaſſe viribus nervisque omnibus, ut ſuaderent Pontifici, & Cardinalibus, Janſenii doctrinam eandem eſſe, quæ S. Auguſtini, enixeque efflagitaſſe, ut id Pontifex declararet. Perſuaſum ergo tunc ipſis etiam fuit, Eccleſiam in decernendo illarum propoſitionum ſenſu falli non poſſe. Eccur enim id poſtulaſſent, ſi contra ſentirent? Certum eſt ſecundo, nihil eos habere ſolemnius, nihilque inculcare frequentius, quam divina fide credendum, quid-

(411) In epilogo, qui legitur ad calcem libri 10. *de Gratia Chriſti*.

(412) In teſtamento, quod habetur poſt ſynopſim vitæ, illius Auguſtino præfixæ.

Digitized by Google

quidquid de Chriſti Redemptoris gratia S. Auguſtinus ſcripſerat; idque ideo, inquiunt illi, quia Innocentius, Zoſimus, Cæleſtinus, aliique Summi Pontifices doctrinam S. Auguſtini approbarunt, commendaruntque elogiis ſplendidiſsimis. Non dubitant ergo, potuiſſe Eccleſiam infallibili judicio decernere, S. Auguſtini doctrinam *de Gratia Chriſti* eſſe veram, eſſe catholicam, uno verbo, eſſe talem, cui nemo ſine crimine violatæ fidei reluctari poſsit; & quidem eo in ſenſu, quo ipſi explicarunt. Igitur, dum negant iidem ipſi, Eccleſiam poſſe infallibiliter judicare de ſenſu librorum Janſenii, ipſamque poſſe, doctrinam in illis contentam, ceu *falſam*, atque *hæreticam* in ſenſu Janſenii condemnare, ſibimetipſis turpiſsime adverſantur. Non minus quippe ad *factum* pertinet, quod doctrina contenta in libris Janſenii, & prout ab eo in illis traditur, ſit *falſa*, & *hæretica*, quam quod *vera* ſit, & *catholica*, quæ in libris S. Auguſtini, & quidem ſumta eo ſenſu, quo tradita ab ipſo eſt, continetur. Igitur vel concedant oportet Janſeniani, Eccleſiam in dirimendis *factis doctrinalibus*, ſive *cum jure conjunctis* errare non poſſe, atque hinc infallibile eſſe judicium, quo Summi Pontifices Innocentius X., Alexander VII., & Clemens XI. *quinque* Janſenii *propoſitiones*, prout ſunt in illius *Auguſtino hæreticas* eſſe, pronunciarunt: vel fateantur iidem ipſi neceſſe eſt, Eccleſiam in illis dirimendis factis errori eſſe obnoxiam, ac proinde Summos Pontifices Innocentium, Zoſimum, & Cæleſtinum, ceteroſque omnes, qui S. Auguſtini doctrinam probaſſe dicuntur, in illa commendanda, & approbanda errare potuiſſe, imo & erraſſe reipſa, ſi nempe verum eſt, quod ipſi ajunt, ſcilicet Innocentium X., Alexandrum VII.,

&

& Clementem XI. in proſcribendis quinque Janſenii propoſitionibus reapſe erraſſe. Invicte propterea Janſenii partiarium quemdam ita redarguit Cl. P. Nicolaus Ghezius: *o volete*, inquit Vir doctiſsimus, eum alloquens, *che e i Papi, e la Chieſa ſieno infallibili in giudicando del proprio ſenſo dei libri di Agoſtino, e vi e' forza riconoſcere infallibili i Papi, e la Chieſa in giudicando del proprio ſenſo della opera di Gianſenio. Tant' e': per ultimare una volta queſta controverſia, o convien rinunciare alla autorita di S. Agoſtino, o convien abjurare la famoſa diſtinzione del diritto, e del* fatto. *Poiche chi oſa aſſerire, eſſerſi ingannata la Chieſa nel fatto di Gianſenio, troppo ſconciamente pretende non aver potuto ingannarſi la Chieſa nel fatto pur di Agoſtino* (413); niſi forte, addam ipſe, ille contendat, eum, qui infallibiliter determinare poteſt, ubi fulgeat veritas, æque infallibili judicio definire non poſſe ubi falſitas deliteſcat: quod certe quam abſurdum ridiculumque ſit, non eſt profecto, cur pluribus ipſe oſtendam. Miror tamen, Cl. Contenſonium eo, quo pollebat ingenii acumine, hujuſce argumenti vim non prævidiſſe. Inter plura ſiquidem elogia, quibus SS. Auguſtini, & Thomæ doctrinam juſtiſsime ornatam fuiſſe demonſtrat (414), illud ponit ſecundo loco, quod ab Apoſtolicæ Sedis judicio in illam derivatur, palam nempe aperteque & ipſe affirmans, ac veluti principii loco aſſumens, *Sedis Apoſtolicæ approbationem eſſe lapidem lydium, quo adulterina a pura, & legitima do-*

P   *Ctri-*

(413) Tom. 1. *de principj della Morale Filoſofia* lib. 2. p. 1. Dialog. 5. n. 22.

(414) Tom. 1. *Theol. Mentis, & Cordis* lib. 8. diſſert. 6.

Digitized by Google

ctrina diſcernitur ; tum pluribus adductis Summorum Pontificum teſtimoniis oſtendens , *Auguſtini* , *Aquinatiſque doctrinam a Supremis Eccleſiæ Capitibus non tam approbatam* , *quam conſecratam fuiſſe* (415). Non itaque dubitavit Vir ille doctiſsimus , quominus Apoſtolica Sedes , Summique Pontifices doctrinam SS. Auguſtini , & Thomæ commendaverint , approbaverintque non ſolum in ſenſu obvio , & quem præ ſe ferunt verba , ſed etiam in ſenſu a maximis illis Doctoribus intento , atque hinc quominus de librorum ſenſu judicare Sedes ipſa poſsit ; alioquin ſplendida illa elogia ad rem non facerent. At vero loquens ille paulo antea de ſenſu, in quo Janſenii propoſitiones ab eadem Apoſtolica Sede damnatæ ſunt , non ſolum negat , mentem fuiſſe Innocentii X. eas proſcribere , *in ſenſu Janſenii* ; verum etiam affirmat , contrariam Alexandri VII. declarationem cum reverentia quidem eſſe excipiendam , at non ita ut in diſcernendis Auctorum ſenſibus Eccleſiam errare non poſſe , credatur. En illius verba , ne tanto Viro ipſe imponere videar. Sermonem itaque habens ille de quinque Janſenii propoſitionibus , ſibique objiciens , *Janſenium nunquam aliud* in illis *intendiſſe* , *nec intelligi voluiſſe* , *quam doctrinam gratiæ per ſe efficacis* , reſpondet , *certiſsimum eſſe* , *gratiæ* per ſe efficacis *ſenſum eſſe catholicum* , *& orthodoxum* , *nec illi Conſtitutione ſua præjudicium ullum inferre velle* , *vivo vocis oraculo* Innocentius *declaravit* , *confirmavit diplomatis ſuis* Alexander VII. , *& ipſe P. Annatus ſupra relatus* , *hujuſque cauſæ præcipuus actor* , *ac totius negotii teſtis oculatus* , *non diffitetur. An illum dumtaxat intenderit Janſenius* , *vel alium* , *non declaravit* (inquit ille) Inno-

(415) Ibidem *elog.* 2. pag. 689. *edit. Venetæ* 1727.

Digitized by Google

Innocentius, *ſed quinque propoſitiones in ſuo naturali, quem præ ſe ferunt ſenſu, a Galliarum Epiſcopis ſibi oblatas, ſuoque judicio ſuppoſitas, hæreticas declaravit. An reipſa unum illum gratiæ* per ſe efficacis *ſenſum obtenderit, eſt* quæſtio facti, *de quo nihil* Innocentius, *ſolius* juris *determinatione contentus. Ipſe tamen* Alexander *declarat, propoſitiones* in ipſo Janſenii ſenſu *fuiſſe damnatas: quæ deciſio omni, qua par eſt*, reverentia *excipienda eſt; quia* prudenter, *illum fuiſſe Janſenii ſenſum, Pontifex arbitratus eſt, quem verba ipſa in ſuo naturali ſenſu indicant; cum oratio ſit mentis interpres, & interioris animi ſenſus manifeſtatio. Quin etſi ex alicujus authoris contextu, vel collatis prolixi operis ſententiis poſsit alius ſenſus erui, non tenentur Pontifices, non tenetur Eccleſia illa omnia inquirere; quia ſolis Sacris Litteris, ſolis Sanctorum Patrum dictis hanc debet reverentiam, ut obſcura, & difficilia eorum verba, inquiſitis reconditis eorum ſenſibus, explicet, piiſque interpretamentis exponat; alia vero filiorum ſuorum, vel quorumvis authorum aſſerta, prout ſonant, judicare, & ſi in naturali, & ultro ſe ingerente ſenſu erronea ſint, & a veritate aliena, ea ſine cunctatione proſcribere, ſine diſtinctione damnare poteſt. Cum ergo ille propoſitionum quinarius inveniatur regulis fidei adverſus, & a Patribus, & Conciliis prædamnatus, potuit, & debuit ab Eccleſiæ Capitibus ſimpliciter cenſura inuri, & erroribus accenſeri; nec tenebantur inquirere, an in operis prolixi decurſu ſolius gratiæ* per ſe efficacis *ſenſum author intenderit; quia quemcunque ſenſum alibi prætenderit, ſatis eſt, ut damnetur, quod ea ſimpliciter affirmet, quæ in connaturali, & aperto ſenſu inveniuntur a fide aliena. An autem*

Digitized by Google

Eccleſia in exprimendis , diſcernendiſque authoris ſenſibus poſsit errare , idem dicendum eſt , quod de quæſtionibus facti dici ſolet, *nimirum non eſſe neceſſe , omne Pontificum , & Conciliorum judicium de quacunque re , etiam ex informatione factorum , & circumſtantiarum pendente , ſine delectu defendere ; quia hoc non eſt* (ait ille) *Eccleſiæ , & Sedis Apoſtolicæ authoritatem fovere , ſed labefactare , & hæreticorum ludibrio, & ſannis exponere. Neque enim* (ita ille rem claudit) *adulatione noſtra eget Petrus , Petrique ſucceſſor ; & prima Sedes veris cumulata prærogativis , falſis non indiget* (416). Hactenus P. Contenſonus. Verum rectene, an perperam , ex dictis ſatis cuique manifeſtum eſſe puto. Unum dumtaxat, ut initio monui , ſcire vellem a tam docto Viro , quid nempe ipſe diceret, ſi quis, auditis elogiis , quibus doctrina SS. Auguſtini , & Thomæ a Summis Pontificibus , ipſo referente , cumulatur, non aliud reſponderet, niſi quod ipſe hoc loco habet , nempe *idem de illis dicendum eſſe , quod de quæſtionibus facti dici ſolet ; nimirum non eſſe neceſſe , omne Pontificum , & Conciliorum judicium &c.* Itaque , ut huic rei finem imponam , *nihil eſt* , mea quoque ſententia, *quod tergiverſationes , ambages verborum , exceptiones, & reſtrictiones quæramus in improbandis quinque propoſitionibus* in ſenſu a Janſenio intento , *hoc eſt* , *in ſenſu obvio , quem inferunt quinque propoſitiones , & quem Eccleſia certo novit exhiberi in verbis , in phraſibus , totoque contextu libri illius , cui titulus* : Auguſtinus Cornelii Janſenii , *quidquid ſit de interna ipſius Janſenii mente atque intentione. Tam ſolemnibus decretis nemo jam repugnantem ſe prodit , qui & diſciplinæ,* Eccle-

(416) Loco citato *Diſſert. 6. §. 5. pag. 685.*

Digitized by Google

Eccleſiaſticæ ordinem, *& Eccleſiæ pacem ſerio amet. Nemo*, *qui pie ſapiat*, *fidelibus piæ matris oculis* extollentiam oculorum ſuorum *opponit*, *ſed ſuum demittit intellectum*, *ſibi pie perſuadens*, *ne heic quidem a Deo deſeri ſuæ ſponſæ oculos in commune filiorum bonum*, *& quietem intentos* (417).

SCHOLION IV.

179. Si ille demum eſt, ut eſt profecto, *Janſenianus* quinque propoſitionum *ſenſus*, quem illæ exhibent, ſi ad principium duarum delectationum *relative* invincibilium, tamquam ad ſuum fontem, referantur; dubium nemini eſſe poteſt, quominus, ut recte habet Cl. P. Aſſermet (418), *nonniſi vanum erroris ſimulacrum*, *ac phantaſma*, *a mente Janſenii alienum*, *eos nobis exhibuiſſe*, & etiamnum, bona illorum venia, exhibere, qui alium, utique falſum, & hæreticum earundem ſenſum nobis tradunt, in eoque uno & intellectas fuiſſe a Janſenio, & ab Eccleſia fuiſſe atro carbone notatas, ſuadere nituntur. Hi ſiquidem, velint, nolint, demonſtrent, neceſſe eſt, vel Janſenium repudiaſſe principium, quod auro cedroque dignum cenſuit; vel eum illarum propoſitionum ſenſum, quem ipſæ habent, *relative* ad illud principium intellectæ, non eſſe hæreticum. Si namque concedatur, quinque propoſitiones, intellectas hoc ſenſu, eſſe hæreticas; neque Janſenium illud principium, dum eas docuit, re-

P 3 pu-

(417) Auctor *Prolegomen.* in Leſcium Crondermum cap. 2. n. 13.

(418) Tract. *de divina Gratia*. P. 3. cap. 1. q. 5. ad *concl.* 5. pag. 621. edit. Pariſiis 1715.

Digitized by Google

pudiaſſe; dandum quoque eſt, alium erroneum, & falſum earundem ſenſum purum putumque eſſe *phantaſma*, vanumque erroris ſimulacrum, ab Janſenii mente prorſus alienum, eamque ob cauſam excogitatum, ut ſuadeatur incautis, vel quinque propoſitiones damnatas non eſſe ab Eccleſia in ſenſu ab Janſenio intento, vel Eccleſiam, in hoc ſenſu eas damnando, erraſſe.

OBSERVATIO II.

180. Admitti, uti verum, non poteſt Janſenianum principium duarum indeliberatarum delectationum pro *graduum ſuperioritate* invincibilium, niſi *quinque* itidem ejuſdem Janſenii *propoſitiones*, & quidem eo ſenſu intellectæ, quo ab illo traditæ ſunt, & ab Eccleſia proſcriptæ, tamquam veræ admittantur. Oſtenſum eſt enim, eas omnes adeo neceſſario cum illo principio connexas eſſe, tantaque evidentia ex illo deduci, ut eas negare, ipſo principio conceſſo, perinde omnino ſit, ac data cauſa neceſſaria, illius negare effectum. *Quando concluſiones*, inquit Cl. Tournely, *nexu plane neceſſario ex ſuo principio ſequuntur, vel deſerendum eſt principium, vel admittendæ concluſiones; & qui, priori retento, iſtas negat, ſimilis eſt illi, qui truncum, & radicem arboris ſervaret, & ramos inde pullulare nollet* (419).

SCHO-

(419) Prælect. Theol. *de Gratia Chriſti* q. 3.

Digitized by Google

SCHOLION I.

181. Rem ita eſſe, affirmant, ut præteream alios, duo Viri doctiſsimi, & ; ſi qui alii, a Molinæ doctrina alieniſsimi, ſcilicet P. Graveſon, & P. Berti. Præmiſſo ſiquidem Janſenii principio, quod nempe humana voluntas per *delectationes indeliberatas* cœleſtis gratiæ, & carnalis cupiditatis, *alternatim rapiatur neceſſario ad bonum, vel ad malum*, ait Cl. P. Graveſon, *ex hoc infeſto principio* Janſenium, ejuſque diſcipulos *has erroneas deducere conſecutiones, quæ cum* peſtilenti *illo principio doctrinæ ſuæ* arctiſsimo vinculo, *ac* nexu *colligatæ cohærent. Ajunt enim*, inquit ille, Janſeniani, utique cum ipſo Janſenio, *hominem in ſtatu naturæ lapſæ* gratia per ſe efficaci *deſtitutum, ſeu, ut loquuntur Janſeniſtæ, hominem in ſtatu naturæ lapſæ privatum* indeliberata cœleſti delectatione, *gradibus cupiditatis ſuperiori, non habere* veram, completam, & proximam potentiam *bene agendi. Docent, omnes gratias in ſtatu naturæ lapſæ eſſe* per ſe, & ex natura ſua efficaces, & *nullas in hoc ſtatu admittunt* gratias ſufficientes, *quibus vere reſiſti poſsit. Pertendunt mordicus, præcepta Dei in ſtatu naturæ lapſæ his, quibus deeſt* gratia per ſe efficax, *ſeu ut intelligunt Janſeniſtæ, his, quibus deeſt* cœleſtis indeliberata delectatio, *gradibus terrenæ delectationis concupiſcentiæ* ſuperior, *præcepta Dei eſſe* impoſsibilia, & *tamen illorum tranſgreſsionem eis juſte imputari. Aſſerunt inſuper*, libertatem *hominis in ſtatu naturæ lapſæ ſtare cum* neceſsitate, & *ad merendum, & demerendum non requiri* libertatem a neceſsitate, *ſed ſufficere* libertatem a coactione. *Denique*

Janſenius, *ejuſque diſcipuli ex hoc doctrinæ ſuæ principio inferunt*, *Deum non habere ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ*, *nec eis ullo pacto præparare* gratias ſufficientes, *quibus poſſint ſalutem æternam adipiſci*; *nec Chriſtum Dominum mortuum eſſe*, *& ſanguinem fudiſſe pro ſalute reproborum*, *ſed tantum pro ſalute æterna electorum*, *ac prædeſtinatorum* (420). Tum non multo poſt idipſum repetens Vir doctiſsimus; *has*, inquit, *conſecutiones*, *velint*, *nolint*, *admittere debent Janſenii diſcipuli*, *quia prædictæ conſecutiones ex doctrinæ principio*, *quod poſt Janſenium ſtatuunt*, *mordicuſque defendunt*, nexu *plane* neceſſario *ſequuntur* (421); videlicet *cum hoc principio* neceſſariam, *&* individuam connexionem *habent* quinque *Janſenii* propoſitiones *jure optimo ab Eccleſia proſcriptæ* (422). Et infra: *Hoc doctrinæ Janſenii principium de* indeliberata, *ſive* cœleſti, *ſive* terrena delectatione, *quæ* relative victrix *eſt*, *exterminat omnino* liberum *hominis* arbitrium, *& invehit inevitabilem neceſſitatem*; ſubindeque *cum illo Janſenii principio* neceſſariam connexionem *habent* quinque *famoſæ* propoſitiones, *quæ ſicut conſecutiones*, neceſſario fluxu *ex illo conſequuntur* (423). Verum enimvero dixiſſe nequaquam contentus Cl. P. Graveſon, ex Janſeniano principio duarum delectationum pro *graduum ſuperioritate* invincibilium neceſſario oriri *quinque* damnatas *propoſitiones*, demonſtrandum alio loco aſſumit, & reipſa demonſtrat, *capitalem hunc Janſenii errorem degra-*

(420) Claſſ. 1. Epiſt. 1. pag. 9.
(421) Ibidem pag. 13.
(422) Ibidem.
(423) Ibidem pag. 14.

Digitized by Google

gratiæ efficacis delectatione relative, *ſeu* per gradus *victrice, ac ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione, fuiſſe jure optimo ab Eccleſia proſcriptum, tamquam* virulentum principium, *ex quo* fluunt *quinque damnatæ Janſenii propoſitiones* (424). Oſtendit itaque, *ex hoc Janſenii principio ſponte fluere* primam Janſenii propoſitionem, nempe Deum jubere impoſſibilia (425). Demonſtrat, ſecundam propoſitionem, videlicet interiori gratiæ nunquam in hoc lapſæ naturæ ſtatu reſiſti, *profluere itidem, & quaſi pro re nata erumpere ex iſto Janſenianæ doctrinæ principio, baſi, ac fundamento*, eamque cum illo *intime eſſe connexam* (426). Evincit, tertiam propoſitionem, quod nimirum ſola libertas a coactione ad merendum, & demerendum modo ſufficiat, *arctiſsimo vinculo connecti cum doctrinæ Janſenianæ principio de delectatione ſuperiori, & relative victrice, imo nullibi*, ejus ſententia, *clarius eluceſcere hanc connexionem, quam in hac tertia Janſenii damnata propoſitione*; unde connexionem hanc vocat *arctiſſimam* (427). Demonſtrat, quartam propoſitionem *ſequi plane ex palmari Janſenianæ doctrinæ principio de delectatione ſuperiori, & relative victrice* (428); ac demum quintam de morte Chriſti pro ſolis prædeſtinatis oſtendit *intimo pariter nexu cohærere cum Janſenii ſyſtemate duplicis delectationis, cujus quæ inferior eſt, alteri neceſſario cedere debet* (429). Tum ita rem clau-

(424) Claſſ. 2. Epiſt. 6. pag. 123.
(425) Ibidem.
(426) Ibidem pag. 124.
(427) Ibidem pag. 124. & 125.
(428) Ibidem pag. 125.
(429) Ibidem pag. 126.

Digitized by Google

claudit : *Hactenus*, inquit, *ſat liquido, ni mea fallat mens, probavi, quinque famoſas Janſenii propoſitiones, ab Eccleſia confixas*, ſponte, & *quaſi* pro re-nata *effluere ex illo erroneo Janſenianæ doctrinæ principio de indeliberata cœleſti delectatione* ſuperiori, & relative victrice, *in qua Janſenius totam* vim, & efficaciam *gratiæ reponit, indeque recte ſequi, ſyſtema Janſenii, gratiæ* efficaciam *in hac* indeliberata delectatione ſuperiori, & relative victrice, *ac neceſsitante reponentis, fuiſſe jure ac merito a Catholica Eccleſia reprobatum ac proſcriptum* (430). Addit præterea Vir ille Cl., *hæreticum Janſenianæ doctrinæ ſyſtema, totum quantum eſt, revocari ad* unam indeliberatam delectationem ſuperiorem, & relative victricem, *in qua Janſenius* gratiam efficacem *collocat. Hæc enim* delectatio ſuperior, & per gradus relative victrix (*ſicut*, inquit ipſe, *ſæpius inculcavi*) *eſt* primum, *ac* unicum principium, *in quod collineat immenſum Janſenii volumen. Hæc* origo *eſt*, & radix, *unde, veluti a fonte fluvii, quinque propoſitiones* neceſſario, & indiſſolubili nexu *inter ſe connexæ dimanant, quas ipſe Janſenius, velut* totidem concluſiones, *a ſuo principio* indivulſas, *derivavit* (431). Hæc Cl. P. Graveſon. Ita vero Cl. P. Berti. Fatetur in primis, conſtare, *ex principio duarum delectationum invincibilium, tamquam ex* radice, *fluere alios fere omnes Janſenii errores, ac præſertim quinque ab* Innocentio X. *damnatæ propoſitiones* (432). Alio autem loco, *Janſenianum*, inquit, *duplicis delectationis*

(430) Ibidem pag. 126.
(431) Ibidem.
(432) P. 2. *Apolog.* Diſſ. 4. cap. 1. §. 8. n. 14.

nis ſyſtema eſt , utramque delectationem ſpiritus , *&* carnis *ita invicem pugnare , ut earum conflictus nequeat ſopiri, niſi altera alteram ſuperaverit: quæ autem victrix eſt, habeat voluntatem ſibi* neceſsitate invincibili *obſequentem , nec alia ratione liberam , niſi quia* non cogitur, *ſed vult, atque trabitur voluptate; quæ vero minor eſt gradibus*, veræ poteſtatis *agendi ſit expers.* Quare *in hoc Janſeniano ſyſtemate juſtis, etiam conantibus , & volentibus , ſi deſit illis victrix delectatio, & gratia efficax*, impoſsibile *eſt , divina obſervare præcepta , &* neceſſum *eſſe a juſtitia deflectere. Nulla eſt etiam in eo ſyſtemate* gratia ſufficiens, *cui voluntas reſiſtat ; quoniam ſi concupiſcentiæ ſancta delectatio prævaleat , voluntas* neceſsitate *obtemperat gratiæ ; ſi autem prævaleat concupiſcentia , caret voluntas ea gratia, cui valeat obtemperare. Quum vero, præponderante ſancta delectatione , bonum* ex neceſsitate *operemur , & premente robuſtiori cupiditate , in ipſo Janſenii ſyſtemate operemur* ex neceſsitate *malum , nequit in hoc ſtatu, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, admitti* libertas indifferentiæ, *ſeu* poteſtas agendi, *&* non agendi *his omnibus poſitis , quæ requiruntur ad opus ; ideoque hæc libertas* minime neceſſaria *eſt ad merendum , vel demerendum ; ac , videtur eſſe commentum* Semipelagianorum, *qui, rejecta delectatione victrici, auxilium indifferens ad omnia bona opera, etiam ad fidei initia admittebant. Quibus demum denegatur* victrix, *&* invincibilis gratia, *bene agere , & perſeverare non poſſunt ; neque eorum ſalutem vult Deus, qui illis hanc gratiam denegat, quam ut obtinerent , Chriſtus mortuus pro* ſolis electis , *nec oravit,*

nec

nec ſanguinem fudit , *nec pretium obtulit redemptionis* (433). Purum itaque, putumque, ut nonnulli contendunt, Moliniſtarum figmentum non eſt, *quinque* famoſas Janſenii *propoſitiones* ex principio duarum delectationum *relative* invincibilium adeo neceſſario provenire, ut, illo poſito, ipſæ negari nullatenus poſſint.

SCHOLION II.

181. Quod modo dixi de *quinque propoſitionibus*, de reliquis itidem *conſectariis*, quæ ex eodem Janſeniano duarum delectationum principio derivavi, velim intelligatur: videlicet ea quoque omnia neceſſario admitti debere, ſi principium illud pro vero habitum fuerit, atque conceſſum. Et illa ſiquidem eadem prorſus evidentia, qua ipſæ propoſitiones, ex eo principio, ut cuique facile conſtabit, qui rem attento animo conſiderare voluerit, deducuntur.

SCHOLION III.

183. Hæc porro cum ita ſint, ambiget nemo, quominus Janſenianum principium duarum delectationum pro *graduum ſuperioritate* invincibilium fuerit *jure ac merito*, quemadmodum ait Cl. P. Graveſon, *a Catholica Eccleſia reprobatum ac proſcriptum* (434), *altrimenti*, ut egregie obſervat Emin. Card. Beſutius, *la Chieſa avrebbe reciſi i rami* (quinque ſcilicet Janſenii propoſitiones cenſorio ſtimate configendo) *e laſciata in-*

(433) Ibidem cap. 2. §. 5. in fine.
(434) Claſſ. 2. Epiſt. 6. pag. 126.

Digitized by Google

intatta la radice del male contra ogni regola di buon governo (435). Itaque

COROLLARIUM.

184. *Ad penitus declinandam Janſeniſmi notam, ſatis non eſt, ut quinque Janſenii propoſitiones, tamquam omnino falſæ, proſcribantur, ſed neceſſario præterea requiritur, ut etiam Janſenianum principium duarum delectationum relative invincibilium palam aperteque rejiciatur.* Hoc ſiquidem principio admiſſo, neceſſe eſt, ut etiam quinque memoratæ Janſenii propoſitiones, & quidem eo in ſenſu, quo & ab ipſomet Janſenio traditæ ſunt, & ab Eccleſia proſcriptæ, concedantur. *Quoties enim aliqua erronea concluſio*, inquit Cl. Tournely, *per neceſſariam, & intimam connexionem ex certo principio deducitur, non tantum concluſio, ſed & ipſum principium, unde neceſſario fluit, negari debet, niſi clare demonſtretur, male ac diſtorte concluſionem illam a principio derivari, nec ullam cum eo habere connexionem* (436). Oportet igitur, quemadmodum optime monet, recteque concludit Cl. P. Graveſon, *aut iſtud infeſtum Janſenii principium penitus repudietur, aut iſtæ admittantur conſecutiones*; *alioquin*, inquit ille, *ſi quis, retento principio, illas negaret; ſimilis eſſet illi, qui truncum, & radicem arboris ſervaret, & ramos inde pullulare nollet, quod ſane abſurdum, & ridiculum eſſet* (437).

OBSER-

(435) Apud P.Berti P.2. *Apolog.* Diſſert.4. c.2.§.6.n.2.
(436) Prælect. Theol. *de Gratia Chriſti* q. 9. art. 2. *ad object.* 7.
(437) Claſſ. 1. Epiſt. 1. pag. 14.

OBSERVATIO III.

185. *Quinque* Janſenii *propoſitiones* oriuntur quidem ex famoſo illius principio duarum delectationum *relative* invincibilium; verum non ita, ut ex illo uno ipſæ proveniant. Velint quippe, nolint, eas quoque omnes admittere debent ii, qui contendunt, nullam in hoc lapſæ naturæ ſtatu dari gratiam mere *ſufficientem*, ſed omnem prorſus ita eſſe *efficacem*, ut eum ſemper totum, quem poteſt, & propter quem nobis datur, effectum obtineat; quique ajunt inſuper, omnem interiorem gratiam adeo neceſſario determinare voluntatem ad bene operandum, ut licet ipſam non cogat, nempe non efficiat, ut voluntas operetur invita, fieri tamen nullatenus poſsit, quin voluntas ipſa interiori gratiæ motioni reapſe conſentiat. Sane, ſi res penitius inſpiciatur, non dubito fore, ut quiſque videat, *quinque* Janſenii *propoſitiones* eatenus fluere ex illo principio, quatenus ex ipſo ſequitur, nullam dari gratiam vere *ſufficientem*, quæ non ſit *efficax*, & omnem *gratiam efficacem* indeclinabilem bene operandi neceſsitatem inferre voluntati. Verum ne pigeat, in hac re demonſtranda aliquantulum immorari.

I.

188. Rejecta itaque *gratia* pure *ſufficienti*, & ſola *efficaci* admiſſa, detur neceſſe eſt I. *divina mandata iis omnibus, qui illa tranſgrediuntur, eſſe obſervatu impoſſibilia*. II. *interiori gratiæ in hoc lapſæ naturæ ſtatu nunquam reſiſti*. III. *Chriſtum Dominum non pro omnibus*,

Digitized by Google

bus, *ſed pro iis tantum*, *qui prædeſtinati ſunt*, *mortem ſubiiſſe*. Qui namque divina mandata transgrediuntur, certum eſt, carere *gratia efficaci*; cumque hæc ſola detur, relinquitur, tunc omnem illis deeſſe gratiam; atque hinc eos exequi divina mandata tunc nequaquam poſſe. Similiter ſi ſola detur *gratia efficax*, ſicuti nunquam huic reſiſtitur, ita nunquam reſiſti interiori gratiæ manifeſtum eſt. Poſtremo, cum ſolis prædeſtinatis *efficaces gratias* Chriſtus morte ſua obtinuerit (hi namque ſoli ſalvantur) ſi nulla alia præter *efficacem* detur gratia, illis dumtaxat gratiam, qua ſalvari poſsint, obtinuit. Ergo pro illis tantum mortuus Chriſtus eſt, ſuumque ſanguinem fudit.

II.

187. Quod ſi *gratia efficax* neceſsitatem bene operandi voluntati inferre dicatur, concedere profecto vel inviti debemus I. *ad merendum*, *& demerendum in hoc lapſæ naturæ ſtatu non requiri libertatem a neceſsitate*, *ſed ſufficere libertatem a coactione*. II. *voluntatem noſtram interiori gratiæ haud poſſe reſiſtere*. Qui namque bene operantur, certum eſt, admiſſa illa *gratiæ efficacis* vi & energia, non agere libere libertate *a neceſsitate*, ſed tantum *a coactione*. Igitur, vel eos minime tunc mereri, dicendum eſt, vel demus oportet, in iis etiam illos mereri, quæ, licet non coacti, neceſſario tamen operantur; cumque contrariorum eadem ſit ratio, etiam ad demerendum ſolam ſufficere libertatem *a coactione*, concedendum eſt. Similiter ſi omnis interior Chriſti gratia ſit *efficax*, & *gratia efficax* tantæ ſit virtutis, ut voluntatem ad bene operandum *neceſ-*

ſa-

Digitized by Google

ſario, non tamen *coacte*, determinet, quis non videt, fore hinc, ut voluntas ipſa haud poſsit in hoc lapſæ naturæ ſtatu interiori gratiæ reſiſtere? Pugnantia enim ſunt, poſſe voluntatem interiori gratiæ reſiſtere, & voluntatem ipſam neceſſario indeclinabili neceſsitate ad bene operandum ab illa determinari. Quinque igitur Janſenii propoſitiones admittendæ ſunt, tamquam veræ, non tantum ab iis, qui cum illo tenent principium duarum delectationum pro *graduum ſuperioritate* invincibilium, verum ab iis etiam, qui, rejecta omni gratia pure *ſufficienti*, ſolam *efficacem* admittunt, eamque etiam tantæ virtutis, ut voluntatem quidem ad bene operandum non cogat, verum adeo neceſſario ipſam determinet, ut non agere, quod juſtum eſt, illa nequaquam poſsit.

OBSERVATIO IV.

188. Quamvis certo certius ſit, quemadmodum demonſtravimus, non *moralem*, ſed *veram*, *realem*, & *phyſicam neceſsitatem* intellexiſſe Janſenium, cum neceſſarium eſſe dixit, ut ſecundum id operemur, quod amplius nos delectat; videtur tamen ad declinandam (abſit verbo invidia) Janſeniſmi notam nequaquam ſufficere, ut famoſum illud principium de *morali* dumtaxat *neceſsitate* intelligatur, ſumta *morali neceſsitate* non pro ea, quæ etſi raro, aliquando tamen fallit; ſed pro illa, quæ *certo* & *infallibiliter* ſuum *ſemper* infert, obtinetque effectum.

Enim vero in primis videtur, moralem neceſsitatem hoc ſenſu intellectam, non *re*, ſed *nomine* tantum a *phyſica* diſtingui. Siquidem cum *moralis neceſsi-*

tas

tas operandi ſecundum vividiorem delectationem reapſe non differat a *phyſica difficultate*, quam experitur, quamque ſuperare debet voluntas, ne vividiori delectationi conſentiat, *moralis neceſsitas* operandi ſecundum vividiorem delectationem nequit eſſe hujuſmodi ut nunquam fallat, niſi phyſica illa difficultas tanta quoque ſit, quanta poteſt eſſe maxima: neque enim ejuſmodi eſſe poteſt illa *neceſsitas*, quæ nunquam fallat, niſi illa *difficultas* tanta itidem ſit, quæ nec ſuperetur unquam, nec unquam ſit ſuperanda, niſi ad ſummum gradum jam ipſa pervenerit, quod nempe ea proportione *intenſive* illa creſcat, qua numerus minuitur caſuum in quibus ipſa ſuperatur. Phyſica autem *difficultas* non operandi, in phyſicam operandi *neceſsitatem* degenerat, cum illa evadit tanta, quanta poteſt eſſe ſumma. Sicuti enim *habitus*, quo magis creſcit accedit ad *naturam*, adeo nimirum, ut tandem in naturam tranſeat, ſeu ut vulgo dicitur, fiat veluti *altera natura*: ita quo major fit *difficultas phyſica* non operandi, eo magis ad ipſam *phyſicam neceſsitatem* accedit, ita nempe ut *ſumma* non operandi *difficultas* dici veriſsime poſsit *phyſica operandi neceſsitas*, & vicisſim phyſica neceſsitas operandi, *difficultas* ſumma non operandi poſsit rectiſsime nuncupari. Confirmatur: ideo hujuſmodi difficultas nunquam fuit ſuperata, nec deinceps ſuperabitur, quia a cœleſti vel carnali venit delectatione *ſuperiori*. Si hoc negetur, concedendum erit voluntatem ex æquo fore pro arbitrio ſuo operaturam, quando vel ſub æqualibus delectationibus ſit, cœleſti nimirum & terrena, quo ſuppoſito jam duarum delectationum ſyſtema ruere neceſſe eſt ut conſideranti patet. Jam vero cum homo delectationem illam reddere

Q in-

inferiorem minime poſsit, conſequens eſt, ut neque illam difficultatem valeat ſuperare: indeque cum delectatio non *moraliter* gradibus ſuperior ſit, ſed *phyſice*, illa quoque impotentia quæ inde oritur, non *moralis*, ſed *phyſica* jure ac merito debet nuncupari. Quis enim a delectatione non *moraliter*, ſed *phyſice* ſuperiori poterit rationabiliter *moralem* non *phyſicam* operandi neceſsitatem, vel *moralem*, non *phyſicam* reſiſtendi impotentiam derivari? Ille unus ſane, qui in verborum delectetur colluſione. Ergo *moralis neceſsitas* operandi, quæ nunquam fallat, a *phyſica* operandi *neceſsitate* diverſa reapſe non eſt; ac proinde dici non poteſt, voluntatem noſtram ea neceſsitate obſequi vividiori delectationi, quæ *certo* & *infallibiliter* ſuum *ſemper* effectum obtineat, quin, neceſſario *neceſsitate phyſica*, voluntatem ipſam ſecundum vividiorem delectationem operari, itidem concedatur. Præterea tanta nequit eſſe illa operandi neceſsitas, quæ nunquam fallat, niſi ex horum alterutro ipſa proveniat; nimirum vel ex eo quia voluntas, dum ſub vividiore delectatione eſt, revera careat *potentia phyſica* operandi: vel ex eo quia illa potentia ita ſit a vividiore delectatione ligata, ut exerceri ab ipſa voluntate non amplius poſsit. Cur enim voluntas nunquam velit, neque volitura unquam ſit vividiori delectationi non obſequi, ſi expeditam non volendi potentiam habeat? Cuinam voluntatis bono inſervit illa non operandi expedita potentia, ſi nunquam prorſus ad actum reducenda eſt? Nihil certe fruſtra fingi in mundo poſſet, ſi ejuſmodi potentia in voluntate non ſit fruſtranea; illudque famoſum *rationis ſufficientis* principium omnino corrueret, ſi expeditam potentiam non obſequendi vividiori delectationi in vo-

lun-

Digitized by Google

luntate admittamus, quamvis nunquam fuerit, nec unquam futurus ſit caſus, in quo voluntas ipſa delectationi vividori reapſe non conſentiat. Jam vero ſive dicatur, voluntatem noſtram, dum ſub vividiore delectatione eſt, carere *potentia phyſica* non operandi; ſive ponatur, potentiam hanc voluntatis ita eſſe a vividiore delectatione ligatam, ut exerceri ab ipſa voluntate nullatenus poſſit, ſtat ex æquo, voluntatem ipſam neceſſario, *neceſſitate* non *morali*, ſed *phyſica*, ſecundum id, quod magis ipſam delectat, operari. Non minus quippe neceſſario, *neceſſitate phyſica*, manet immotum, quod *phyſica* ſeſe movendi *potentia* deſtitutum eſt, quam quod eam habet ita ligatam, ut ſuum in actum exire ipſa non poſſit. Ergo neceſſitas, cui ſubjecta ponitur voluntas, obſequendi vividiori delectationi, nequit eſſe tanta, quæ nunquam fallat, niſi non *moralis*, ſed *vera*, *realis*, & phyſica ipſa ſit.

Rationi porro valida accedit auctoritas. Concedunt enim ipſimet Janſenii fautores, perinde omnino eſſe ad illius ſyſtema propugnandum, ſive *phyſice*, ſive *moraliter* neceſſarium eſſe ponatur, ut ſecundum vividiorem *indeliberatam* delectationem voluntas noſtra operetur, modo ratum fixumque maneat: I. hanc neceſſitatem oriri ex ipſa delectatione, quatenus ſuam contrariam ſuperat. II. illam neceſſitatem eſſe hujuſmodi, quæ nunquam fallat. *Infallibilem dominantis in corde amoris effectum, quis vetet*, inquit Vendrokius, *etiam phyſicum appellare? Nec vero*, pergit ille, *ut etiam* moralem *appelles, dummodo hoc modo nihil effectus infallibilitati deroges* (438). Tenet Dionyſius Raymundus, *in doctrina Janſenii ardentiorem cupiditatem*

 non-

(438) Dial. in Epiſt. 18. Montaltii.

nonniſi moraliter *determinare voluntatem ad malum* (439). Audaciſsimus quoque Janſenii Defenſor D. de Vvitte, *hæc*, inquit, *juſtitiæ in damnata Adami ſtyrpe impoſsibilitas, atque ad reſiſtendum peccato languor*, & imbecillitas, *vera & propria* (*phyſica* nimirum) *juſtitiæ impoſsibilitas, aut ad peccandum neceſsitas dici non poteſt*, *nec debet* (440). *Vides ergo*, ut Cl. Viri de catholica doctrina optime meriti Tournely verbis utar, *quam bene palato Janſenianorum ſapiat infallibilitas illa* moralis, *quæ delectando operatur*, *quamque parum interſit*, *utrum phyſica*, *vel moralis illa dicatur*, *modo iſtud ſtet inconcuſſum*, *hujuſmodi infallibilitatis effectum oriri ex delectatione ſuperiori* (441)?

Demum ſi æquo, attentoque animo *ea conſectaria* conſiderare, & ſanctuarii lance librare velimus, quæ neceſſario admittenda ſunt, ſi detur, nonniſi *moraliter* eſſe *impoſsibile*, hoc eſt, non eſſe niſi *apprime difficile*, ut voluntas noſtra ſecundum vividiorem delectationem non operetur, neminem catholicorum ſpero fore, cui plurimum negotii non faceſſat. Patebit quippe, hoc admiſſo principio, eo nos vel invitos cogi, ut dicamus, multa nobis in Evangelio præcipi, multaque prohiberi, quæ licet *phyſice impoſsibilia* obſervatu non ſint, plerumque tamen ſunt nobis adeo difficilia, ut ſine difficultate nunquam ſuperanda neque impleri a nobis valeant, neque vitari; & ideo Chriſti jugum, ſecus plane ac ipſe Chriſtus veriſsime dixit (442), ſuave neutiquam eſſe, nec onus ejus leve.

Re-

(439) Cap. 5. Paralleli.
(440) P. 1. Auguſtini Yprenſis vindicati cap. 16.
(441) Præle&. *de Gratia Chriſti* q. 9. art. 2. ad object. 7.
(442) Matth. cap. 11. v. 30.

Digitized by Google

Revera illius Syſtematis propugnatores admittere debent tamquam conſectaria, ea omnia quæ hic ſubjicio.

189. I. Eſſe moraliter impoſsibile, ut operemur, quod juſtum eſt, niſi tantum delectationis cœleſtis in nobis fuerit, quæ carnalem cupiditatem intenſive excedat: indeque dandum eſt

II. Sine gratia efficaci eſſe *moraliter impoſsibile*, ut bene agamus. Similiter

III. Vigente tentatione, nos *neceſſario morali neceſsitate*, peccaturos, niſi tantum delectationis cœleſtis in nobis tunc fuerit, quæ carnalem cupiditatem, qua in malum urgemur intenſive ſuperet, ac proinde

IV. Eſſe *moraliter impoſsibile* ſine gratia efficaci, ne, tentatione urgente, in peccatum labamur.

V. Eſſe *moraliter impoſsibile* ut is male agat, in quo delectatio cœleſtis terrenam ſuperat; & *viciſsim* ut is bene operetur, in quo delectatio terrena cœleſtem excedit; propterea

VI. Eſſe *moraliter impoſsibile*, ut is male agat, qui gratia efficaci donatus eſt; & *viciſsim*, ut is bene operetur, qui illa gratia caret.

VII. Tamdiu neceſſario *morali neceſsitate* nos in bono perſeveraturos, quamdiu delectatio cœleſtis in nobis prævaluerit terrenæ. At hæc moralis neceſsitas S. Ambroſio ignota penitus fuit; non enim rotundis verbis dixiſſet, *virginitatem martyres facere*, ſi neceſſario moraliter in virginitate perſeveraſſent, qui virgines fuere.

VIII. Nos tamdiu neceſſario, *morali neceſsitate*; in bono perſeveraturos, quamdiu in nobis erit gratia efficax; & *ex adverſo* tamdiu obſtinatos in malo nos eſſe futuros, quamdiu illa gratia nobis defuerit. *Moraliter* enim neceſſarium eſt in dato ſyſtemate, ut

 ſu-

Digitized by Google

ſuperiori delectationi obſequamur; ſicuti ex adverſo eſt moraliter impoſsibile, ut delectatione inferiori conſentiamus. Ulterius

IX. Quidquid modo agimus, neceſſario *morali neceſsitate* vel bonum eſſe, vel malum. Neceſſario enim ex cœleſti, aut ex terrena delectatione naſcitur.

X. Voluntatem noſtram neceſſario *morali neceſsitate* in omni actu ſuo peccare, niſi tanta in ea fuerit delectatio cœleſtis, quæ terrenam intenſive ſuperet. Quippe terrenæ delectationi in omni actu ſuo voluntas noſtra tunc obſequatur, *moraliter* neceſſe eſt. Unde ſequitur,

XI. Neceſſario, *morali neceſsitate*, voluntatem noſtram, ſi gratia efficaci deſtituta fuerit in omni actu ſuo peccare.

XII. *Neceſſario moraliter* nos, & quod juſtum, & quod injuſtum eſt, operari. Neceſſario enim, *morali neceſsitate*, vividiori delectationi ſecundum hoc ſyſtema obſequimur.

XIII. Voluntatem noſtram ſub gratia efficaci non eſſe liberam in operando libertate a neceſsitate morali; neceſſario nempe morali neceſsitate ſecundum ipſam ſemper & infallibiliter operatur.

XIV. Omnem interiorem gratiam Chriſti vel eſſe efficacem, vel moraliter inſufficientem. Cœleſtis enim delectatio, in qua gratia ſtatuitur, vel intenſive excedit delectationem terrenam, & tunc eſt *gratia efficax*; vel ab illa intenſive deficit, & tunc eſt gratia *moraliter inſufficiens*; cum nempe ſit *moraliter impoſsibile*, ut bene per illam operemur.

XV. Solam gratiam efficacem eſſe moraliter ſufficientem. Etenim nonniſi per illam *moraliter* poſsibile eſt ut bene agamus. Con-

Digitized by Google

XVI. Concedamus quoque, neceſſe eſt; præcepta Dei iis, qui illa tranſgrediuntur, eſſe obſervatu *moraliter impoſſibilia*. Qui enim Dei mandata non implent, ea carent delectatione cœleſti, quæ gradibus ſuperior ſit terrena; ac proinde ea gratia deſtituti ſunt ſine qua *moraliter impoſſibile* ipſis eſt ut divina mandata adimpleant. Quam terribilis ſit hæc moralis impoſſibilitas cum infallibilitate conjuncta, nemo non videt; quam grave reddatur in hoc ſyſtemate onus Chriſti, nemo non ſentit.

XVII. Nos interiori illi gratiæ nunquam reſiſtere, cui conſentire *moraliter* poſſibile nobis eſt. Perſpicuum eſt enim juxta hoc ſyſtema ei tantum delectationi nos poſſe *potentia morali* conſentire, quæ gradibus ſuis contrariam ſuperat. Huic autem nunquam reſiſtimus; alioquin neceſſarium non eſſet *morali neceſſitate*, quæ nunquam fallit, ut delectationi vividiori obſequamur; ergo interiori gratiæ, cui conſentire *moraliter* nobis *poſſibile* eſt, nunquam reſiſtimus. Hujuſce propterea ſyſtematis propugnatores oſtendere debent, quomodo ſecundam ipſi nequaquam admittant Janſenii damnatam propoſitionem, cum qualibet reſiſtentia in eorum ſyſtemate, non a voluntate humana, ſed a relative ſuperiori delectatione ſit repetenda.

XVIII. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem *a neceſſitate morali*. Cum enim hoc admiſſo ſyſtemate, neceſſario *neceſſitate morali* agamus ipſi, quidquid modo agimus tam boni, quam mali, in nullo, nec meremur modo, nec demeremur, ſi libertas a *neceſſitate morali* ad merendum & demerendum foret neceſſaria,

XIX. Omnem interiorem gratiam Chriſti vel eſſe

Digitized by Google

talem, cui moraliter non poſſumus obtemperare; vel talem, cui moraliter non poſſumus reſiſtere. Cœleſtis enim delectatio, in qua conſiſtit interior gratia Chriſti, vel major eſt carnali cupiditate, vel eſt ipſa cupiditate minor. Si major: cum neceſſarium ſit, ut illi obſequamur, liquet nos moraliter non poſſe illi reſiſtere. Si minor: cum ſit moraliter impoſsibile, ut illi conſentiamus, manifeſtè apparet, eidem nos minime poſſe potentia morali obtemperare; adeoque &c.

XX. Demus poſtremo neceſſe eſt, Chriſtum Dominum, non pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe, ſi pro iis mortuus ille fuiſſe dicatur, quibus auxilia ad vitam æternam comparandam *moraliter ſufficientia* ſua paſsione atque morte obtinuit. Cum enim hoc admiſſo ſyſtemate, ſola gratia efficax ſit *auxilium moraliter ſufficiens*, pro iis tantum Chriſtus Dominus mortuus eſt quibus gratiam efficacem obtinuit; & ideo cum ſolis prædeſtinatis hæc finaliter ab eo conferatur, pro illis tantum mortuum eſſe Chriſtum, dicamus oportet.

SCHOLION.

190. Mutato vocabulo *neceſsitatis*, & *impoſsibilitatis phyſicæ* in neceſsitatem & impoſsibilitatem moralem, eodem modo, iiſdemque verbis, quibus *Conſectaria* Janſeniani ſyſtematis oſtenſa ſunt, hæc itidem omnia facillime demonſtrantur; indeque, cum admiſſo principio duarum delectationum pro graduum ſuperioritate *moraliter* invincibilium, neceſſario concedenda ſint, dubium eſſe nequit, quin hoc principium rejici

a

Digitized by Google

a Viro Catholico debeat, ſi vel illa omnia, vel etiam aliqua dumtaxat nequeant tuta fide, ſalvaque religione defendi.

ANIMADVERSIO.

161. In ferendo de hiſce confectariis judicio velim præ oculis ſemper habeatur, *moralem neceſſitatem*, qua voluntas obſequi ponitur vividiori delectationi, eſſe tantam, quæ nunquam fallat; tantam quoque eſſe in ipſa voluntate *moralem impoſſibilitatem* operandi ſecundum delectationem debiliorem, ut *phyſica difficultas*, ex qua illa deſumitur, nunquam a voluntate ipſa ſuperetur, nec unquam ab illa ſuperanda ſit; & tandem præ oculis habeatur velim, ab hac *phyſica ſumma difficultate* nonniſi improprie *moralem neceſſitatem*, & *moralem* ex adverſo *impoſſibilitatem* derivari, indeque jure ac merito hujus ſyſtematis propugnatores criminari, utpote qui in verborum colluſione delectentur. Ac ne dicant, omnino gratis, hujuſmodi ipſis invidiam conflari, pro complemento hujuſce Animadverſionis, & primæ Partis, oſtendo breviſsime, colluſionem verborum revera fore, quando ajunt, voluntatem ſola gratia ſufficienti adjutam, abſque cœleſti relative ſuperiori delectatione, phyſice poſſe Dei mandatum implere, quamvis nunquam impleverit, nec impletura ſit. Et quoniam actuale mandatorum implementum voluntati ſine cœleſti ſuperiori delectatione nolunt concedere, eo quod juſtus tunc ſe diſcerneret ab injuſto, contra id quod Apoſtolus docuit, ac millies repetunt ipſi, *quis te diſcernit*? liceat ſic argumentari. Actu cooperari ſoli gratiæ ſufficienti, & Dei mandatum implere abſ-

Digitized by Google

abſque ſuperiori cœleſti delectatione, vel eſt ſe diſcernere, vel non eſt ſe diſcernere? Si eſt ſe diſcernere; ergo, cum ipſis fatentibus poſsit homo cooperari, poteſt & ſe diſcernere, vel ſi non poteſt ſe diſcernere abſque cœleſti ſuperiori delectatione, verbis ludunt, quando ajunt, voluntatem abſque ſuperiori cœleſti delectatione poſſe Dei mandatum implere. Si vero hominem actu cooperari gratiæ ſufficienti, & abſque ſuperiori cœleſti delectatione mandatum Dei implere, non eſt ſe diſcernere; ergo quamvis homo ſola gratia ſufficienti adjutus Dei mandatum actu impleret, neutiquam ſe diſcerneret eo ſenſu, quo Apoſtolus docuit non eſſe poſsibile. Si hujuſmodi arguendi modus neutiquam arridet, non ſperni ab erudito Viro debet, ſed confutari. Quippe ſi ſecus, nunquam ſane fiet, ut ſuadeant, immunes ſe eſſe ab omni Janſeniſmi ſuſpicione, qui *efficaciam* divinæ gratiæ ex ſuperioritate graduum relative ad carnalem cupiditatem derivant. Si quis vero dicat, myſteria hæc eſſe, quæ nec intelligi ab hominibus poſſunt, nec explicari: optime quidem dicit; at quoniam operibus contradicit, reponam, melius conſilium propterea fore, ſi nullum de gratia ſyſtema fidelibus proponatur, præter id quod ab Eccleſia eſt definitum. Enimvero *quod neque intelligi neque ſentiri poteſt, temerariam nimis, atque nugatoriam gignit opinionem* (443).

PARS

(443) S. Aug. Epiſt. 13. alias 218.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

JANSENII SYSTEMA DE MEDICINALI GRATIA CHRISTI

Theologice confutatur.

PROPOSITIO I.

Syſtema Janſenii manifeſte adverſatur Sacræ Scripturæ.

I.

292 DIVINÆ Scripturæ abſdubio adverſatur primo, hominem neceſſario *neceſſitate phyſica* agere modo quidquid agit, ſive boni, ſive mali, ita nempe ut non alia in illo ſit libertas, niſi a *coactione*: contrarium quippe in ea adeo certum perſpicuumque eſt, ut nonniſi a protervo negari poſsit. Primo etenim Cainum, qui irato animo ferebat, ſacrificia ſua non eſſe Deo grata, ſic Deus ipſe interpellat, iratumque demulcet: *quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub ea erit appe-*

ti-

titus ejus, & tu dominaberis illius (1). Concupiſcentia ergo, qua ad malum ſollicitamur, ita ſub noſtra eſt poteſtate, ut, divina gratia adjuti, eam compeſcere, ac refrænare poſsimus; atque hinc ita nobis eſt liberum male, & bene agere, operari, & non operari, ut neceſsitas nulla ſit, quæ nos ad alterutram partem indeclinabiliter determinet. Secundo: convocato univerſo populo, jubet Joſue, ut novo nexu ad alterutrum ſe ille adſtringat, ad cultum ſcilicet perpetuo ſervandum vel Dei Patrum ſuorum, qui ipſum ex Ægypto eduxerat, vel inanium Deorum, qui a Gentilibus colebantur. *Optio vobis datur* (ita ille ad populum). *Eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſsimum debeatis: utrum Diis, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia, an Diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Ego autem, & domus mea ſerviemus domino* (2). Jam vero, ſi ad agendum tam quod juſtum, quam quod injuſtum eſt, adeo neceſſario determinatus eſt homo, ut ſecus velle non poſsit, quomodo dicere potuit Joſue populum alloquens: *optio vobis datur: eligite hodie quod placet?* Nulla quippe optio eſt, electio nulla, ubi nulla eſt libertas, ſed mera neceſsitas. Unde Cl. Petavius hunc memorans S. Scripturæ locum, *nullum*, inquit, *exprimendo populi conſenſu non modo violentiæ, ſed neque neceſsitatis indicium* (in illo) *cernitur. Plena utriuſvis (quocunque tandem animo fecerit Joſue, de quo modo non agitur) optandi, eligendique poteſtas oſtenditur, ut quaſi ſuſpen-*

(1) Geneſeos cap. 4. n. 6.
(2) Joſue cap. 24. v. 15.

Digitized by Google

penſa, & in medio poſita voluntas, alterum, quod volet, e duobus aſciſcat (3). Tertio: *Deus*, inquit Jeſus filius Sirach, *Eccleſiaſtici* auctor, *ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te.... Appoſuit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (4). Hæc ſane ſi attento, & æquo animo conſiderentur, non dubito fore ut quiſque vel invitus fateri cogatur cum laudato Cl. Petavio, Authorem illum *non potuiſſe expreſſioribus, ac magis uti conceptis vocibus, & ſententiis, ſi inter nos viveret, ac de lite noſtra judicaret, quam iſthic fecit, ut libertatis humanæ arbitriique liberi naturam, ac proprietatem deſcriberet* (5). Si enim in manu conſilii ſui relictus eſt: ergo electio in illius libera eſt poteſtate; ſique ante illum poſita ſunt ignis, & aqua, bonum, & malum, vita, & mors, ut eligat quodcumque placuerit: ergo ita poteſt utrumque, ut ad neutrum ſit inevitabili neceſsitate determinatus. Ridiculum quippe eſt, hominem monere, ut ex duobus oppoſitis eligat, quod ſibi magis placet, ſi nonniſi unum placere illi poſsit, & unum dumtaxat poſsit ille eligere. Egregie propterea, ut aſſolet, S. Auguſtinus memoratis Eccleſiaſtici verbis epiphonema illud ſubjecit: *Ecce apertiſsime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium* (6) Reſpondet Calvinus, Eccleſiaſticum loqui de libero

(3) Lib. 3. *de Opificio ſex dierum* cap. 2. n. 7.
(4) Eccleſiaſtici cap. 15. n. 14. & ſeqq.
(5) Loco citato n. 3.
(6) Lib. *de Gratia, & libero arbitrio* n. 3. alias cap. 2.

ro arbitrio hominis innocentis, non vero lapſi, cum in manu conſilii ſui illum relictum fuiſſe ſcribit (7). At hæc reſponſio nihil prorſus ipſum juvat. Loquitur quidem Eccleſiaſticus eo loci de homine innocente; verum non eo ſenſu, ut ſignificare voluerit, ad illum dumtaxat, quæ ibidem tradit, pertinere. Patet ex ipſa cauſa, ſerieque ſermonis. *Studet ibi ſapiens*, inquit Cl. Petavius, *a peccato committendo deterrere homines, & ſi quid mali fecerint, admonet, ut ne cauſam illius, & invidiam in alium transferant, ſed ſibi imputent ipſi, utpotequos ad peccandum nulla res alia, præter ipſorum voluntatem, compulerit..... Cum igitur loci illius hæc ſententia ſit, quid abſurdius, quam ad vitandum peccatum incitare homines eo velle, quod primus illorum parens liberam ejus poteſtatem, antequam peccaret, habuit, ſi eam peccando tam ſibi, quam poſteris amiſit? Nam ſi recte ratiocinatio iſta procedit, poterat eadem ad hoc uti, ut homines ad omnes corporis, animique moleſtias, famem, ſitim, ægritudinem, ac mortem ipſam denique propulſandam hortaretur; tum ad priſtina illa, quibus innocens vallatus erat Adamus, capienda, fruendaque commoda, quod id olim in poteſtate primus ille parens habuerit. Quod ſi dementis eſt argumentari ſic, vide an non contumelioſi in Deum ſint, qui illius verbo parem, & eamdem ratiocinationem, ac ſententiam ſubjiciunt, dum, illis interpretantibus, Eccleſiaſtici author ad illum liberæ voluntatis uſum excitat Adami poſteros, quem ſolus ante peccatum Adamus exercere potuit: illi ipſi quos alloquitur, parentis ſui culpa poſſe deſierunt* (8). Ratio præ-

(7) Lib. 1. *Inſtit*. cap. 15. §. 8. & lib. 2. cap. 5. §. 18.
(8) Eench. *Theriacæ Vincentii Lenis* cap. 20. n. 5.

Digitized by Google

præterea, propterquam Calvinus negat in homine lapſo *indifferentiæ*, ſive *exercitii* libertatem, vel nulla eſt, vel ipſum urget, quemadmodum obſervat doctiſsimus Bellarminus, ut neque in homine innocente, contra prorſus ac ipſe expreſſe docet (9), illam admittat. Eſt enim illius ratio, quia libertas *indifferentiæ* in homine nequit cum divina providentia componi. Certum eſt autem, providentiam Dei ab hominis lapſu non cæpiſſe. Ergo vel neque ante lapſum liber fuit homo, ne ſcilicet divina providentia tunc lederetur, vel etiam poſt lapſum liber ille eſt, quin labes aliqua divinæ providentiæ propterea inferatur. Itaque, ut alia plurima S. Scripturæ oracula, compendii gratia, præteream, ex hactenus traditis luculentiſsime patet, Syſtema Janſenianum in eo primum S. Scripturæ adverſari, quod, rejecta libertate a *ſimplici neceſsitate*, ſolam in homine tam circa bonum, quam circa malum libertatem a *coactione* admittat.

ANIMADVERSIO.

193. Silentio prætereundum non eſt, omnem humanam vitam ſubverti, fruſtra leges dari, fruſtra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhiberi, ſi Janſenianum ſyſtema admittatur. Enimvero, dum urget lex, & admonitionibus ac minis ad componendam vitam noſtram excitamur, vel cœleſtis illa delectatio, ſub qua voluntas ſola gaudet libertate a *coactione*, ſuperat delectationem terrenam, vel ab illa deficit. Si ſuperat: fruſtranea eſt lex, fruſtraneæ admonitiones; nam, cum admiſſo Janſenii principio *neceſſarium*

(9) Lib. 4. *de Gratia & libero arbitrio* cap. 7.

rium phyſice ſit, ut cœleſti ſuperiori delectationi voluntas noſtra obſequatur, ipſa tunc ageret quod juſtum eſt, quodque injuſtum devitaret, quamvis nulla tunc eſſet lex, quæ bonum nobis præciperet, nulla quæ malum prohiberet. Si vero delectatio cœleſtis a terrena *intenſive* tunc deficit, lex omnis, poſito illo principio, eſſet prorſus injuſta. Quis enim non videt, illam tunc præcipere, quod nobis eſt *phyſice* impoſsibile; cum vigente delectatione carnali, fieri juxta Janſenium minime poſsit, quin illi conſentiamus, ac proinde quin, quod injuſtum eſt, operemur? Fatendum eſt, ait S. Hieronymus, *poſſibilia Deum dediſſe mandata, ne ipſe author injuſtitiæ ſit, ſi exigat fieri, quod fieri non poteſt* (10). Admitti ergo nequit ſyſtema divinæ gratiæ Janſenianum, quin leges omnes vel rideantur veluti omnino fruſtraneæ, vel rejiciantur tamquam prorſus injuſtæ.

COROLLARIUM I.

194. Virtuoſam proinde nobis ſuadenti vitam reſpondere illud tunc jure poſſumus, ſi Janſenium audiamus, quod olim contra fataliſtas præclare ſcripſit Euſebius: *non ſunt poteſtatis hæc meæ, o Doctor, & ideo quid oportet, ſollicitum eſſe, niſi hæc etiam ſollicitudo mihi fatis* (idem eſt, delectatione cœleſti relative victrice) *deſtinata ſit?..... Faciam enim, ſi fata volunt* (nempe ſi delectatio cœleſtis terrenæ in me prævaluerit delectationi): *imo vero laborandum mihi non eſt; aderit enim neceſſario, quod fatatum eſt* (11). Inſuper Co-

(10) Lib. 1. *contra Pelagianos.*
(11) Lib. 6. *de præp. Evangel.* cap. 6.

Digitized by Google

COROLLARIUM II.

195. Si Janſenianum admittamus principium duarum delectationum pro graduum ſuperioritate invincibilium, ſub quibus voluntas nonniſi libertate a *coactione* prædita ſit, mutatis verbis Manichæiſmum profitemur. Ex Eccleſiaſtica enim hiſtoria ſatis conſtat (quidquid inepte contendat Vincentius Lenis a Cl. P. Dechamps (12) ad ſuperfluitatem uſque abunde confutatus) Manichæiſmum in eo potiſsimum fuiſſe poſitum, primo ut ſint in nobis, ceu totidem animæ, duo contraria, & contra ſe invicem indeſinenter pugnantia principia, alterum ſcilicet bonum, alterum malum. Secundo, ut ex hiſce principiis omnes humanæ actiones proveniant, nempe ex principio bono omnes actiones bonæ, & ex principio malo omnes actiones malæ. Tertio, ut homo neceſſario *neceſsitate inevitabilitatis* bene vel male operetur, prout unum vel alterum duorum illorum principiorum prævaluerit; videlicet ut homo neceſſario agat quod juſtum eſt, in ipſo prævalente principio bono; contra vero ut agat, quod injuſtum eſt, in eodem prævalente principio malo. Quænam major Janſeniſmum inter, & Manichæiſmum concordia? Janſenius docet, duas in nobis eſſe contrarias delectationes, *cæleſtem* ſcilicet & *terrenam*, ex quibus omnes actiones noſtræ proveniant. Docet, omnes noſtras actiones bonas ex delectatione cœleſti originem ſuam trahere; contra vero ex delectatione terrena omnes noſtras actiones malas. Docet demum, nos neceſſario *neceſsitate inevitabilitatis* operaturos, quod juſtum eſt, ſi cœleſtis de-

R

(12) Lib. 2. *de libero arbitrio* diſp. 2. cap. 25. & 26.

delectatio, qua ad bonum movemur, prævaluerit terrenæ; operaturos vero quod eſt injuſtum, ſi delectatio terrena, qua in malum flectimur, cœleſtem intenſive ſuperaverit. Ergo non eſt cur Janſeniani contendant a Manichæis ſegregari, qui non neceſsitatem *coactionis*, ſed *ſimplicem* neceſsitatem intelligunt, cum aſſerunt, nos non *libere*, ſed *neceſſario* quidquid agimus tam boni, quam mali, operari. Non enim adeo rudes illi erant, & imperiti, ut crederent, voluntatem noſtram cogi ad volendum poſſe.

Neque Janſenianos juvat quod ſcripſerat Calvinus (13) ut incautis ſuaderet, a Manichæorum, ceterorumque humanæ libertatis hoſtium opinione ſententiam ſuam diſcrepare, videlicet neceſsitatem male operandi, cui ipſe ſubjectam modo eſſe aſſerit humanam voluntatem, ab ſe deduci ex culpa ipſius hominis; contra vero ab illis ex ipſa hominis natura repeti. Hoc, inquam, Calvini effugium ne minimum quidem diſcipulum ſui Janſenium juvat. Enimvero non eſt hic quæſtio, undenam factum fuerit, ut voluntas noſtra in operando tam bene, quam male non ſit libera a *ſimplici neceſſitate*; ſed an homo hujuſmodi operandi libertate etiam poſt Adæ lapſum polleat, num vero illam plane amiſerit. Affirmativam partem tenent Catholici omnes, eamque docet divina Scriptura, tenuere Eccleſiæ Patres, definierunt Concilia. Effugia propterea hujuſmodi ridicula ſunt, & ab iis hominibus inventa, qui cum manifeſtæ veritatis luce ſint oppreſsi, lectores ſuos ludificari, atque alio avocare omni dolo ſtudent.

II.

(13) Lib. 5. contra Pighium.

Digitized by Google

II.

196. Adverſatur ſecundo S. Scripturæ Janſenianum ſyſtema, eo quod, contra prorſus atque in ipſo tradatur, illa aperte doceat, nihil, quod obſervatu impoſsibile ſit, nobis a Deo præcipi. Primo ſiquidem Moyſes populum alloquens in perſona Domini, *mandatum*, inquit, *hoc*, *quod ego præcipio hodie*, *non ſupra te eſt* (14), hoc eſt, non ſupra vires tuas, divina utique gratia adjutas. Secundo: affirmat Chriſtus, jugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve (15). Quis autem non videt, jugum Evangelicæ legis, ejuſdemque onus dicendum eſſe, & reipſa non ſuave, non leve, ſed amariſsimum atque graviſsimum fore, ſi mandata legis, quemadmodum dicitur in ſyſtemate Janſeniano, ne a juſtis quidem obſervari ſemper poſſunt? Poſtremo: teſtatur Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, a Deo non permitti, ut ſupra vires tentemur. *Fidelis*, inquit, *Deus eſt*, *qui non patietur*, *vos tentari ſupra id*, *quod poteſtis* (16). Si autem Deus jubet impoſsibilia, nedum permittit, ut ſupra vires tentemur, ſed tentat ipſe ſupra id, quod poſſumus. Eſt igitur contra divinam Scripturam, nobis a Deo præcipi impoſsibilia.

III.

197. Syſtema Janſenianum adverſatur tertio divinæ Scripturæ, quia in illo ratum habetur, interiori gratiæ

R 2 in

(14) Deuter. cap. 30. v. 11.
(15) Matthæi cap. 11. v. 30.
(16) Epiſt. 1. cap. 10. v. 3.

Digitized by Google

in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti; hæc vero manifeſte tradit ex adverſo, nos divinæ gratiæ non ſemper aſſentiri, ſed illam haud raro vacuam reddere. Ait enim primo Deus ipſe: *Vocavi & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis* (17). *Vocavi, & non erat qui audiret* (18). *Locutus ſum ad vos mane conſurgens, & loquens, & non audiſtis; & vocavi vos, & non reſpondiſtis* (19). Certum eſt autem, Deum nos vocare, & ad nos loqui, quatenus ſua interiori gratia intellectum noſtrum illuminat, ut cognoſcat, quid faciendum ſit, & voluntatem noſtram movet, & excitat, ut, quod faciendum novimus, opere compleamus. Ergo, ſi homo non ſemper reſpondet vocanti Deo, ipſum loquentem non ſemper audit, relinquitur ſane, ut non ſemper conſentiat interiori illius gratiæ, ſed ei ſæpe reſiſtat. Ait ſecundo, per os Jobi loquens: *ipſi fuerunt rebelles lumini* (20), nempe divinæ gratiæ qua illuminabantur, & accendebantur, ut bene agerent. Loquens itidem per Iſaiam, *expectavi*, inquit, *ut faceret uvas*, ſcilicet opera bona per gratiam illi collatam, & *fecit labruſcas*, nempe opera mala, reſiſtendo divinæ gratiæ, eique non conſentiendo. *Quid debui*, propterea dixit, *ultra facere vineæ meæ, & non feci* (21)? Quibus verbis manifeſte ſignificatur, gratiam homini non deeſſe, qua bene operetur; atque hinc ſi non agit, quod juſtum eſt, hanc

(17) Proverb. cap. 1. v. 24. & 25.
(18) Iſaiæ cap. 50. v. 2.
(19) Jeremiæ cap. 7. v. 13.
(20) Job cap. 24. v. 13.
(21) Iſaiæ cap. 5. v. 2. & 4.

Digitized by Google

fiant unam eſſe cauſam, quia gratiæ reſiſtit: cui apprime conſonat illud Chriſti Domini: *Quoties volui* congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti (22). Accedit poſtremo & illa S. Stephani increpatio: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis* (23). Quis autem non videt, nomine Spiritus Sancti divinam gratiam a S. Protomartyre intelligi? *Opus Spiritus Sancti*, inquit Cl. Stapletonus, *proprium eſt intus movere. Sane in ſolo externo miniſterio, niſi Spiritus Sanctus cor tangat, Spiritus Sanctus in ipſo audiente nihil operatur: ubi autem nihil operatur, ei nec reſiſtitur, nec obeditur..... Qui ſine ullo motu divino interno Prophetam contemnit, non reſiſtit proprie, & directe Spiritui Sancto, utpote qui nihil eum movebat, ſed perſonæ quam audit. Itaque*, concludit Vir Eximius, *reſiſtit Spiritui Sancto, qui ejus internis motibus reſiſtit* (24). Sacræ ergo Scripturæ adverſatur, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti, quod a Calvino didicit, & in ſuo Auguſtino tradit Janſenius.

IV.

198. Quarto: eſt omnino contra divinam Scripturam id quod docetur in ſyſtemate Janſeniano, ad merendum ſcilicet, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem a *neceſſitate*, ſed ſufficere libertatem a *coactione*. Et primo quidem, hominem non mereri, nec demereri in iis, quæ neceſſario agit, ſed in

(22) Matthæi cap. 23. v. 37.
(23) Actorum cap. 7. v. 51.
(24) Tom. 3. pag. 375.

Digitized by Google

in iis tantum, quæ libere, patet ex illo Geneſeos, quod etiam memoravimus ſupra: *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius* (25); tum ex illo Deuteronomii: *Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo* vitam, *&* bonum, *& e contrario* mortem, *&* malum. *Ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & cuſtodias mandata illius..... & vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi..... Si autem averſum fuerit cor tuum, & audire nolueris.... prædico tibi bodie, quod pereas..... Teſtes invoco hodie cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis* vitam, *&* mortem, *benedictionem, & maledictionem. Elige ergo* vitam, *ut & tu* vivas, *& ſemen tuum* (26). Tum demum ex illo Eccleſiaſtici, quod itidem ſuperiori loco memoratum eſt: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta......* Ante *hominem* vita *&* mors...., *quod placuerit ei, dabitur illi.* (27). Patet, inquam, ex hiſce Sacrarum Scripturarum oraculis, id eſſe in libera voluntatis poteſtate, quod nobis ad meritum, demeritumque imputatur; atque hinc ad merendum, & demerendum haudquaquam ſufficere, ut non agamus coacti, & inviti, ſed neceſſario requiri, ut a ſimplici neceſsitate, nos ad unum indeclinabiliter determinante, ſimus prorſus immunes. Neque enim recte dici poteſt, in noſtra poteſtate eſſe vitam, & mortem, præmium, & pœnam, ſi illæ operationes, propter

quas

(25) Cap. 4. v. 7.
(26) Cap. 30. v. 15. & ſeqq.
(27) Cap. 15. v. 14. & ſeqq.

Digitized by Google

quas vel intimatur mors, vel vita promittitur, adeo neceſſario a nobis fiant, ut caveri non poſsint.

Conſtat ſecundo, *beatum* dici in *Eccleſiaſtico*, non qui operatus eſt, quod vitare non potuit, vel non egit, quod facere nequivit; ſed *qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit* (28). Ergo ex divinis Litteris ea libertate ad merendum, & demerendum opus eſt, per quam homo ita agit bonum, ut illud non operari potuerit. Id porro tanta evidentia ex memorato Sacræ Scripturæ loco deducitur, ut jure meritoque ſcripſerit Doctiſsimus Ven. Bellarminus, neminem mirari debere, quod eum locum Calvinus diſsimulaverit. Ejuſmodi quippe ille eſt, ut quemadmodum ait laudatus Vir Cl. *non ſolum non vera, ſed ne veriſimilis quidem aliqua reſponſio hic locum habere poſſe videatur. Non enim hoc teſtimonium trahi poteſt ad ſtatum innocentiæ, neque ullæ ſunt in eo ambages, ſed liberum arbitrium aſſeritur ita vere, proprieque liberum in moralibus, ut dicatur Vir bonus ideo dignus* laude, & præmio, *quod potuerit transgredi, & non ſit transgreſſus, facere mala, & non fecerit* (29).

Reſpondet Janſenius, neceſsitatem male operandi, cui voluntas noſtra modo obnoxia eſt, ſicuti etiam impotentiam bene agendi, cui eadem ipſa ſubjicitur, ideo a peccato, & pœna non excuſare quia a culpa provenit, in quam libere incidimus: videlicet, ut ille ait, peccatores, qui Dei mandata transgrediuntur, *eſſe culpæ reos*, ſive illa facere poſsint, ſive excœcatione, & obduratione non poſsint, quia homo in iſtam impoten-

(28) Cap. 31. v. 10.
(29) Lib. 5. *de Gratia & libero arbitrio* cap. 23.

tentiam ſua voluntate lapſus eſt (30). Ita ſane reſpondere Janſenius debuit, utpote a præceptore ſuo Calvino edoctus, qui ait: *nego, peccatum ideo minus debere imputari, quod neceſſarium eſt. Si quis enim diſceptare cum Deo velit, & hoc prætextu judicium ſubterfugere, quoniam aliter non potuerit, habet paratam reſponſionem, quam alibi attulimus*, non ex creatione eſſe, ſed naturæ corruptela, quod homines peccato mancipati, nihil velle poſſunt, niſi malum. *Unde enim iſta, quam improbi libenter prætexerent*, impotentia; *niſi quod Adam ultro ſe diaboli tyrannidi addixit? Hinc ergo vitioſitas, cujus vinculis tenemur conſtricti, quod primus homo defecit a ſuo Opifice* (31). Unde Theodorus Beza, ut alios præteream ejuſdem furfuris Janſenii Magiſtros, *nec enim*, inquit, *neceſſitas excuſat a ſcelere, ſi quis ultro in ejus compedes ſeſe conjiecerit. Iſta vero neceſſitas* (peccandi), *de qua nunc ago, non a natura eſt, ſed a voluntario hominis lapſu* (32).

Quam injurioſa ſit Deo hujuſmodi reſponſio nemo non videt, & patet exemplo ſervi, qui culpa ſua manus ſibi pedeſque fregerit. Si enim Dominus hanc illi culpam ſincero animo remittat, imperare deinceps non poteſt, ut currat, atque huic præcepto non obtemperantem ſevere caſtigare. Fractis namque pedibus non currere vel nulla culpa eſt, vel omnino illa eadem, qua ſibi pedes fregit, quamque dominus ſervo illi ex animo remiſit. Propterea dicere non dubitat S. Auguſtinus, *peccati reum tenere quemquam, quia non fecit,*

(30) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 14.
(31) Lib. 2. *Inſtit*. cap. 5. n. 1.
(32) In Libello quæſt. & reſponſ.

Digitized by Google

cit ; *quod facere non potuit* , *ſummæ iniquitatis eſſe*, & *inſaniæ* (33). Verum Auguſtini ſententiam hac ſuper re videbimus propoſitione ſecunda. Advertere dumtaxat Lectorem hic cupio , nihil penitus juvare Janſenium, ſi dicat, in iis mereri nos, & demereri , quæ neceſſario agimus, quia *delectabiliter*, & cum *complacentia* illa operamur. Non juvat, inquam. Delectatio enim illa, ſub qua voluntas neceſſario operatur , vel eſt *indeliberata* , nempe a conſenſu voluntatis omnino independens , vel eſt deliberata , ac proinde adeo libera , ut eam non habere , voluntas ipſa , ſi velit , libere poſsit. Si primum: tota difficultas adhuc in viridi omnino eſt, ut patet. Si namque illa delectatio ſit neceſſaria vel non poteſt nobis ad pœnam, præmiumve imputari ; vel etiam omni prorſus delectatione ſublata , actiones omnes noſtræ , utut neceſſariæ , nobis ad pœnam vel præmium imputari juſtiſsime poſſunt. Sin alterum: plane ſtat, quod ipſi contendimus, videlicet rationem *meriti*, & demeriti ita dependere a libera voluntate , ut in iis , quæ neceſſario operamur, ſit prorſus nulla.

V.

199. In eo demum divinæ Scripturæ adverſatur Janſenii ſyſtema , quod ponat , Chriſtum Dominum pro iis tantum, qui prædeſtinati ſunt, ſubiiſſe mortem, & ſanguinem ſuum fudiſſe. Hæc habet divina Scriptura: *Unus* (nempe Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt* (34). *Pro nobis omnibus Deus tradidit illum* (35). *Dedit redem-*

(33) Lib. *de Duabus animabus* n. 17. alias cap. 12.

(34) Epiſt. 2. *ad Corinth*. cap. 5. v. 15.

(35) Epiſt. *ad Romanos* cap. 8. v. 32.

Digitized by Google

demptionem ſemetipſum pro omnibus (36). *Salvator eſt omnium hominum* (37). *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam totius mundi* (38). Præterea ita pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut hinc inferat Apoſtolus, omnes prorſus obnoxios eſſe originali peccato. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt : ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* (39). Velint ergo nolint, alterutrum fateantur oportet Janſeniani Syſtematis patroni, aut ſcilicet ſolos prædeſtinatos peccaſſe in Adamo, ejuſque peccati labem contraxiſſe, quod plane hæreticum eſt; aut non pro ſolis prædeſtinatis Chriſtum mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe.

Id porro ex eo etiam confirmatur, quod habet idem Doctor gentium ad Romanos ſcribens. Ait enim: *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ* (40). Accedit poſtremo illud ejuſdem Apoſtoli ſcribentis itidem ad Romanos: *Si propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt* (41). Hinc enim manifeſte ſequitur, eos etiam ſecundum Apoſtolum perire poſſe, pro quibus mortuus eſt Chriſtus; ac propterea non pro ſolis prædeſtinatis illum pertuliſſe mortem, & ſanguinem fudiſſe. Huic autem illud etiam apprime conſo-

(36) Epiſt. 1. *ad Timotheum* cap. 2. v. 6.
(37) Ibidem cap. 4. v. 10.
(38) Epiſt. 1. *S. Joannis* cap. 2. v. 2.
(39) Epiſt. 2. *ad Corinthios* cap. 5. v. 14. & 15.
(40) Ibidem v. 18.
(41) Cap. 14. v. 15.

Digitized by Google

ſonat, quod habet idem Apoſtolus ad Corinthios, eos monens, ne eſu carnium idolis immolatarum fratres ſuos offendant: *& peribit*, *inquit*, *infirmus in tua ſcientia frater*, *propter quem Chriſtus mortuus eſt* (42)? Non ergo dubitavit Apoſtolus perire eum poſſe, pro quo mortuus eſt Chriſtus. Neque vero Janſenium juvat ſatis trita, & a Calvino mutuata cavillatio, Chriſtum nimirum pro fratre pereunte mortuum eſſe, pretii quidem ſufficientia, non autem animo, & intentione redimendi. Enim vero ſi fratris illius ſalvandi animum non habuit Chriſtus, quid mirum ſi pereat ob ſcandalum illi a nobis illatum? Cur ipſi Apoſtolo tanta fuiſſet de illo cura, ne ſcandalo alieno periret, quem redimere Chriſtus vere noluiſſet? Igitur manifeſte divinæ Scripturæ opponitur, Chriſtum Dominum pro iis tantum, qui prædeſtinati ſunt, ſubiiſſe mortem, & ſanguinem fudiſſe, quod quidem ex Calvino docet Janſenius.

PROPOSITIO II.

Syſtema Janſenii non habet fundamentum in S. Auguſtino.

200. *Probatur*. Duo præcipue ſunt, quibus Janſenianum ſyſtema innititur. Primum eſt, *voluntatem noſtram nihil modo velle*, *nihilque agere ſive* boni, *ſive* mali, *niſi prævia aliqua indeliberata delectatione ad operandum moveatur*. Alterum, *in duarum inæqualium delectationum conflictu voluntatem ipſam illi neceſſario obſequi*, *& ſecundum illam neceſſario operari*, *quæ in-ten-*

(42) Epiſt. 1. cap. 8. v. 11.

Digitized by Google

tenſive alteram ſuperat. Hoc itaque ſyſtema fundamentum non habet in S. Auguſtino, ſi S. Auguſtini minime ſint duo illa principia, quibus totum innititur. Illa autem non ſunt S. Auguſtini.

I.

201. Quod enim ſpectat ad primum, non uno loco docet S. Auguſtinus, humanam voluntatem non ſemper operari propter *delectationem*, quæ voluntatem ipſam *indeliberate* afficiat, & ad operandum ſollicitet. Docet enim primo *diabolum non ſolum per cupiditates tentare, ſed etiam per terrores inſultationum, & dolorum, & ipſius mortis* (43). Docet ſecundo, *nihil ſic revocare hominem a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitationem* (44). Docet tertio, *etiam illa peccata juſte imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, ſed cauſa devitandæ moleſtiæ, alicujus, aut doloris, aut mortis* (45). Diſtinguens poſtremo *timorem a cupiditate, omnia,* inquit, *peccata duæ res faciunt in homine*, cupiditas, & timor. *Cogitate, diſcutite, interrogate corda veſtra, perſcrutamini conſcientias, videte, utrum poſſint eſſe peccata, niſi aut* cupiendo, *aut* timendo. *Proponitur præmium, ut pecces, id eſt, quod te* delectat, *facis propter quod* cupis. *Sed forte non induceris donis, terreris minis, facis propter quod* times. *Corrumpere te vult aliquis, ut dicas* v. g. *falſum teſtimonium*......

Si

(43) Lib. *de Catechiz. rudibus* n. 55. *alias* cap. ultim.
(44) Lib. 2. *de Geneſi contra Manichæos* n. 42. alias cap. 28.
(45) Lib. 2. *de Pecc. meritis* n. 15. *alias* cap. 10.

Digitized by Google

Si cupiditas *non valuit*, *forte* timor *valebit*, *ut pecces*..... *Itaque ad omne recte factum* amor, *&* timor *ducit*. *Ad omne peccatum* amor, *&* timor *ducit*. *Ut facias bene* amas, *&* times *Deum*; *ut autem facias male*, amas mundum, & times *mundum* (46). Si ergo non ſolus *amor*, profecto neque id tantum, quod nos delectat, illud eſt ſecundum S. Auguſtinum, quod ad operandum movet voluntatem. Ex *indeliberata* quippe *delectatione* non *timor*, ſed *amor* naſcitur. Quod enim delectat, bonum eſt; & quod eſt bonum, *timorem* non excitat, ſed *amorem*, unde & ipſe Janſenius docet (47), ex delectatione dilectionem, & ex dilectione operationem *naturali ordine* conſequi. Itaque S. Auguſtini ſententia non eſt, nihil prorſus ſive boni, ſive mali voluntatem noſtram agere modo poſſe, niſi prævia aliqua *indeliberata delectatione* ad operandum ſollicitetur & moveatur.

SCHOLION I.

202. Non dubito fore, ut Janſenius fateatur, S. Auguſtino perſuaſum nequaquam fuiſſe, humanam voluntatem ſine prævia *delectatione* nihil prorſus velle, nihilque operari poſſe, ſi certo conſtiterit, neque, S. Proſperi ſententia, ſolum amorem illud eſſe pondus, quo anima ad operandum flectitur. Scribit enim, S. Proſperum fuiſſe *acerrimum*, *& accuratiſſimum doctrinæ cœleſtis ejus* (ſcilicet Auguſtini) *defenſorem*, *nec ab ejus tramite*, *quantum ad gratiam*, *& liberum arbitrium*

(46) Enarr. in *Pſalm*. 79. n. 13.
(47) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.
(48) Lib. 6. *ejuſdem* cap. 13.

Digitized by Google

trium attinet , vel latum unguem diſceſſiſſe (48). Jam vero ſolo *amore* ſecundum S. Proſperum non moveri voluntatem ad operandum , hoc præclaro illius teſtimonio oſtenditur. *Trahit* , inquit , *ad Deum* contemplatio *elementorum* , *omniumque* , *quæ in eis ſunt* , *ordinatiſſima* pulchritudo. *Inviſibilia enim ejus a creatura mundi per ea* , *quæ facta ſunt* , *intellecta conſpiciuntur. Trahunt rerum geſtarum relatores* ; *animum audientis inflammant narrantes* laudes *Domini* , & virtutes *ejus* , & mirabilia *ejus* , *quæ fecit. Trahit* timor : *principium enim ſapientiæ timor Domini. Trahit* lætitia : *quoniam lætatus ſum in his* , *quæ dicta ſunt mihi* , *in domum Domini ibimus. Trahit* deſiderium: *quoniam concupiſcit* , & *deficit anima mea in atria Domini. Trahunt* delectationes : *quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua ſuper mel & favum ori meo. Et quis perſpicere* , *aut enarrare poſſit* , *per quos* affectus *viſitatio Dei animum ducat humanum* , *ut quæ fugiebat* , *ſequatur* , *quæ oderat* , *diligat* ; *quæ faſtidiebat*, *eſuriat* , *ac ſubito commutatione mirabili* , *quæ clauſa ei fuerant* , *fiant aperta* ; *quæ oneroſa* , *ſint levia* ; *quæ amara* , *ſint dulcia* ; *quæ obſcura* , *ſint lucida*? *Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus* , *dividens ſingulis* , *prout vult* (49).

SCHOLION II.

203. Quæ autem ex S. Auguſtino affert Janſenius, ut illius auctoritate evincat , humanam voluntatem nihil modo velle , nihilque operari poſſe ſine prævia aliqua

(48) Lib. 8. *ejuſdem* cap. 13.
(49) Lib. *contra Collatorem* n. 18. *alias* cap. 7.

Digitized by Google

qua *delectatione*, facile diſſolventur, ſi conſiderabimus, S. Auguſtinum in illis omnibus locis loqui non de quacunque hominis operatione, ſed de iis tantum, quæ ex *amore* proveniunt. Concedo enim, voluntatem noſtram nihil amare poſſe, niſi illud ipſa delectet; atque hinc nihil eam velle, nihilque agere, *amore* ductam, niſi *delectatione* aliqua moveatur. Veriſsimum eſt ergo, quod habet S. Auguſtinus, videlicet *nolle homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat*; tantoque nos vehementius velle, *quanto certius, quam bonum ſit, novimus, eoque delectamur ardentius* (50). Veriſsimum, *neminem animo amplecti aliquid, quod eum non delectat* (51). Veriſsimum tandem, *delectationem eſſe quaſi pondus animæ* (52). Hæc, inquam, omnia, & ſi qua ſint alia hiſce non diſsimilia, fateor eſſe veriſsima, ſi de *amore*, ut intelligi debent, intelligantur. Cum enim, ipſomet docente S. Auguſtino, *non ametur, niſi quod delectat* (53), idcirco nolunt homines facere per *amorem*, quod juſtum eſt, ſive quia latet, ſive quia non delectat; tantoque vehementius diligimus aliquid, quanto delectamur ardentius; nemo quoque amplectitur aliquid *amore*, quod eum non delectat; nec voluntas, niſi occurrat, quod delectet, moveri ad *amandum* aliquo modo poteſt; noſque demum non agimus per *amorem*, quod agendum eſſe cognoſcimus, quia non delectat. Eodem autem modo illa etiam explicantur, quæ habet idem S. Doctor loquens de cauſa peccati, nem-

(50) Lib. 2. *de Peccatorum meritis* n. 26. alias cap. 17.
(51) Lib. 1. *ad Simplicianum* q. 1. n. 21.
(52) Lib. *de Muſica* n. 29, *alias* cap. 11.
(53) Serm. 159. *de Verb. Apoſtoli* n. 3. *alias* 17. cap. 3.

Digitized by Google

nempe cum ait, *rationem noſtram deduci ad conſenſionem peccati non poſſe, niſi cum* delectatio *mota fuerit* (54): neminem fore, qui peccaret, *ſi nihil delectaret illicitum* (55), & ſimilia. Dicendum quippe eſt, non de omnibus, ſed de iis tantum peccatis illud tunc loqui, quæ ex pravo *amore* naſcuntur.

II.

204. Ad alterum vero Janſeniani ſyſtematis principium quod ſpectat, videlicet *in duarum inæqualium delectationum conflictu, voluntatem noſtram illi neceſſario obſequi, & ſecundum illam neceſſario operari, quæ alteram intenſive ſuperat*, rem certiſsimam puto, demonſtratum iri, hoc principium non eſſe S. Auguſtini, ſi oſtenſum fuerit, illud ejuſdem S. Doctoris teſtimonium, quo ad id probandum Janſenius ipſe utitur, & in quo maximam facit vim, ſpemque ſuam collocat, omnino contra Auguſtini mentem ab eo accipiatur. Ita autem res ſe habet. Eſt enim teſtimonium illud S. Auguſtini: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt* (56): quod vult Janſenius, intelligatur de *delectatione indeliberata*; ſed omnino, ut dixi, contra mentem S. Auguſtini. Contendo enim, S. Auguſtinum ſumere *delectationem* eo loci pro delectatione aut amore, ita nimirum ut, cum dixit: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt*, non aliud ſignificare voluerit, niſi *nos ſecundum id*

(54) Lib. 2. *de Geneſi contra Manichæos* n. 20., *alias* cap. 14.

(55) Lib. 22. *contra Fauſtum* cap. 28.

(56) Comment. *in Epiſt. ad Galatas* n. 49.

Digitized by Google

id neceſſario operari, quod vehementer diligimus. Hanc porro fuiſſe Auguſtini mentem, non vero illam, quam ſibi fingit Janſenius, multiplex mihi ratio eſt. Moveor primo ex eo, quod poſtquam dixerit S. Doctor, *neceſſe eſſe ut ſecundum id operemur, quod amplius nos delectat*; *de dilectione* rem totam concludat. Ait quippe: *manifeſtum eſt certe, ſecundum id nos vivere, quod ſectati fuerimus; ſectabimur autem, quod dilexerimus. Itaque ſi ex adverſo exiſtant duo, præceptum Juſtitiæ & conſuetudo carnalis,* ut utrumque diligitur id *ſectabimur*, *quod* amplius dilexerimus. *Si tantumdem utrumque* diligitur, *nihil horum ſectabimur, ſed aut timore inviti trahemur in alterutram partem, aut ſi utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo ſine dubio remanebimus, fluctu* dilectionis *&* timoris *alternante quaſſati.* (57). Itaque, ut ſibi cohæreat S. Doctor, quæque antecedunt iis, quæ ſequuntur, plane conſentiant, dicamus oportet, *operari ſecundum id, quod amplius delectat*, perinde fuiſſe S. Auguſtino, ac *operari ſecundum id, quod amplius diligitur.* Neque huic officit exemplum ſpecioſæ fœminæ, quod S. Auguſtinus aſſumit, ut verum eſſe oſtendat, *ſecundum id nos neceſſario operari quod amplius delectat.* Siquidem neque *delectationem* fornicationis, neque *delectationem* caſtitatis ſumit S. Doctor pro motione voluntatis *indeliberata*, ſed pro actu *amoris* deliberato, unde illius exempli ſenſus eſt: ſi *amor*, quo diligitur pulchritudo caſtitatis, major fuerit, quam *amor* fornicationis, ad quem nos excitat forma ſpecioſæ fœminæ, ſecundum illam, nempe caſte vivimus, & ſecundum illam operamur.

S *SCHO-*

(57) Loco citato n. 54.

SCHOLION.

205. Ut huic difficultati, quam bene vidit, occurrat Janſenius, vult *delectationem* ita conſequi ex *delectatione*, eique ita commenſurari ut neceſſarium eſſe dicat, id quod magis delectat, magis quoque a nobis diligatur. Quia enim, inquit, *quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus, ac diligamus, neceſſe eſt.... quod autem magis volumus, ac diligimus, ſecundum id operemur, neceſſe eſt, propterea, quemadmodum hic dicit, S. Auguſtinus, neceſſe eſſe, ut ſecundum id operemur, quod amplius nos delectat, ita paucis interjectis in eodem loco adjicit, neceſſe eſſe, ut id operemur, atque ſectemur, quod amplius dilexerimus, quia videlicet naturali ordine, ex delectatione dilectio, & ex dilectione operatio conſequitur* (58). Verum infirma nimis eſt hæc Janſenii reſponſio. Enimvero ex eodem Auguſtino apertiſsime conſtat, non ſemper ab homine diligi, quod magis ipſum delectat. *Non faciebam*, ait S. Doctor, *quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox ut vellem, poſſem*; perinde ac ſi diceret, ſe utique a Deo vehementer motum fuiſſe ac excitatum per *incomparabilem* indeliberatum affectum, quo ipſi magis conſtantia placebat, ac nihilominus ſe gratiæ reſtitiſſe, & carnali ceſsiſſe voluptati, aperte fatetur. Nihil clarius ex Auguſtino deſumi poteſt, quo intelligamus, non neceſſario ex *delectatione dilectionem* conſequi: indeque de deliberata delectatione, non vero de indeliberata Auguſtinum loqui, quando ait *quod amplius nos delectat ſecundum id operemur, ne-*

(58) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 7.

neceſſe eſt ; quippe ſi ſecus, de ſeipſo fateri minime potuiſſet S. Doctor, non feciſſe nimirum quod incomparabili affectu magis placebat. Similiter ille nos monere nequaquam poſſet, ut juſtitiæ *delectatio* vincat *delectationes* etiam licitas; ut delectationi etiam licitæ præponamus juſtitiam; ut præ omnibus *delectationibus* juſtitiam diligamus; utque demum *delectationi* carnis *delectationem* mentis præponamus. Docuerat enim, *ut occurrat, quod delectet atque invitet animum, non eſſe in hominis poteſtate* (59). Dixerat, *neminem eſſe vituperatione ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt* (60). Ac demum vel ipſe, ut olim creditum eſt, vel Evodius, ut nunc eruditiores putant, *ſtultum eſſe*, pronunciaverat, *præcepta dare ei cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere* (61). Propterea integram in nobis ſupponens libertatem, ad pugnam nos continuo ſuadet, dicens: *Reſtat cum carne conflictus; ineſt, titillat delectatio illicitæ concupiſcentiæ; pugna, reſiſte, noli conſentire, & impletur hic* : poſt concupiſcentias tuas non eas (62). Non dubito autem, Janſenium minime dicturum, S. Auguſtinum tunc loqui de *delectatione deliberata*, nempe illum non ſemper feciſſe, quod ardentius diligebat. Ita namque ſi ſentiret Janſenius, fateri vel invitus cogeretur falſum eſſe, quod nuper docuit, nos ſcilicet, ſecundum id neceſſario operari, *quod magis diligimus*. Præterea, quod incomparabili affectu S. Auguſtinus magis

(59) Lib. 1. *ad Simplicianum* n. 22.
(60) Lib. *de Duabus animabus* n. 15. alias cap. 11.
(61) Lib. *de Fide contra Manich.* cap. 10.
(62) Serm. 6. *de Verbis Apoſtoli* cap. 9.

Digitized by Google

gis diligebat, vel ipſum etiam magis *indeliberate* delectabat, vel non. Si etiam indeliberate ipſum magis delectabat: ergo, cum ſecundum illud, ut ipſe teſtatur, non operaretur, minime ſenſit S. Auguſtinus ſecundum id nos neceſſario operari, quod amplius nos *indeliberate* delectat. Si non: ergo errat Janſenius, dum ait ex delectatione dilectionem, & ex dilectione operationem, eo naturæ ordine conſequi, ut *ſit neceſſe, id quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus, ac diligamus*. Dabit ergo Janſenius, ne ſibimetipſi adeo manifeſte contradicat, de indeliberata delectatione loqui Auguſtinum, dum non ſemper id ab ſe factum fuiſſe ſcripſit, *quod incomparabili affectu amplius ipſi placebat*. Et ideo dabit etiam *de delectatione indeliberata* eundem ipſum ex adverſo minime loqui dum ait: *quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt*. Repugnat enim, ut vir tantus, qualis fuit S. Auguſtinus, dicat uno loco, ſe in iis circumſtantiis nequaquam id feciſſe, quod alio loco ait, neceſſe eſſe, in illis circumſtantiis ut fiat.

ANIMADVERSIO.

206. Si certum eſt, uti plane certum eſſe puto, S. Auguſtinum loqui de *indeliberata delectatione*, dum nos admonet, ut *delectationi* etiam licitæ præponamus juſtitiam, ut præ omnibus delectationibus juſtitiam ipſam diligamus, utque demum delectatio carnis, mentis delectationi cedat, nemini dubium eſſe poteſt quin hæc intelligenda ſint de *delectatione*, cujuſcunque gradus illa fuerit. Dato namque, neceſſarium eſſe, ut contendit Janſenius, voluntas vividiori *indeliberata de-*

Digitized by Google

lectationi obſequatur, neceſſario ſequitur nullam eſſe *delectationem indeliberatam*, cui conſentire, vel ab ea diſſentire, ſit in libera poteſtate voluntatis: ſi enim delectatio carnis intenſive ſuperet delectationem mentis, manifeſtum eſt, poſito Janſenii principio, mentis *delectationem* non poſſe *delectationi* carnis a voluntate præponi, cum neceſſe ſit, ut huic obſequatur. Si deficiat, perſpicuum eſt etiam, non *libere*, ſed *neceſſario* voluntatem noſtram debere *delectationem* mentis præferre delectationi carnali. Si vero fuerint æquales: neutram, ipſo etiam teſte Janſenio, voluntas ſequi poteſt, ſed vel peccabit, vel in medio ſuſpenſa, ac prorſus hærens remanebit (63).

III.

207. *Tertio*: Docet S. Auguſtinus, fuiſſe in libera ſanctorum hominum poteſtate cohibere illicitam delectationem, eique reſiſtere. Inquit enim: *Sicut ratio vera docet, meliorem eſſe naturam* (ſanctorum ſcilicet angelorum, ut, paucis interjectis, ipſe explicat) *quam prorſus nihil delectat illicitum, ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam* (nempe ſanctorum hominum, ut ille itidem manifeſte declarat) *bonam eſſe, quæ habet in poteſtate* illicitam delectationem, *ſi exſtiterit, ita cohibere, ut non ſolum de ceteris licitis recteque factis, verum etiam de ipſius* pravæ delectationis *cohibitione lætetur* (64). Ergo ſecundum S. Auguſtinum nulla eſt illicita, carnalis nimirum cupiditatis, *indeliberata delectatio*, quam humana voluntas, utique di-

 vi-

(63) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 10.
(64) Lib. 11. *de Geneſi ad litteram* n. 9. *alias* cap. 11.

Digitized by Google

vina gratia adjuta, cohibere non poſsit; ac proinde nulla, cui neceſſe ſit voluntas ipſa conſentiat. Igitur de *indeliberata delectatione* ille non loquitur, cum neceſſarium dixit, ſecundum id, quod amplius nos delectat, operemur. Nulla quippe illicita *delectatio* tunc ita fuiſſet in ſanctorum hominum poteſtate, ut de illius cohibitione lætari jure meritoque valerent. Non certe illa, quæ major fuerit *delectatione* gratiæ; cum nedum ipſam non cohibuiſſent, ſi exſtitiſſet, ſed neceſſario ei fuiſſent obſequuti. Non illa, quæ fuerit minor gratiæ *delectatione*; quippe, cum illi obſequi non potuiſſent, de illius cohibitione, utpote non libera, ſed neceſſaria, nonniſi immerito lætarentur. Non illa demum, quæ *delectationi* gratiæ fuerit æqualis; cum, quemadmodum Janſenius docet (65), tunc vel peccaſſent, vel eorum voluntas in medio veluti ſuſpenſa remanſiſſet.

SCHOLION.

208. Duo ſunt, quæ reſpondere poſſunt Janſeniani, ut hunc nodum ſolvant. Primum eſt, S. Auguſtinum tunc loqui de homine in ſtatu innocentiæ. Secundum, ipſum loqui de hominibus, non dum erant in *via*, ſed quatenus in *termino* exiſtunt. Sed utrumque plane contra Janſenium. Primum quidem; quia ipſe aperte docet, in ſtatu innocentiæ nullam fuiſſe illicitam *delectationem*, qua homo ad malum moveretur. Ait enim, *S. Auguſtinum contra Pelagianos tradere, peccatum primi hominis ſine delectatione præcedente perpetratum eſſe; cum ſcilicet delectatio prima ſecuta ſit perverſam voluntatem, non voluntas delectationem*; & ideo *non po-*

(65) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 10.

Digitized by Google

potuiſſe primum peccatum ex præcedente delectatione, ſive ſuperbiæ, ſive gulæ proficiſci (66). Alterum vero quia ut ille itidem docet, nulla in cœlo eſt terrena delectatio, contra quam, ut ipſam vincant, debeant animæ ſanctæ decertare. *Hæc cauſa eſt*, inquit Janſenius, *cur jam abſorpta omni carnali delectatione, ac dominante ſola ſuavitate ſpiritus, ardentiſsime voluntas Deum in cœlo diligat, atque ita immobiliter diligat, ut peccare non poſsit; quia, ut idem Auguſtinus loquitur, ſolus eam delectat Deus, imo nihil aliud delectare poteſt* (67).

IV.

209. *Quarto*: Eruditorum omnium ſententia eſt, S. Auguſtinum ſuum *in Epiſtolam ad Galatas*, ex quo famoſum illud dictum deſumtum eſt, Commentarium ſcripſiſſe, antequam eſſet Epiſcopus, ac proinde dum Semipelagianorum errore de initio fidei, bonæque voluntatis adhuc teneretur. Perſpicua autem res eſt, verum eſſe non poſſe, ut noſtrum ſit proprium, nobiſque ex nobis ſit, Evangelio conſentire, quemadmodum S. Auguſtinus, ut ipſemet de ſeipſo aperte fatetur (68), tunc putabat, ſi neceſſarium eſſe ponatur, voluntatem noſtram ſecundum id operari, quod amplius ipſam *indeliberate* delectat. Cum enim, ſi nulla ſit in homine cœleſtis delectatio gratiæ, per quam Evangelio credat, quærat, & pulſet, ſola carnalis cupiditatis delectatio, qua in malum flectitur, tunc in illo dominetur, ſicuti ne-

(66) Ibidem cap. 9.
(67) Ibidem.
(68) Lib. *de prædeſtin. SS.* n. 7. *alias* cap. 3.

neceſſe eſt, poſito Janſeniano principio, ut huic delectationi voluntas obſequatur, ita eſt impoſsibile, ut illa tunc in Deum credat, & Evangelio conſentiat. Igitur dicamus oportet, S. Auguſtinum vel *indeliberatam delectationem* in mente non habuiſſe, cum *neceſſarium eſſe* ſcripſit, *ſecundum id operemur, quod amplius nos delectat*; vel minime advertiſſe, ſententiam hanc ſuam cum ea, quam de fidei, bonæque voluntatis initio tunc ipſe tenebat, componi non poſſe. Hoc alterum de tanto Viro dicendum non eſt, neminemque Janſenianorum futurum puto, qui de illo ita ſentire non vereatur. Ergo dicendum eſt primum, de *deliberata* ſcilicet *delectatione* principium illud ſuum intellexiſſe.

SCHOLION.

210. S. Auguſtinum *Maſsilienſium errorem ante Epiſcopatum tenuiſſe*, & ipſe fatetur Janſenius (69), addens propterea, *ex illis D. Auguſtini operibus, quæ ante Epiſcopatum condidit, non parum lucis poſſe peti, ut ad accuratam Semipelagianæ opinionis intelligentiam perducamur* (70). Verum tamen eſt, Semipelagianorum errorem, Janſenii judicio, ut vidimus, non in eo eſſe poſitum, quod negarent interioris gratiæ neceſsitatem ad initium fidei; ſed in eo, quod vellent, conſentire, & diſſentire gratiæ a libero voluntatis arbitrio dependere. At vero etſi detur, hunc fuiſſe errorem Semipelagianorum, ipſumque S. Auguſtinum ita ſenſiſſe, adhuc ſtat, dici ab illo minime potuiſſe, ſi ſibimetipſi conſtare vellet, voluntatem noſtram ſecundum id neceſ-

(69) Lib. 7. *de hæreſi Pelagiana* cap. 4.
(70) Ibidem.

Digitized by Google

ceſſario operari, quod magis ipſam *indeliberate* delectat. Delectatio enim interioris gratiæ, quam requiri dicebat ad initium fidei, ſed ſubjectam nutui voluntatis, vel *major* eſt delectatione terrena, qua voluntas ſecundum Janſenium indeſinenter in malum flectitur, vel *minor*, vel *æqualis*. Si *major*: non *libere*, ſed *neceſſario* debet voluntas in Deum credere, ejuſque Evangelio aſſentiri. Si *minor*: impoſſibile eſt, ut voluntas in Deum credat, cum ſit neceſſe, terrenæ delectationi, qua a juſtitia removetur, illa tunc aſſentiatur. Si *æqualis*: alternante, ut Janſenius ipſe ait (71) delectationum fluctu, vel *peccabitur* poſitive non credendo Evangelio, vel *in medio voluntas remanebit*, poſitive ſcilicet non credendo Evangelio, neque illud aperte rejiciendo. Itaque ſive Maſſilienſium, adeoque ipſiuſmet etiam S. Auguſtini, cum in *Epiſtolam ad Galatas* ſcripſerat, in eo poſitus error fuerit, quod noluerint, requiri interiorem gratiam ad initium fidei, ut ſentiunt Catholici, ſive in eo, quod voluerint, ut falſo putat Janſenius, conſentire, & diſſentire gratiæ pendere a nutu libero voluntatis; adhuc ſtat, ſtabitque in ævum, S. Auguſtinum non ſibi conſtare, cum *neceſſarium eſſe* dixit, *ſecundum id operemur, quod amplius delectat*, ſi mens illius fuerit, ut de *indeliberata delectatione* dictum hoc ſuum intelligatur.

V.

211. *Quinto*: Docet S. Auguſtinus, a ſola voluntate petendam eſſe rationem, quamobrem alter duorum hominum, qui æqualiter animo affecti ſint, eadem-

(71) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 10.

demque carnali *indeliberata* delectatione ad malum ſollicitati, in peccatum cadat, alter in bono perſeveret. *Si aliqui duo*, inquit ille, *æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua viſa, unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala? Quæ illam res fecit, in quo facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis; nam eam non fecit in ambobus; quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit adſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? cur non & illius? An vero animus? cur non utriuſque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni, & qualicumque ſuaſioni propria voluntate conſenſerit? Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam male ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat, alter idem qui fuerat, perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio? Ambo-rum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo; ambobus pariter inſtitit occulta tentatio; propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit, ſcire volentibus, ſi bene intueantur, nihil occurrit* (72). Falſum eſt igitur, hæc ſi vera ſint, voluntatem noſtram neceſſario, veluti ex lege mechanica, obſequi validiori indeliberatæ delectationi, *terrenæ*, vel *cœleſti*, & ſecundum

(72) Lib. 12. *de Civitate Dei* cap. 6.

dum illam operari. Huic quippe legi ſi voluntas noſtra in operando ſubjiceretur, profecto vel uterque, vel neuter duorum illorum hominum, quos S. Auguſtinus aſſumit, in malum cadere, vel in bono perſeverare, contra prorſus ac ipſe docet, certiſsime poſſet. Carnalis enim cupiditatis delectatio, qua S. Doctor eos ponit æque a demone ſollicitari, vel *major* eſt cœleſti delectatione gratiæ, qua eorum voluntas itidem ex æquo, ut ille ſtatuit, affecta eſt, vel eſt illi *æqualis*, vel *minor*. Si *major*: nemo non videt neceſſario futurum, ut ambo illi homines peccent. Uterque enim validiori delectationi obſequatur, neceſſe eſt. Si *æqualis*: perſpicuum eſt fore, ut vel peccet uterque, vel uterque ſuſpenſus hæreat. Si *minor*: inficiabitur nemo, utrumque, quod juſtum eſt, neceſſario operaturum. Itaque vel male ſibi conſuluit S. Auguſtinus, dum in illa ſua hypotheſi poſsibile cenſuit, ut alter duorum illorum hominum perſeveret in bono, alter non perſeveret, ſed in peccatum ruat, idque culpa propriæ voluntatis; vel fallitur, quiſquis cum Janſenio ſibi perſuadet, S. Auguſtinum loqui de *indeliberata delectatione*, dum dixit, *neceſſarium eſſe, ſecundum id operemur, quod amplius delectat*. Primum certe nemo cordatus dicet. Ergo &c.

SCHOLION.

212. Reſpondet Janſenius, S. Auguſtinum in laudato duorum hominum exemplo non loqui *de lapſæ naturæ ſtatu, ſed de ſtatu innocentiæ hominum, & angelorum, in quibus prima voluntas mala, & bonæ voluntatis permanſio non ex adjutorii, ſed ex voluntatis diverſitate naſcebatur* (73). Sed quam abſurda

(73) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 33.

Digitized by Google

da ſit hæc reſponſio, & ab Auguſtini mente aliena, vel levi adhibita conſideratione videtur perſpicuum. *Primo* etenim in ſtatu innocentiæ non duo, ſed unus tantum homo fuit, qui *unius corporis* (ſcilicet fœminei) *pulchritudinem* videre potuerit. *Secundo*: loquitur S. Doctor de ſtatu, in quo viſione fœmineæ pulchritudinis poteſt homo ad illicitam voluntatem excitari. Hunc autem non fuiſſe ſtatum innocentiæ, *perſpicuum argumentum eſt*, ipſomet docente Janſenio, *quod cum oculis corpus eorum nudum quotidie ſubjiceretur, nullo inquieto ſtimulo, vel ardore ſive in animo, ſive in corpore concitati ſint* (74). Quomodo ergo, ſi de ſtatu innocentiæ loqueretur, dicere poterat S. Auguſtinus: *qua viſa* (fœminæ pulchritudine) *unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret*? Tertio: loquitur Auguſtinus de ſtatu, in quo homo carnali concupiſcentiæ obnoxius eſt. Ait enim: *an caro intuentis in cauſa eſt*, quamobrem alter peccet? Nullam autem in ſtatu innocentiæ fuiſſe carnalem cupiditatem, qua homo ad malum excitaretur, non inficiabitur nec ipſe Janſenius; quippe qui aperte docet, *peccatum primi hominis ſine delectatione præcedente perpetratum eſſe*; idcirco quia *delectatio prima ſecuta ſit perverſam voluntatem, non voluntas delectationem* (75). Demum de eo ſtatu loquitur S. Auguſtinus, in quo per internam demonis ſuggeſtionem homo tentaretur. *An*, inquit, *dicendum eſt, alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione fuiſſe tentatum*? Hunc autem tentandi modum non habuiſſe locum in ſtatu innocentiæ, teſtatur idem S.

(74) Lib. *de Gratia primi hominis* cap. 3.
(75) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 9.

Digitized by Google

S. Doctor ; neque Janſenius ipſe diffitetur. Ille quippe docet, *non eſſe permiſſum* diabolo *tentare fœminam, niſi per ſerpentem*; *nec virum, niſi per fœminam* (76). Hic vero tentationem eam primam appellat *extrinſecus ſolo verbo pulſantem tentationem* (77). Adeo abſurda eſt igitur illa reſponſio, ut ne ipſe quidem Janſenius adoptare eam poſſit, quin non ſolum S. Auguſtino, verum & ſibimetipſi apertiſsime contradicat.

VI.

213. *Sexto*: Memorata S. Auguſtini verba de ea *delectatione* intelligenda ſunt, quæ neceſsitatem infert operandi, quin libertas arbitrii vel minimum lædatur. Etenim, ſi ſecus, dicendum foret, S. Auguſtinum eo loci ſentire contra veritatem catholicæ fidei, & ſecum ipſe pugnare; dum ſexcentis aliis in locis, ut patebit, *arbitrii libertatem* contra Manichæos adſtruit, invicteque defendit. Conſtat autem, cum *neceſſitate* operandi ſecundum id, quod magis delectat, non ſtare *libertatem arbitrii*, ſed eam lædi, penituſque convelli, ſi de *indeliberata delectatione* dictum illud intelligatur. Contra vero *libertatem* ipſam cum *neceſſitate* componi, ſi intelligatur de *delectatione deliberata*, utpote quæ *conſequentem* dumtaxat *neceſſitatem* infert. Ergo de *delectatione deliberata*, non autem de *delectatione indeliberata*, quemadmodum Janſenius falſo contendit, dictum illud S. Auguſtini eſt a nobis intelligendum.

VII.

(76) Lib. 11. *ſuper Geneſim* n. 34. *alias* cap. 27.
(77) Lib. *de Gratia primi hominis* cap. 21.

Digitized by Google

VII.

214. Certum poſtremo eſt, laudatum S. Auguſtini teſtimonium de *deliberata delectatione* poſſe intelligi. Delectare quippe dicitur, non ſolum quod *indeliberate* nobis ſuave ſe prodit, verum etiam quod nobis *libere* placet, & *deliberate* diligitur. Velle igitur nequeunt Janſeniani, ut potius de *indeliberata*, quam de *deliberata delectatione* teſtimonium illud intelligatur, niſi rationem afferant, cur de una potius, quam de alia *delectatione* illud ſit intelligendum. Neque enim ſufficit, *ipſos dixiſſe*, ut ab omnibus admittatur tamquam verum, ipſi quod dicunt. Adhuc autem deſideratur ratio, qua illi evincant, laudatum S. Auguſtini teſtimonium non de *deliberata*, licet poſsit, ſed de *indeliberata delectatione* intelligi oportere. Ergo non adeo neceſſario de *delectatione indeliberata* intelligendum illud eſt, ut de *deliberata* intelligi jure non poſsit. Jam vero ſi hoc, merito dici nequit, Janſenii ſyſtema habere fundamentum in S. Auguſtino. Qua enim fronte id dici poteſt, ſi plane incerta res ſit, S. Auguſtini eſſe principium, cui illud potiſsimum innititur, imo ſi validæ conjecturæ non deſunt, quibus oppoſitum ſuadeatur? Stat igitur, Janſenii ſyſtema non habere fundamentum in S. Auguſtino.

SCHOLION.

215. Oleum operamque perdit, quiſquis alia quærit S. Auguſtini teſtimonia, ut evincat de *indeliberata delectatione* illum loqui, cum *neceſſarium eſſe* dixit, *ſe-*

Digitized by Google

ſecundum id operemur, quod amplius nos delectat. Cum enim Janſenius ipſe, qui *decies & amplius univerſa Opera Auguſtini attentione acri, adnotatione diligenti; libros vero contra Pelagianos facile trigeſies a capite ad calcem evolviſſe* dicitur (78), fateatur (79), ut alio etiam loco monuimus, laudatum S. Auguſtini teſtimonium eſſe *clariſſimum, & præclariſſimum*, ex illo *pleniſſime* capi Auguſtini mentem, ex eoque demum *manifeſtiſſima* & *reſolutiſſima* ejuſdem *authoritate* definiri, quod, *tamquam ab eo exiſtimatum, & traditum*, hac ſuper re ipſe Janſenius docet, ſperandum ſane non eſt, id ex aliis S. Auguſtini teſtimoniis evidentius poſſe demonſtrari. Quod quidem animadvertere ſedulo ii quoque debent, qui duarum delectationum ſyſtema tuentur; ſi enim S. Doctor de indeliberata delectatione in illo teſtimonio nequaquam eſt intelligendus, non eſt cur Auguſtinianorum ſibi nomen adoptent.

PROPOSITIO III.

Janſenii ſyſtema nequit eſſe ſyſtema S. Auguſtini.
Probatur: Plura traduntur in ſyſtemate Janſeniano, quibus S. Auguſtinus manifeſte adverſatur.

I.

216. In illo ſiquidem docetur primo, humanam voluntatem neque circa bonum, neque circa malum liberam eſſe libertate *indifferentiæ*, ſeu *exercitii*, ſed tan-

(78) In ſynopſi illius vitæ, quæ ejus Operi Rothomagi edito anno 1652. præfixa eſt.
(79) Lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 6.

tantum libertate, quam vocant *a coactione*. Contra vero S. Auguſtini aperta ſententia eſt, voluntatem noſtram immunem eſſe in operando ab omni vinculo non tantum *coactionis*, verum etiam *inevitabilis neceſſitatis*. *Datum eſt enim*, inquit, *animæ* liberum arbitrium, *quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, uſque adeo* cœci *ſunt, ut ne iſta ipſa quidem vana, atque ſacrilega, propria voluntate ſe dicere intelligant* (80). Et alio loco: *voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porro quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quod habemus* (81). Exterminandum quoque eſſe ait *de hominum numero*, quiſquis exiſtimat, *monendum non eſſe hominem*, ut, inferioribus, ſeu terrenis neglectis, *æterna vellet adipiſci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene*. (82). Sentit ergo S. Auguſtinus, poſſe hominem & bene, & male operari, ſi velit; ac proinde ad neutram partem ita eſſe neceſſario determinatum, ut contrarium velle non poſsit. Etenim, ut ſcribit Evodius, quem eo loci alloquitur S. Doctor, *quis non clamet, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere* (83). Differens quoque contra Felicem Manichæum, *veritas dicit*, inquit S. Doctor, *omnia iſta, quæ videmus, & quæ non videmus, quæ naturaliter ſubſiſtunt, a Deo facta eſſe: in quibus rationalem creaturam etiam ipſam factam, ſive in Ange-*

(80) Lib. *de quantitate animæ* n. 80. *alias* cap. 36.
(81) Lib. 3. *de libero arbitrio* n. 8. *alias* cap. 3.
(82) Lib. 3. *de libero arbitrio* n. 3. *alias* cap. 1.
(83) Lib. *de Fide contra Manichæos*, S. Auguſtino olim adjudicato, cap. 10.

Digitized by Google

gelis , ſive in hominibus , *accepiſſe* liberum arbitrium: *quo* libero arbitrio *ſi Deo ſervire vellet ſecundum voluntatem ac legem Dei , haberet apud eum æternam felicitatem ; ſi autem legi ejus ſubdi noluiſſet , ſed* poteſtate *ſua* uſa *contra ejus feciſſet imperium, ſecundum ejus juſtitiam pœnæ debitæ ſubjaceret. . . . . Ecce autem* liberum arbitrium , *atque inde peccare quemque , ſi velit , non peccare , ſi nolit , non ſolum in divinis Scripturis, quas non intelligitis , ſed etiam in verbis ipſius Manichæi veſtri probo . . . . . Audi ergo de* libero arbitrio *primo ipſum Dominum, ubi duas arbores commemorat , quarum mentionem ipſe feciſti ; audi dicentem* ; aut facite arborem bonam , & fructum ejus bonum , aut facite arborem malam , & fructum ejus malum. *Cum ergo dicit* : aut hoc facite, aut illud facite , poteſtatem *indicat* , *non* naturam. *Nemo enim , niſi Deus , facere arborem poteſt ; ſed habet unuſquiſque in* voluntate , *aut eligere , quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona ; aut eligere , quæ mala ſunt , & eſſe arbor mala ; non quia mala ipſa , quæ eliguntur, aliquam habeant in ſeipſis ſubſtantiam ; ſed quia Deus omnia , quæ condidit , gradibus ſuis condidit , generibuſque diſtinxit , cœleſtia , atque terrena , immortalia, atque mortalia , & omnia bona in ſuo genere condidit: animam habentem* liberum arbitrium *ſub ſe ipſo , & ſuper cetera collocavit , ut ſic ſerviret ſuperiori , dominaretur inferiori ; ſi autem offenderet ſuperiorem, pœnam ex inferiore ſentiret. Hoc ergo Dominus dicens*: aut facite hoc , aut facite illud , *oſtendit* eſſe in poteſtate , *quid facerent. . . . . . Audi ergo jam quemadmodum Manichæus ipſe tam perverſus , tam ſuperbus . . . . . . confeſſus ſit , eſſe* liberum arbitrium. *In theſauro veſtro , cui tale nomen ad decipiendos homines indi-*

T *diſtis ,*

diſtis, *certe ſic loquitur*, *quod & tu ipſe cognoſcis*. Hi vero, qui negligentia ſua a labe prædictorum ſpirituum purgari ſe minime permiſerint, mandatiſque divinis ex integro parum obtemperaverint, legemque ſibi a ſuo liberatore datam plenius ſervare noluerint, neque, ut docebat, ſeſe gubernaverint &c. *Vides*, *in his verbis confirmatum eſſe etiam a neſciente*, *quid loqueretur*, liberum arbitrium. *Qui enim ſervare legem non vult*, *in poteſtate ejus eſt*, *ſi velit*. *Non enim dixit* : non potuerint, *ſed* noluerint. *Hoc certe quod nolunt ſervare legem*, *non a gente tenebrarum coguntur*; *ſi enim coguntur*, *non nolunt*, *ſed non poſſunt* ; *ſi autem nolunt*, *non utique coguntur*, *ut non faciant*, *ſed voluntate ſua nolunt*. *Hoc ergo quod in eorum voluntate eſt*, *ut nolint*, *peccatum eſt certe ſine aliqua neceſſitate gentis tenebrarum* (84). Non eſt autem, cur aliquis opponat, ut validiſsimi argumenti vim declinet, S. Auguſtinum hoc loco argumentari *ad hominem*, ut dicitur, nempe ex datis ab Adverſario. Etenim Manichæi non admittebant *liberum arbitrium*, ſed negabant, ut Auguſtinus ipſe teſtatur (85). Præterea vel perſuaſum erat S. Auguſtino, dari in homine *liberum arbitrium*, nempe in *libera* illius eſſe *poteſtate* agere & bene, & male, vel non. Si id perſuaſum habebat S. Doctor, jam vicimus ; nec enim aliud hoc loco oſtendere, nobis in animo eſt, niſi *liberum arbitrium* ab S. Auguſtino fuiſſe admiſſum. Si non : eccur S. Doctor nititur, ex ipſa etiam divina Scriptura *liberum arbitrium*, quod non admittebat, demonſtrare ? Nam, ſi quod ille affert

(84) Lib. 2. *de Actis cum Felice Manichæo* cap. 3., 4. & 5.

(85) Lib. *de Hæreſibus* n. 46.

affert de arbore bona, & mala Evangelicum teſtimonium evincit, dari in homine arbitrii libertatem, hanc negare non debuit, ne peccaret contra cognitam veritatem. Si vero non evincit: illo uti, utpote Vir ingenuus, non debuerat, ne Adverſarios ſuos fallere diceretur. Non me latet, quod reſpondet Calvinus, nempe S. Auguſtinum tunc loqui de arbitrio hominis non lapſi, ſed innocentis. Verum, ut egregie arguit doctiſsimus Bellarminus, *hæc jam eſt intolerabilis impudentia; cum Auguſtinus dicat, eſſe liberum arbitrium, & unumquemque (non ſolum igitur Adamum) inde peccare, ſi velit, non peccare, ſi nolit; & id probet ex teſtimonio Evangelii, quod non ad Adamum, ſed ad Judæos a Domino dictum erat; & denique, cum Auguſtinus adverſus Manichæos diſputet, non de Adami peccato, ſed de noſtris, quæ illi negantes, liberum arbitrium excuſare, & in principem quendam tenebrarum referre ſolebant* (86). Ceterum quod ſcripſerat S. Doctor, contra Manichæos rem agens, repetit confirmatque differens contra Pelagianos. Etenim, *quid illud*, inquit, *quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri jubet Deus, quomodo jubet, ſi non eſt* liberum arbitrium? *Quid beatus ille, de quo Pſalmiſta dicit, quod* in lege Domini fuit voluntas ejus, *nonne ſatis indicat, voluntate ſua hominem in lege Dei conſiſtere? Deinde tam multa mandata, quæ ipſam quodam modo nominatim conveniunt voluntatem, ſicut eſt*: noli vinci a malo...... *& innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid oſtendunt, niſi* liberum arbitrium *voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis, & Apoſtolicis, quid aliud oſtendi-*
 tur,

(86) Lib. 5. *de Libero arbitrio* cap. 27.

tur , ubi dicitur : Nolite vobis condere theſauros in terra. . . . . Nolite diligere Mundum , *& cetera hujuſmodi , nempe ubi dicitur* : Noli hoc , *&* noli illud, *& ubi ad aliquid faciendum , vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur , ſatis* liberum *demonſtratur* arbitrium. *Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo , ſed ſibi imputet quiſque , cum peccat* (87). Cæcutiat itaque oportet , quiſquis hæc conſiderans , dicere cum Janſenio minime vereatur , non aliam ab S. Auguſtino admiſſam in nobis eſſe libertatem , niſi *a coactione , omnemqve omnino voluntatem quantumcunque ad unum determinatam , nulla tali neceſſitate , qua dicitur , neceſſe eſſe , ut velit , deſinere eſſe liberam* (88) ; ac proinde libero humanæ voluntatis arbitrio *ſola neceſſitatem* coactionis *eſſe contrariam* (89).

SCHOLION I.

217. Hiſce tamen , ceteriſque omnibus , quæ pro libertate *a neceſſitate ſimplici* afferri poſſunt ex S. Auguſtino , teſtimoniis , reſpondens Janſenius , ait , enormiter illos omnes aberrare , qui ex ipſis probant *ad libertatem arbitrii requiri indifferentiam , & abeſſe debere neceſſitatem* ; cum ſcilicet (pergit ille) *non tantum ex uſu vocis* neceſsitas , *quem apud Auguſtinum , & veteres Scriptores habet , ſed ex ipſa contextus evidentia, perſpicuum ſit , eum de* neceſsitate coactionis *loqui* (90); ipſum-

(87) Lib. *de Gratia & libero arbitrio* num. 4. *alias* cap. 2.

(88) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 6.

(89) Lib. 7. *ejuſdem* cap. 3.

(90) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 6.

Digitized by Google

ipſumque perpetuo conſtanterque ſentire, *omnem omnino voluntatem quantumcunque ad unum determinatam, nulla tali neceſſitate, qua dicitur*, neceſſe eſſe, ut velit, *deſinere eſſe liberam, quia non deſinit eſſe voluntas* (91). Verum enimvero tantum abeſt, eos errare, qui putant contenduntque, non tantum *neceſſitatem coactionis*, ſed etiam *neceſſitatem ſimplicem* ſecundum S. Auguſtinum repugnare *libertati*; ut ipſe potius Janſenius turpiſsime, contra ſentiendo, ab Auguſtini mente deflexerit. In primis namque, certum ac prorſus perſpicuum puto, S. Auguſtinum eam in humana voluntate admiſiſſe & propugnaſſe libertatem, quam Manichæi eidem denegabant. Patet ex libris omnibus, quos ille contra Manichæos ſcripſerat. Manichæi autem non negabant in homine libertatem *a coactione*, ſed tantum, quæ dicitur *a ſimplici neceſſitate*. Ut enim egregie, ac veriſsime contra Calvinum ſcripſit doctiſsimus Tapperus, *hanc voluntatis libertatem, quæ* coactionem *excludit, & externum motum, quo violenter trahitur voluntas, nec Manichæi, nec Valla, nec alii hæretici negaverunt. Noverunt enim, inſeparabilem eſſe a voluntate. Non enim docebat Manichæus, quod voluntas violenter externo motu invita trahitur ad bonum, vel malum; ſed quod homo ex parte, quam a malo habeat principio, ſponte ſua, & voluntate ferebatur in malum; parte vero alia, quæ a Deo eſt, in bonum; ſed neceſſario, ita ut ſecundum illam bonum eligere non poſſit, nec malum ſecundum iſtam* (92). Ergo non ſolam libertatem *a coactione*, ſed etiam libertatem *a neceſſitate ſimplici*, S. Auguſtinus in voluntate

 ad-

(91) Ibidem.
(92) Artic. 7.

admiſit, & propugnavit. *Secundo* : certiſsime conſtat, S. Auguſtinum in notione *liberi arbitrii*, re, & nomine cum Pelagianis conſenſiſſe. Juliano ſiquidem objicienti, *Cœleſtianum*, & *Pelagianum* vocari a catholicis, *ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit* (93), reſpondet S. Auguſtinus, non ita eſſe, ut ille loquebatur. *Multum falleris*, inquit, *vel fallere meditaris* : *non liberum negamus arbitrium....... liberum in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, utrique dicimus* : *non hinc eſtis Cœleſtiani, & Pelagiani* : *liberum autem eſſe quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, & non erui parvulos a poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis* : *hinc eſtis Cœleſtiani, & Pelagiani* (94). Eadem ergo fuit S. Auguſtino, quæ Pelagianis *liberi arbitrii* notio. Etenim, ut egregie obſervat Cl. P. Dechamps, *ſi in voce tantum conveniunt, re autem ipſa, & ſubjecta verbo notione diſsident, fallitur ipſe S. Auguſtinus, cum ait, utriſque commune eſſe liberi arbitrii dogma*; *ſiquidem ſolum nomen commune eſt, nec dicere debuit* : liberum in hominibus eſſe arbitrium, utrique dicimus; *ſed potius* : liberi arbitrii nomen utrique retinemus (95). Jam vero certum eſt, Pelagianos in libertate *a neceſsitate ſimplici* liberum arbitrium poſuiſſe, ſive pro comperto habuiſſe, hominem hac libertate in operando pollere. Patet, ut prætercam alios, ex

(93) Lib. 2. *de Nuptiis, & concupiſcentia* n. 7. *alias* cap. 3.

(94) Loco citato n. 8.

(95) Lib. 3. *de Hæreſi Janſeniana* Diſp. 2. cap. 17. n. 3.

ex ipſo Janſenio. Ait enim, eos *in hoc libertatem arbitrii eſſentialiter collocaſſe unanimiter, quod homo habeat, ut ipſi loqui ſubinde ſolent, ut* ſuopte jure, in ſuaque poteſtate, *utramlibet partem ſequi* (96). Ergo liberum arbitrium, etiam S. Auguſtini judicio, in libertate *a ſimplici neceſſitate* conſiſtit. Poſtremo (idque mihi, niſi vehementer fallar, plane decretorium argumentum eſt) eam libertatem ineſſe homini, ſenſit S. Auguſtinus, quam difficillimum eſt cum efficacia divinæ gratiæ conciliare. Patet ex ipſomet S. Doctore. *Iſta quæſtio*, inquit, *ubi de* libero arbitrio *voluntatis, & de Dei* gratia *diſputatur, ita eſt ad diſcernendum* difficilis, *ut quando defenditur* liberum arbitrium, *negari Dei* gratia *videatur; quando autem aſſeritur Dei* gratia, liberum arbitrium *putetur auferri* (97). Et alibi: *Ipſa etiam ratio, quæ de iis rebus a talibus, quales ſumus, iniri poteſt*, quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat, *ne ſic defendamus* gratiam, *ut* liberum arbitrium *auferre videamur; rurſus ne* liberum *ſic aſſeramus* arbitrium, *ut ſuperba impietate, ingrati Dei gratiæ judicemur* (98). Ad Valentinum quoque ſcribens, quæſtionem hanc vocat difficillimam, & paucis intelligibilem (99). Jam vero ſicuti difficillimum intellectu eſt, quomodo in voluntate efficaciter operetur gratia, quin illa deſinat eſſe libera *libertate a ſimplici neceſſitate*; ita ex adverſo illud eſt intellectu facillimum, ſi non alia tunc in voluntate ſalvanda ſit *libertas*, niſi quæ *coactionem, vim*, atque *violentiam* excludit. *Quis enim*, inquit Cl. P. Dechamps, *non intelli-*

T 4 *git,*

(97) Lib. *de Gratia Chriſti* n. 52. *alias* cap. 47.
(98) Lib. 2. *de peccat. meritis* n. 28. *alias* cap. 18.
(99) Epiſt. 214. & 215. *alias* 46. & 47.

Digitized by Google

git, gratiam Dei poſſe eſſe victricem, *& effectum ſuum* certo *conſequi, quamvis eam voluntati* coactionem *non imprimat, quam impoſſibilem fatentur omnes, quamque nec ipſis brutorum appetitionibus inferri poſſe, Philoſophi pariter ac Theologi pronuntiant? Quis vel hac tempeſtate, in qua leviſſimæ difficultates excutiuntur, operoſe, & litigantium Theologorum argumentis in abditiſſima plerumque myſteria abeunt, diſputandum ea de re laborioſius putavit? Tam certum eſt iſtud, tamque perſpicuum, ut vel ipſi Philoſophiæ tirones in hac* libertate *cum* Dei gratia *componenda ne leviſſimam quidem difficultatis umbram ſuſpicentur; & perſuadebunt Adverſarii, S. Auguſtinum, Doctorum omnium aquilam, ac veluti ingeniorum apicem, in hac difficultate caligaſſe, eamque* difficillimam, a paucis intelligibilem, *&* quemlibet noſtrum vehementer anguſtantem *appellaſſe, quam nec Theologi vocant in quæſtionem, quamque nullo negotio diſſolvunt, qui primis Philoſophiæ elementis initiantur* (100). Ergo de neceſsitate *coactionis* non loquitur S. Auguſtinus, cum de ea neceſsitate diſſerit, quæ, ejus judicio, conſtantique ſententia, humani arbitrii lædit libertatem; ſed eam *neceſsitatem* tunc perpetuo intelligit, qua voluntas ita ad unum determinatur, ut, licet non invita, neque reluctans, ſed delectabiliter, & cum complacentia illud faciat, contrarium tamen velle non poſsit. Hinc

COROLLARIUM.

218. Plane ad evidentiam conſtare dicendum eſt, *S. Auguſtinum loqui de* deliberata delectatione, *cum ne-*

(100) Lib. 3. *de hæreſi Janſeniana* diſp. 3. cap. 3. n. 3.

Digitized by Google

neceſſarium eſſe dixit, *ſecundum id operemur*, *quod amplius nos delectat*. Si namque *delectationem indeliberatam* eo loci intelligeret, ea in voluntate non ſtaret libertas, quam ſexcentis in locis ipſe deinde aſſerit, aperteque propugnat.

SCHOLION II.

219. Nihil negotii faceſſere nobis debet, Julianum Pelagianum objeciſſe S. Auguſtino, *ad quem modum liberetur voluntas*, *ut bonum ſemper velle cogatur* (101)? Neque enim inferre inde licet, perſuaſum fuiſſe Pelagianis, ideo lædi humanam libertatem per gratiam, quia hæc voluntatem ad bonum volendum cogat; & ex adverſo S. Auguſtinum totum in eo fuiſſe, ut contra illos oſtenderet, ideo gratiam non officere libertati, quia voluntas a gratia non cogatur. Id ergo ne cui negotium faceſſat, obſervetur velim, *coactionem* ſumi a Pelagianis non pro *vi*, ſeu *violentia*, quæ inferatur voluntati, ſed pro *ſimplici neceſſitate*, qua voluntas ita ad unum determinatur, ut contrarium velle non poſsit, quamvis quod hoc modo neceſſario vult, non velit invita. Patet ex ipſo Janſenio. Fatetur enim, quod & pluribus probat, *ſimplicem neceſſitatem* vocari *coactionem* a Juliano. *Non enim*, inquit, *tam intelligit* (Julianus) *coactionem proprie dictam*, *quæ fit renitente voluntate*, *quam illam ad unam partem addictionem*, *ſive captivitatem*, *qua liberum arbitrium nonniſi bonum*, *vel nonniſi malum velle poſſe diceretur*, *ſive voluntate ſua reniteretur*, *ſive non* (102). Et infra ait, Ju-

(101) Lib. 1. *operis imperfecti* n. 101.
(102) Lib. 2. *de hæreſi Pelagiana* cap. 1.

Julianum interpretem ſui factum, *coactionem, neceſſitatemque conjunxiſſe, cum dixit, eſſe poſſibilitatem illam* (agendi ſcilicet tam bene, quam male, in qua conſiſtit libertas voluntatis) *expertem cogentis neceſſitatis, utpote quæ in ſuopte jure habet, utram ſuggerentiæ partem ſequatur* (103). Neque ſecus, fatetur, ipſum etiam Pelagium ſenſiſſe. *Is enim*, inquit, *omnia confundens & naturam, & violentiam, & aſtrictionem, & neceſſitatem, & immutabilitatem actionis bonæ, ſatis ſuperque docet, hoc ſe vocare coactionem, quæ ad unam ſive boni, ſive mali partem affigit, itaut ad contrarium, ut ipſe latius diducit, tranſire non poſſit* (104). Nihil ergo Janſenium juvat, *coactionis* vocabulum a Pelagianis, atque adeo & a S. Auguſtino, dum contra illos rem agit, uſurpari; cum ſcilicet certum ſit, ipſomet Janſenio id confirmante, eos non *vim*, non *violentiam*, ſed *ſimplicem neceſſitatem*, *coactionis* nomine, intellexiſſe. Quod ſi penitius res hujuſmodi inſpiciatur, non dubito, omnes facile conceſſuros, ex relatis Janſenii verbis ſatis validum argumentum contra illum poſſe deduci. Sic enim arguitur: Fatetur Janſenius, Julianum Pelagianum, nomine *coactionis*, quæ humani arbitrii libertatem evertit, *non tam coactionem proprie dictam, quæ fit, renitente voluntate, quam illam ad unam partem addictionem, qua liberum arbitrium nonniſi bonum, vel nonniſi malum velle poteſt*, nempe *ſimplicem neceſſitatem*, intellexiſſe. Igitur ſecundum Janſenium ad libertatem arbitrii duo requirebant Pelagiani, immunitatem ſcilicet a *coactione* proprie dicta, & immunitatem a *ſimplici neceſſitate*; & hinc eſt, Ju-

(103) Lib. 2. *de hæreſi Pelagiana* cap. 1.
(104) Ibidem.

Digitized by Google

Julianum, ut ille ſcripſit, *coactionem*, *neceſſitatemque* in voluntate conjunxiſſe. Ergo ad componendam arbitrii libertatem cum gratia, ſatis haudquaquam eſſe poterat, ut contra Pelagianos oſtenderet Auguſtinus, voluntatem a divina gratia non cogi; ſed inſuper demonſtrare ille debuerat, voluntatem ipſam non ita a gratia determinari, ut contrarium velle nequiret. Perſpectum autem S. Auguſtino id non fuiſſe, neminem profecto dicturum ſpero. Ergo falſum eſt, ſententiam fuiſſe Pelagianorum, libertatem voluntatis lædi, penituſque tolli, poſita gratia, quia illa ad bonum cogeretur; & S. Auguſtinum non aliter liberum arbitrium contra Pelagianos propugnaſſe, niſi demonſtrando, humanam voluntatem a gratia non cogi. Itaque

COROLLARIUM.

220. Audiendus non eſt Janſenius, dum ait, *ex omnibus Pelagianorum objectionibus de* liberi arbitrii *ſubverſione per Dei gratiam conquerentibus, & Auguſtini reſponſionibus nihil evidentius eſſe poſſe, quam Pelagianos non aliter putaſſe, libertatem voluntatis violari, niſi quia Deus per gratiam totum ſolus faceret, adeoque hominem invitum & reluctantem ad bonum cogeret; nec aliter Auguſtinum* liberum arbitrium *defendere, &* concordiam *utriuſque tradere, niſi quia non ſola in homine operatur, ſed etiam voluntas ex nolente & repugnante ſit volens, & volenda cum gratia aliquid facit* (105). Nihil enim, ut ſatis conſtat ex hactenus traditis, magis falſum eſt, quam Pelagianos *non aliter putaſſe, libertatem voluntatis violari* per gratiam, niſi quia

(105) Lib. 8. *de Gratia Chriſti* cap. 5.

quia *hominem invitum & reluctantem* illa *ad bonum cogeret.* Nihil magis abſurdum, quam S. Auguſtinum in demonſtranda re notiſsima, neque a Pelagianis in dubium verſa (nempe humanam voluntatem divina gratia non cogi) operam ſtudiumque ſuum collocare voluiſſe.

SCHOLION III.

221. Pauca quoque de famoſo illo S. Auguſtini teſtimonio dicenda ſunt, quo adeo manifeſte conſtare putat Janſenius, ſolam neceſsitatem *coactionis* ejuſdem S. Doctoris judicio, officere humani arbitrii libertati, *ut nulla*, inquit ipſe, *tergiverſatione eludi poſſe videatur* (106). Quærens itaque laudatus S. Doctor, *an voluntatibus hominum aliqua dominetur neceſsitas*, ait, *ſi neceſsitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolimus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſsitas mortis, manifeſtum eſſe, voluntates noſtras, quibus recte, vel perperam vivitur, ſub tali neceſsitate non eſſe.* Contra vero, *ſi illa definitur neceſsitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio*, inquit, *cur eam timeamus* (107). Contendit ergo Janſenius, neceſsitatem primam, quam hic diſtinguit S. Auguſtinus, eſſe *coactionis*; alteram eſſe eam ipſam, quæ vulgo *neceſsitas ſimplex* nuncupatur, nempe qua voluntas ita determinatur ad unum, ut contrarium velle non poſsit. Infert propterea, docere S. Auguſtinum *clariſsimis verbis*, neceſsitatem illam primam, *ſcilicet coactionis*, *repugna-*

(106) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(107) Lib. 5. *de Civitate Dei* cap. 10.

Digitized by Google

pugnare libertati, *iſtam* vero *minime*, adeo nimirum, ut prima ſubmota, *nullam aliam timeat libertati voluntatis*, *quantumvis dicatur eſſe neceſſarium*, *ut velimus* (108). Verum enimvero quantum ab Auguſtini mente alienus hoc loco ſit Janſenius, hac una, ut alias omittam, ratione oſtenditur. Certum eſt, neceſsitatem, ſub qua S. Auguſtinus negat eſſe voluntates noſtras, *quibus recte*, *vel perperam vivitur*, eſſe illam, quam voluntati imponi dicebat Tullius, admiſſa in Deo præſcientia futurorum. Ipſomet ſiquidem fatente Janſenio, in libro 5. *de Civitate Dei*, ex quo illud teſtimonium ſumtum eſt, *adverſus cujuſvis fati*, *aut præſcientiæ neceſsitatem arbitrii*, *& voluntatis libertatem ex profeſſo aſſerit*, *ac tuetur* Auguſtinus (109). Certum eſt autem, neceſsitatem, quam, admiſſa futurorum præſcientia, Cicero formidabat, non fuiſſe *neceſsitatem coactionis*. Omiſſo namque, nimis indignum eſſe tanto Viro, qualis erat Tullius, vel leviſsime ſuſpicari, Deum præſcire non poſſe, qui futuri ſint actus voluntatis, quin ad illos eliciendos ipſam non determinet tantum, ſed etiam cogat, quis non videt, Tullium habere pro comperto non potuiſſe, voluntatem noſtram neceſſario, *neceſsitate ſimplici*, agere motus ſuos, quin deinde negando in Deo horum motuum præſcientiam, ſibi apertiſsime adverſaretur? Nonne enim admittit, *qui ſiderum curſus*, *& motus numeris perſequuntur*, ea prædicere, *quæ natura neceſsitas perfectura eſt* (110)? Nonne fatetur, Apollinem *futura poſſe dicere ea*, *quorum*

(108) Loco citato.
(109) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 6.
(110) Lib. 2. *de Divinatione* cap. 6.

rum cauſas natura ita continet , ut ea fieri , neceſſe ſit (111)? Qua ergo fronte, hæc ſi vera ſint, negare ille in Deo potuit præſcientiam futurorum actuum voluntatis, ne liberum arbitrium negare cogeretur, ſi jam perſuaſum illi fuiſſet, quod docet Janſenius, videlicet *omnem omnino voluntatem quantumcunque ad unum determinatam, nulla tali neceſsitate , qua dicitur neceſſe eſſe, ut velit , deſinere eſſe liberam , quia non deſinit eſſe voluntas* (112)? Dicendum itaque, non *coactionis,* ſed *ſimplicem* eam eſſe *neceſsitatem* , quam ſequuturam in voluntate formidabat Cicero ex præſcientia futurorum; & ideo ratum illi fixumque fuiſſe, liberum voluntatis arbitrium cum illa neceſsitate , adeoque cum divina præſcientia , ſi daretur, componi non poſſe, ac proinde S. Auguſtinum loqui de *neceſsitate ſimplici,* non vero de *neceſsitate coactionis*, dum ait, voluntates noſtras, *quibus recte , vel perperam vivitur* , ſub tali neceſsitate non eſſe, *quæ, etiamſi nolimus , efficit quod poteſt*; loqui vero de *neceſsitate conſequente*, dum, neceſsitatem illam minime a nobis timendam eſſe, ait, *ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe , ut ita ſit aliquid, vel ita fiat*, quemadmodum nempe fuit a Deo præviſum.

II.

222. Traditur *ſecundo* in ſyſtemate Janſeniano, quædam a Deo præcipi, quæ non ſolum infidelibus, obduratis, & excœcatis , verum etiam fidelibus , & juſtis ſunt quandoque obſervatu impoſsibilia , quatenus ea gratia non ſemper illis tribuitur, ſine qua impoſsibile eſt,

(111) Lib. *de fato* cap. 14.
(112) Lib. 6. *de Gratia Chriſti* cap. 6.

Digitized by Google

eſt, mandata ipſa impleantur. Contrarium autem docet S. Auguſtinus. Inquit enim: *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere, quod poſsis, & petere, quod non poſsis* (113). Et infra: *eo ipſo*, inquit, *quo firmiſsime creditur*, Deum juſtum & bonum impoſsibilia non potuiſſe præcipere, *hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficillibus quid petamus* (114). Pluribus quoque præmiſsis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, certiſsime nobis conſtare ait, *nec Deum aliquid* impoſsibile *homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe; ac per hoc poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus a Deo* (115). Unde alio loco, *nemo*, inquit, *Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, cum peccat* (116). *Neque enim imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi* impoſsibile *judicaret, ut hoc ab hominibus fieret* (117). Conſtans præterea S. Auguſtini ſententia eſt, neminem a Deo deſeri, niſi ipſe primo ab homine deſeratur. *Medicus homo*, inquit S. Doctor, *cum ſanaverit hominem, jam de cetero ſuſtentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat, Deo dimittit...... Ipſe autem Deus, cum per mediatorem Dei, & hominum hominem Jeſum Chriſtum, ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium; & cum ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non* deſerit, *ſi* non deſeratur, *ut*

pie

(113) Lib. *de natura & gratia* n. 50. *alias* cap. 43.
(114) Ibidem n. 83, *alias* cap. 69.
(115) Lib. 2. *de peccat. meritis* n. 7. *alias* cap. 6.
(116) Lib. *de Gratia & libero arbitrio* n. 4. *alias* cap. 2.
(117) Enarrat. *in Pſalm.* 56. n. 1.

pie ſemper juſteque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenisſime ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic & homo etiam perfectisſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolum ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus (118). Contra autem res fieret, adeoque pugnantia traderet Auguſtinus, ſi ſentiret, quod docet Janſenius, etiam fidelibus ſcilicet, & juſtis impoſsibilia interdum eſſe aliqua divina præcepta, quatenus Deus eam gratiam illis quandoque ſubtrahit, vel denegat, ſine qua impleri illa non poſſunt. Homo enim non deſinit eſſe juſtus, niſi quia non exequitur, quod jubet Deus, nec prius eſt, illum carere gratia, quam juſſa violare. Ergo nequit eſſe Auguſtini doctrina, Deum etiam fidelibus, & juſtis impoſsibilia quandoque præcipere, quatenus non ſemper ea illis adeſt gratia, per quam, quæ Deus ipſis jubet, implere poſsint. Equidem ſcio, Janſenium reſpondere, S. Auguſtinum loqui hoc loco non de *gratia actuali*, ſed de *gratia habituali*, ſeu *ſanctificante*, velle nempe Auguſtinum, *quod Deus neminem deſerit, ab eo diſcedendo, ipſa ſcilicet ſubtractione* juſtitiæ, *niſi homo prius Deum per inobedientiam deſerat* (119). At neque ignoro, Janſenium ita ſentire non poſſe, quin ſibimetipſi nequaquam conſentiat. Certum eſt enim, S. Auguſtinum toto libro *de natura & gratia*, ex quo illud ejuſdem teſtimonium deſumtum eſt, agere contra Pelagium, ut ex illius inſcriptione cuique fit manifeſtum. Certum eſt autem, ipſomet fatente Janſenio, nullam de *gratia habituali*, ſed tantum de

(118) Lib. *de natura & gratia* n. 29. *alias* cap. 26.
(119) Lib. 3. *de Gratia Christi* cap. 19.

Digitized by Google

de *actuali* Auguſtino fuiſſe, cum Pelagio, diſceptationem. Ait enim: *Hoc gratiæ divinæ adjutorium, quo in ſingulis actibus nos adjuvandos Auguſtinus confitetur, & a Pelagio, ſi vult eſſe chriſtianus, confitendum tradit, tamquam gratiam, de qua tota erat Eccleſiæ cum iſto hæretico diſceptatio, tam eſt perſpicuum, eſſe* actuale, *& jugiter ſuppeditandum a Deo, ut mirum ſit, a quoquam in dubium potuiſſe revocari* (120). Velle igitur nequit Janſenius, ut loco laudato loquatur S. Auguſtinus de *gratia habituali*, quin ſibi contradicat. Conſtat præterea, S. Auguſtinum loqui de gratia, qua homo niſi adjuvetur, *recte non poteſt vivere*, & per quam præſtat Deus, *ne peccemus*. Hanc autem non *habitualem* eſſe, ſed *actualem*, nemo non videt. Ergo perperam ad *gratiam habitualem* confugit Janſenius, ut vim argumenti, quo invictiſſime premitur, ipſe declinet.

SCHOLION.

223. Ut iis fiat ſatis, quæ ad impiam ſuam doctrinam, S. Auguſtini auctoritate, confirmandam ex illo affert obtruditque Janſenius (121), duo conſideremus oportet.

ANIMADVERSIO I.

224. Primum eſt, doctrinam fuiſſe Pelagianorum, omnia divina mandata per ſolas naturæ vires impleri a nobis poſſe. Putabant Pelagiani, inquit S. Auguſtinus, *ad divina mandata ſervanda & implenda,* nul-

(120) Lib. 2. *ejuſdem* cap. 16.
(121) Lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. 13.

nullo divino adjutorio nos egere (122), ſive ; *ut non peccemus, impleamuſque juſtitiam, poſſe ſufficere naturam humanam, quæ condita eſt cum* libero arbitrio (123). Erat autem potiſsima illorum ratio, quia Deus impoſsibilia non jubet. Etenim, ut ſcribit laudatus S. Doctor, *magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt : Non juberet Deus, quod ſciret, non poſſe ab homine fieri* (124); quaſi nempe verum id eſſe non poſſet, ſi quæ ille jubet, ſolius naturæ viribus homo implere nequiret. Cum itaque ait S. Auguſtinus, *Deum jubere aliqua, quæ non poſſumus*, loquitur de potentia implendi divina mandata, viribus ſolius naturæ. Fatetur quippe, aperteque dat Pelagianis, nemini ignotum eſſe, Deum non præcepturum, *quod ſciret, non poſſe ab homine fieri*; at ſimul addit, illum *ideo jubere aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus* (125); eoſque idcirco a nobis repellendos eſſe docet, *qui dicunt, accepto ſemel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus* (126). Verum ne pigeat Seraphicum Doctorem tantiſper audire. Quærens etenim, *pro quanto verbum illud habeat veritatem, quod nullus peccat in eo, quod non poteſt facere, vel vitare*: Reſpondet dicendum, *quod poſſe quid facere, vel vitare, dupliciter aliquis poteſt*; *quia* per ſeipſum ſine aliquo alieno ſuffragio poteſt illud, *ſicut aliquis poteſt* co-

(122) Epiſt. 178. *alias* 94. n. 1.
(123) Lib. *de Geſtis Pelagii* n. 61., *alias* cap. 35.
(124) Lib. *de Gratia & libero arbitrio* n. 32. *alias* cap. 16.
(125) Ibidem.
(126) Lib. 2. *de Peccatorum meritis* n. 6. *alias* cap. 5.

Digitized by Google

comedere, quando eſt ſanus, & habet cibum. Alio modo dicitur aliquis aliquid poſſe, non ſolum quia poteſt illud per ſe, & in ſe, *ſed quia poteſt* cum alio, *quod ſibi præſto eſt. Et hoc modo accipiendo* poſſe, *omne quod Deus præcipit, in noſtra poteſtate eſt; quia ipſe, qui præcipit, præſto eſt præbere gratiam adjuvantem, per quam poſſumus proficere. Alio modo accipiendo* poſſe, *non omne, quod præcipit, eſt in noſtra poteſtate; non tamen ex hoc excuſatur aliquis, ſicut ſi præciperet dominus ſervo, quod daret ſibi ad bibendum, & ipſe non haberet aquam, ſi poſſet eam acquirere, non excuſaretur; ſic & in propoſito intelligendum eſt. Primo modo accipiendo* poſſe, *ſive aliquis poſſit in ſe, ſive per divinum auxilium, intelligit Auguſtinus, & hoc inſinuat ejus verbum*: numquid quis peccat in eo, quod nullo modo evitare poteſt? *Et ſic intellexit etiam Hieronymus, cum dixit, illum eſſe anathema, qui dicit*, Deum præcipiſſe impoſsibile. *Pelagius autem accepit primo modo, & ideo erravit, & plus attribuit libero arbitrio, quam poſſit* (127). Hinc & Beda: *Qui dicit*, inquit, *Dominum non impoſſibile aliquid præcipiſſe, quia juſtus eſt, verum profecto dicit, ſi ad ejus reſpiciat* auxilium, *cui catholica vox ſupplicat*: Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum. *Si vero viribus animi ſui fidit, refellit eum veridica ejuſdem Conditoris ſententia, qua dicit*: Sine me nihil poteſtis facere (128).

(127) Super diſt. 28. Lib. 2. *Sententiarum* dub. 3.
(128) Lib. 1. *in Cantica* cap. 6. *prope finem*.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO II.

225. Alterum, quod hac in re obſervandum puto, eſt, divina præcepta dupliciter nobis eſſe aut dici poſſe poſsibilia, nimirum *proxime*, ſive *immediate*, & *remote*, ſeu *mediate*. Dicuntur *proxime*, ſive immediate nobis poſsibilia, cum nobis ea adeſt gratia, quæ requiritur, ut illa a nobis impleantur. Dicuntur vero poſsibilia tantum *remote*, ſeu *mediate*, cum eam quidem non habemus gratiam, quæ ad illa implenda requiritur; ſed eam tamen habemus, qua orare poſſumus, & illam a Deo impetrare. Tametſi ergo ſecundum S. Auguſtinum divina præcepta non ſemper nobis *proxime*, ſive *immediate* obſervatu poſsibilia ſint, ſemper tamen, cum inſtant, ſunt nobis *remote*, ſeu *mediate* obſervatu poſsibilia. Tunc enim ſi nobis non adſit gratia, qua *immediate* poſsimus, ea tamen nobis præſto eſt qua mediate valemus. *Præceptum*, inquit S. Doctor, *id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate faciamus; ſi autem nondum eſt in poteſtate, oremus, nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt impleamus* (129). *Scribens quoque ad Monachos Adrumetinos, intelligant*, inquit, *ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant.... quando autem non agunt .... orent ut quod nondum habent, accipiant* (130). Et alio loco ad eoſdem: *præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum: quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis* (nempe gratiæ) *ut addi ſibi quære-*

(129) Lib. 2. *contra Maximinum* cap. 14. n. 9.
(130) Lib. *de Corrept. & gratia* n. 4. *alias* cap. 2.

Digitized by Google

veret, *unde*, *quod jubebatur*, *impleret* (131). Dicebat propterea, Deum *impoſsibilia non jubere*, *ſed jubendo admonere*, *& facere quod poſsis*, *& petere quod non poſsis* (132). Et alibi eo ipſo, quo firmiſsime *creditur*, *Deum juſtum*, *& bonum impoſsibilia non potuiſſe præcipere*, *hinc nos admoneri*, *& in facilibus quid agamus*, *& in difficilibus quid petamus* (133). Ex quibus duo infert P. Dechamps, profecto non omittenda: *Primum eſt*, inquit ille, *inſulſa*, *ridicula*, *inepta fore hæc omnia teſtimonia*, *ſi valeat Janſenii opinio contendentis*, *eos*, *qui Dei mandatum violant*, *non modo per præſentes vires illud implere non poſſe*, *ſed nec per eaſdem orare*, *ſicut oportet*, *ut divinam opem impetrent*. *Nam illa S. Auguſtini teſtimonia*, *reſpectu ejuſmodi hominum*, *hunc ſenſum efficerent*: Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo admonet, ut faciant impoſsibilia, *admonet enim*, *ut vel faciant*, *quod jubet*, *vel orent*, *ſicut oportet ad vires impetrandas*. *Primum ex Janſenii ſententia eſt impoſsibile iis omnibus*, *qui divinis mandatis non obtemperant*; *quia ſecundum præſentes vires non poſſunt facere quod Deus jubet*. *Secundum quoque ex ejuſdem pariter opinione eſt illis pariter impoſsibile*; *quia per eaſdem vires non poſſunt orare*, *ſicut oportet*: *igitur Deus admonet*, *ut faciant quod eſt impoſsibile*. *Quis autem non videt*, *perinde abſurdum eſſe*, *qui ait*, Deum admonere, ut faciamus impoſsibilia, *ac qui docet*, Deum jubere impoſsibilia? *Altera obſervatio quæ manifeſte oſtendit*, *ex*

(131) Lib. *de Gratia*, *& liber. arbitr.* num. 37. *alias* cap. 18.
(132) Lib. *de Natura & gratia* n. 50. *alias* cap. 43.
(133) Lib. *de Natura*, *& gratia* n. 83. *alias* cap. 69.

Digitized by Google

Sancti Auguſtini mente neminem præcepto teneri, qui completam & proximam vel ejus exequendi, vel divinæ opis implorandæ poteſtatem non habeat, inde ſumitur, quod S. Doctor ait, Deum, cum aliquid imperat, eos, qui facere illud poſſunt, admonere, ut faciant; alios vero omnes admonere, ut petant. Cur non dicit, iſtos, perinde ac priores, admoneri ut faciant? Quia nimirum non putat, admonitionem circa illud proprie verſari, quod quis non poteſt; atque adeo exiſtimat, eos tantum admoneri, ut faciant, qui poſſunt facere, imo qui id facile poſſunt : Hinc admonemur, *inquit*, & in facilibus quid agamus &c. *Igitur cenſet, eos omnes, qui admonentur, ut petant, poſſe petere, imo & facile poſſe; alias enim, quemadmodum non ait, eos admoneri, ut faciant, quia faciendi poteſtatem non habent; ita neque diceret, eos admoneri, ut petant, quia petendi poteſtatem non haberent* (134).

III.

226. Tertio docetur in Janſeniano ſyſtemate, in ſtatu lapſæ egrotæque naturæ humanam voluntatem interiori gratiæ nunquam reſiſtere. Secus vero ſenſit S. Auguſtinus. En illius verba : *Cum voluntatem humanam gratia adjuvante divina ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillime ac veraciſſime reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum. Verumtamen etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat.....* Ut

(134) Lib. 3. *de hæreſi Janſeniana* diſp. 6. cap. 1. n. 4.

Digitized by Google

Ut autem innoteſcat , quod latebat , & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, *non in Deo* (135). Quis autem non videt, in hominibus eſſe non poſſe cauſam, cur *a divina gratia non adjuventur*, niſi quia illius impulſui reſiſtunt? Hinc alibi idem S. Doctor *cum ubique* , inquit, ſit præſens (Deus) *qui multis modis per creaturam, ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem , diligentem exhortetur , conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam , quod invitus ignoras , ſed quod negligis quærere , quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis , ſed* quod volentem ſanare (utique per gratiam) contemnis (illi ſcilicet reſiſtendo). *Iſta tua propria peccata ſunt* (136). Scribens quoque ad Simplicianum, *multi*, inquit, *ſunt vocati, pauci vero electi , utique ii , qui* vocantem non contempſerunt, *ſed credendo ſecuti ſunt..... Noluit ergo Eſau, & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemta, reprobus fieret* (137). Alibi quoque idem S. Doctor ita ſcribit: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tri-*

(135) Lib. 2. *de Peccatorum meritis* num. 26. *alias* cap. 17.
(136) Lib. 3. *de libero arbitrio* n. 53. *alias* cap. 19.
(137) Lib. 1. q. 2. n. 10.

tribuere, ſed tantum ſibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit, quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quod vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit (138). Itaque an clarius loqui potuerit S. Auguſtinus ad nos monendos, humanam voluntatem non ſemper conſentire divinæ gratiæ, ſed illi plerumque reſiſtere, plane non video.

SCHOLION.

227. Quæ ex S. Auguſtino affert Janſenius, ut evincat, non aliam in ſtatu naturæ lapſæ admiſſam ab illo fuiſſe interiorem gratiam, niſi quæ invictiſsime facit, ut voluntas velit, facile diluuntur. In illis quippe omnibus locis loquitur S. Doctor non de omni interiori gratia Chriſti, ſed de *efficaci*, quam nemo catholicorum negat eſſe hujuſmodi, ut humana voluntas illi nunquam reſiſtat. De hac itaque loquitur ille, cum ait: *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia*, indeclinabiliter, & inſuperabiliter *ageretur....... Fortiſſimo dimiſit atque permiſit facere, quod vellet; infirmis ſervavit, ut, ipſo donante*, invictiſsime, *quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere*, invictiſsime *nollent* (139). Hanc ipſe intelligit cum dicit: *Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe*

(138) Lib. 83. qq. *quæſt.* 68. n. 5.
(139) Lib. *de correptione & gratia* n. 38. *alias* cap. 12.

pe tribuitur, *ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Propheta prædicante promiſit* (140). De hac quoque gratia ſermo illius eſt, cum ait: *Quando Deus docet, non per legis litteram, ſed per ſpiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat...... Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dominus*: Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, poteſt venire ad me. *Non autem ita dixit; ſed*: Omnis, qui audivit, *inquit*, a Patre, & didicit, venit ad me........ *Omnis, qui didicit a Patre, non ſolum poteſt venire, ſed venit* (141). Loquitur demum de hac gratia, dum ad Vitalem Carthaginenſem ſcribens, ait: *Quomodo Deus exſpectat voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam; cum gratias ei non immerito agamus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impia perſequentibus, miſericordiam prærogavit, eoſque ad ſeipſum* omnipotentiſsima *facilitate convertit, ac* volentes *ex* nolentibus *fecit* (142)? Hæc igitur, ceteraque id genus S. Auguſtini teſtimonia, nullatenus favent Janſenio. Non enim evincunt, quod ipſe docet, omnem ſcilicet gratiam Chriſti, ſecundum Auguſtinum, eſſe *efficacem*; ſed tantum, *efficacem* Chriſti gratiam ab Auguſtino fuiſſe admiſſam: quod, ut dixi, nullus Catholicorum inficiatur, quamvis in explicanda ratione, qua, illæſa ar-

(140) Lib. *de prædeſtin. Sanctorum* num. 13. *alias* cap. 8.

(141) Lib. *de Gratia Chriſti* n. 15. *alias* cap. 14.

(142) Epiſt. 217. n. 24. *alias* 107. cap. 6.

arbitrii libertate, *indeclinabiliter*, *inſuperabiliter*, & *invictiſsime* illa operetur, non omnes conveniant.

ANIMADVERSIO.

228. Velit tamen, nolitve Janſenius, fateatur neceſſe eſt, non omnem Chriſti gratiam, quam ipſe quoque admittit, hiſce Auguſtini teſtimoniis comprehendi. Ita namque argumentum conficio: Gratia, quam in citatis locis memorat S. Auguſtinus, ejus eſt naturæ, tantæque efficaciæ, ut humana voluntas *invictiſsime* per illam velit, quod juſtum eſt, illudque deſerere, *invictiſsime* nolit; ut a nulla voluntate, quantumvis dura, non reſpuatur; ut auferat cor lapideum, & det cor carneum; ut demum per eam convertatur homo, atque ad Chriſtum veniat. Ipſomet autem docente Janſenio, ut viſum eſt, non omnis medicinalis gratia Chriſti eſt hujuſmodi. Datur quippe, illius judicio, gratia Chriſti, quæ non *velle perfectum*, ſed ſolam *velleitatem* in nobis excitat; quæ non ita movet voluntatem, ut per eam *efficaciter* velit, quod volendum eſt; quæque demum eſt ita *inefficax*, ut operatio ſequi ex illa non poſsit, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur. Ergo, niſi placeat Janſenio, ſibimetipſi apertiſsime adverſari, fateatur oportet, non omnem gratiam Chriſti eſſe talem, qualem S. Auguſtinus in laudatis locis deſcribit. Qua ergo fronte relata S. Auguſtini teſtimonia uſurpare potuit Janſenius, ut, tanti Doctoris auctoritate, ſuaderet, omnem Chriſti gratiam eſſe efficacem?

IV.

Digitized by Google

IV.

229. *Quarto* : Janſeniani ſyſtematis dogma eſt, ad merendum, & demerendum minime nunc requiri, ut actio ſit libera libertate *a neceſſitate*, ſed ſufficere, ut libera ipſa ſit libertate *a coactione*. At vero quantum ab hac ſententia abhorruerit S. Auguſtinus, mirandum profecto, Janſenium id non vidiſſe. Præmiſſa namque definitione peccati, quod nempe ſit *voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*, ait S. Doctor, *etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem*, neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt? *Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quod ſi nemo* vituperatione, *vel* damnatione *dignus eſt, aut non contra vetitum juſtitiæ faciens, aut quod non poteſt non faciens, omne autem peccatum vel vituperandum eſt, vel damnandum, quis dubitet, tunc eſſe peccatum, cum & velle injuſtum eſt, & liberum nolle* (143)? Et infra: *dicere animas & eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt; & peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt, id eſt*, ſi libero & ad faciendum, *&*

(143) Lib. *de duabus animabus* n. 15. *alias* cap. 11.

Digitized by Google

& ad non faciendum motu animi *carent* ; *ſi denique* his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla *conceditur*, *peccatum earum tenere non poſſumus* (144). Dubium non eſt autem, quin hic loquatur S. Auguſtinus de libertate *a ſimplici neceſſitate*. Agit enim, ut patet, contra Manichæos, qui ne ſomniabant quidem, malas animas peccare coactas, & invitas. Certum eſt etiam, ipſum loqui de hominibus, non qui eſſent in ſtatu innocentiæ, ſed qui ſunt poſt lapſam in Adamo, corruptamque naturam. Hos enim, non illos conſiderant paſtores, poetæ, docti, indocti, magiſtri, antiſtites, omneſque demum homines, dum *neminem vituperatione*, *ſuppliciove dignum* eſſe dicunt, qui *id non faciat*, *quod non poteſt*. Ergo ſentit S. Auguſtinus, non ſufficere ad demeritum, adeoque neque ad meritum, ut immunes ſimus *a coactione*, ſed ratum illi fixumque eſt, ad faciendum opus pœna, præmiove dignum neceſſario requiri, ut liberi quoque ſimus *a ſimplici neceſſitate*. Hinc Evodium alloquens S. Doctor, *nunc Deus cum peccantem punit*, *quid*, inquit, *videtur tibi aliud dicere*, *niſi*, cur non ad eam rem uſus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, *hoc eſt*, ad recte faciendum? *Deinde illud bonum*, *quo commendatur ipſa juſtitia in* damnandis *peccatis*, *recteque factis* honorandis, *quomodo eſſet*, *ſi homo careret* libero *voluntatis* arbitrio? *Non enim aut* peccatum *eſſet*, *aut* recte factum, *quod non fieret* voluntate. *Ac per hoc &* pœna *injuſta eſſet*, *&* præmium, *ſi homo voluntatem non haberet liberam*, hoc eſt, ſi neceſſario tam bene, quam male operaretur (145). Et infra in perſona ipſius Evo-

(144) Lib. *de duabus animabus* n. 17. *alias* cap. 12.
(145) Lib. 2. *de libero arbitrio* n. 3. *alias* cap. 1.

Digitized by Google

Evodii ita loquitur: *motus, quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet* voluntarius, *atque* in noſtra *poſitus* poteſtate, *neque* laudandus, *cum ad ſuperiora, neque* culpandus *homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis; neque omnino monendus eſſet, ut, iſtis neglectis, æterna vellet adipiſci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non eſſe hominem, quiſquis exiſtimat, de hominum numero exterminandus eſt* (146). Hinc etiam Evodius, vel, ut olim credebatur, Auguſtinus ipſe, *peccatum*, inquit, *ſit ab anima rationali, cui* liberum *voluntatis* arbitrium *eſt; & pœna infligitur juſtitia Dei, quæ nihil facit injuſte. Adverſus hæc ſolita cæcitate Manichæi latrant, & cum convincuntur, naturam non eſſe malam, ſed in poteſtate eſſe hominis facere bene, aut male, dicunt, non eſſe animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem ſuam. Quis enim non clamet*, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere; & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas, juſſa complere (147)? Perſuaſum demum habet S. Doctor, motum, quo voluntas ab incommutabili bono deflectit, *ſi natura, vel neceſſitate exiſtit, culpabilem eſſe nullo pacto poſſe* (148); neminemque futurum eſſe, ait, qui non agnoſcat, totoque corde, utpote veriſſimum, non ſuſcipiat præclarum illud dictum S. Hieronymi: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec co-*

(146) Lib. 3. *ejuſdem* n. 3. *alias* cap. 1.
(147) Lib. *de fide contra Manichæos*, S. Auguſtino olim adſcripto, cap. 9. & 10.
(148) Lib. 3. *de libero arbitrio* n. 1. *alias* cap. 1.

Digitized by Google

corona eſt (149). Nihil eſt igitur ab Auguſtini mente magis alienum, magiſque contrarium illius doctrinæ, quam ad merendum, & demerendum in hoc naturæ ſtatu non requiri in homine libertatem *a neceſſitate*, ſed ſufficere libertatem *a coactione*.

SCHOLION.

230. Neque *neceſſarium pro coacto*, neque *liberum* pro eo, quod tantum a *coactione* immune eſt, in hiſce, quæ retulimus, locis, ſumi a S. Auguſtino, ex iis, quæ tradita ſunt, ſatis conſtare puto. Quamobrem alio ſe vertant Janſeniani, neceſſe eſt, ut hujus argumenti, quo invicte præmuntur, vim declinent,

V.

231. Docetur *quinto* in ſyſtemate Janſeniano, medicinalem Chriſti gratiam ejus eſſe naturæ, ut humana voluntas vel non poſſit illi obtemperare, ſi velit, vel illi, ſi velit, non poſſit reſiſtere. Veruntamen ſecus ſentit S. Auguſtinus. Primo etenim docet, conſentire gratiæ, vel ab ea diſſentire in libera eſſe voluntatis poteſtate. *Attendat*, inquit S. Doctor, *& videat, non ideo tantum iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus; ſive* extrinſecus *per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo con-*

(149) Lib. *de natura, & gratia* n. 78. *alias* cap. 65.

confugiat; *ſive* intrinſecus, *ubi nemo habet in poteſtate*, *quid ei veniat in mentem*, *ſed* conſentire, *vel* diſſentire propriæ voluntatis *eſt*. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali*, *ut ei credat* (*neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio*, *ſi nulla ſit ſuaſio*, *vel vocatio*, *cui credat*) *profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine*, *& in omnibus miſericordia ejus prævenit nos*. Conſentire *autem vocationi Dei*, *vel ab ea* diſſentire, *ſicut dixi*, propriæ voluntatis *eſt* (150). Eſſe autem *propriæ voluntatis* conſentire gratiæ, & ab ea diſſentire, perinde eſt, ac voluntatem ipſam poſſe, ſi velit, gratiæ obtemperare, & ſi velit, poſſe illi reſiſtere. Ergo ſecundum S. Auguſtinum ea divinæ gratiæ natura non eſt, ut voluntas vel non poſsit illi obtemperare, ſi velit, vel non poſsit, ſi velit, illi reſiſtere. Scio equidem, Janſenium reſpondere, hoc, & ſimilibus locis non aliud ab S. Auguſtino ſignificari, *quam quod velle*, *& nolle*, *conſentire*, *ac diſſentire*, *credere*, *& non credere*, *ſint officia voluntatis*, *& libertatis*, *ſeu quod idem eſt*, inquit ipſe, *creaturam rationalem non poſſe velle*, *aut nolle*, *conſentire*, *aut diſſentire*, *credere*, *aut incredulam eſſe*, *niſi libero voluntatis arbitrio* (151). Verum contra eſt. Vel enim, cum ait, *conſentire*, *& diſſentire*, *eſſe officia voluntatis*, non aliud ſignificare vult Janſenius, niſi *conſentire*, & *diſſentire* ita pertinere ad voluntatem, quemadmodum *affirmare*, & *negare* pertinet ad intellectum; vel intelligit, quod ipſi volumus, *conſentire* ſcilicet, & *diſſentire* eſſe in poteſtate libera voluntatis. Non certe hoc alterum, ut patet. Ergo primum.

(150) Lib. *de Spiritu*, *& litera* n. 60. *alias* cap. 34.
(151) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 34.

mum. Sed indigna prorſus res eſt, vel ſuſpicari, S. Auguſtinum ita intellexiſſe. Ut enim egregie ait Cl. P. Dechamps, *quid abſurdius dici, aut fingi poteſt, quam S. Auguſtinum inculcare toties, & probare pluribus,* propriæ eſſe voluntatis conſentire, vel diſſentire *ſi his verbis id unum pugnat, conſentire, & diſſentire eſſe officia voluntatis? An timendum S. Doctori fuit, ne quis arbitraretur, conſentire, & diſſentire non voluntatis, ſed intellectus, aut phantaſiæ munus eſſe? Quis unquam negavit,* velle *officium eſſe voluntatis, ſicut* intelligere *eſt officium mentis? Quid ergo S. Auguſtinus tot verbis id unum contendere, quod nemo inficiatur* (152)? Obſervetur præterea velim cum eodem Viro doctiſſimo, S. Auguſtinum, poſtquam dixit, *neminem habere in poteſtate, quid ei veniat in mentem*, continuo ſubjicere, *ſed conſentire, vel diſſentire propriæ eſſe voluntatis.* Sequitur enim hinc, conſentire, & diſſentire nedum eſſe actus voluntatis ſecundum S. Auguſtinum, ſed ita eſſe in illius poteſtate, ut, ſi velit, & conſentire ipſa poſsit, & diſſentire. Cum enim ait S. Auguſtinus, inquit memoratus Vir Cl. *propriæ eſſe voluntatis conſentire, vel diſſentire, aliquid voluntati tribuit reſpectu* conſenſus, *&* diſſenſus, *quod illi non convenit reſpectu* volitionis *illius* indeliberatæ, *quæ gratia præveniens eſt. At voluntati convenit reſpectu* volitionis *illius* indeliberatæ, *ut voluntatis, non alterius facultatis officium ſit, eam producere. Igitur, cum S. Auguſtinus ait,* propriæ eſſe voluntatis conſentire, vel diſſentire, *non id tantum voluntati tribuit, ut illius, non alterius facultatis, officium ſit, conſenſum, & diſ-*

ſen-

(152) Lib. 3. *de Hæreſi Janſeniana* Diſp. 3. cap. 1. n. 3.

ſenſum producere (153); ſed præterea ut actus uterque in illius ex æquo libera ſit poteſtate. Fatetur porro Janſenius, *conſentire, & diſſentire eſſe officia libertatis*, & *creaturam rationalem conſentire, aut diſſentire libero voluntatis arbitrio*. Verum, ut ex dictis conſtat, libertatem ſumit pro immunitate *a coactione*, neque aliud eſt illi *liberum arbitrium*, niſi voluntas, quatenus non coacta, neque invita, ſed cum complacentia operatur. Docet ſecundo S. Auguſtinus, gratiæ, utique medicinali, cui reſiſtit, poſſe hominem conſentire, & viciſsim illi, cui conſentit, poſſe reſiſtere. Ait quippe: *Nemo, niſi Deus, facere arbores poteſt, ſed habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala...... Hoc ergo Dominus dicens, aut facite hoc, aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate, quid facerent* (154). Propterea indignum non eſſe ait, *ut Deus dicat*, ite in ignem æternum, *eis, qui ejus miſericordiam per* liberum arbitrium *reſpuerunt; & dicat*, venite benedicti Patris mei, percipite regnum *eis, qui per* liberum arbitrium *fidem ejus ſuſceperunt, peccata ſua confeſſi ſunt &c.* (155). Nemo autem non videt, cùm ait S. Doctor, per *liberum arbitrium* divinam miſericordiam reſpui, vel ſuſcipi fidem, non aliud ſignificare, niſi eos, qui divinæ gratiæ conſenſere, potuiſſe illi reſiſtere, & viciſsim divinæ gratiæ conſentire potuiſſe, qui illi reſtiterunt. Hinc ad Simplicianum ſcribens, *multi*, inquit, *ſunt vocati, pauci vero electi, utique ii, qui vocantem non con-*

(153) Loco citato.
(154) Lib. 2. *de Actis cum Felice Manichæo* cap. 4.
(155) Ibidem cap. 8.

contempſerunt (reſiſtendo ſcilicet gratiæ ; quâ vocati fuerant) *ſed credendo* (nempe gratiæ conſentiendo, cui poterant reſiſtere) *ſecuti ſunt* (156). Unde addit. *Noluit Eſau, & non cucurrit, ſed ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet* (157). Demum, ut innumera propemodum alia, profectò non diſsimilia, S. Auguſtini teſtimonia prætercam, quærens S. Doctor, cur duorum hominum, qui *æqualiter*, ut ipſe ait, *corpore*, & *animo* affecti, eademque idcirco gratia donati, vident *unius corporis pulchritudinem*, alter *ad illicite perfruendum moveatur*, alter *in voluntate pudica ſtabilis perſeveret*, non aliam hujuſce diſcriminis cauſam aſsignat, niſi eorum voluntatem. *Quid enim aliud*, inquit, *apparet*, *niſi unum voluiſſe*, *alterum noluiſſe a caſtitate deficere* (158)? Hujus ergo gratiæ ea ſecundum S. Auguſtinum natura eſt, ut & conſentire illi poſsit voluntas, ſi velit, & ſi velit, poſsit illi reſiſtere. Neque enim, ſi ſecus, dicere jure ac merito poſſet S. Doctor, alterum duorum illorum hominum permanſiſſe in caſtitate, quia voluit, alterum, quia perſeverare noluit, ab ea defeciſſe. Certum eſt autem, ut alibi vidimus, S. Auguſtinum loqui eo loci de hominibus in ſtatu naturæ lapſæ. Ergo perſuaſum ille habuit, talem non eſſe medicinalem gratiam Chriſti, ut voluntas noſtra vel non poſsit illi obtemperare, ſi velit, vel non poſsit, ſi velit illi reſiſtere.

SCHO-

(156) Lib. 1. q. 2. n. 10.
(157) Ibidem.
(158) Lib. 12. *de Civitate Dei* cap. 6.

Digitized by Google

SCHOLION.

232. Celeberrima illa diſtinctio, ab Auguſtino tradita (159) duplicis adjutorii, nempe *quo aliquid fit*, & *ſine quo non fit aliquid*, tantum abeſt, ut faveat Janſenio quemadmodum ſibi ipſe blanditur (160), quin potius illi manifeſte officiat. Docet enim nomine auxilii *ſine quo non*, tale adjutorium a S. Auguſtino intelligi, *ſine quo voluntas velle non poſsit*, *ſic tamen ut velle*, *& nolle*, *uti*, *vel non uti*, *in ejus libero arbitrio relinquatur* (161): nempe tale adjutorium, cui voluntas & obtemperare poſsit, ſi velit, & ſi velit, poſsit reſiſtere. Si ergo certo conſtiterit, adjutorium *ſine quo non* in ſtatu lapſæ corruptæque naturæ ab Auguſtino fuiſſe admiſſum, eo profecto redigitur Janſenius, ut vel invitus fateatur, in hoc itidem ſtatu talem gratiam admiſſam fuiſſe a S. Auguſtino, cui humana voluntas & obtemperare poſsit, ſi velit, & ſi velit, poſsit reſiſtere. Certo autem conſtat, in hoc lapſæ naturæ ſtatu admiſſum fuiſſe a S. Auguſtino auxilium *ſine quo non*. De hoc enim loquens, hæc habet: *tunc* (ſcilicet in ſtatu innocentiæ, dederat Deus) *homini bonam voluntatem*. . . . . . *dederat adjutorium ſine quo in ea non poſſet permanere*, *ſi vellet*, *ut autem vellet*, *in ejus libero reliquit arbitrio*. . . . . . *nunc autem quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt*. *Quibus autem datur* (datur ergo), *ſecundum gratiam da-*

X 2

(159) Lib. *de Corrept. & gratia* n. 34. *alias* cap. 12.
(160) Lib. 2. *de Gratia Chriſti* cap. 4.
(161) Ibidem.

Digitized by Google

datur, non ſecundum meritum (162). Ergo etiam in ſtatu naturæ lapſæ ea ſecundum Auguſtinum datur gratia, cui humana voluntas obtemperare poteſt, ſi vult, & cui, ſi vult, poteſt illa reſiſtere. Igitur vel hanc gratiam non intellexit S. Auguſtinus nomine auxilii *ſine quo non*, ut contendit Janſenius, vel illam quoque is ipſe admittat neceſſe eſt, niſi velit Sancto Auguſtino manifeſtiſsime adverſari.

ANIMADVERSIO.

233. Sumpto ſecundum S. Auguſtinum auxilio *ſine quo non* pro tali gratia, cui in libera ſit poteſtate voluntatis obtemperare, & reſiſtere, dubium nemini eſſe poteſt, quominus turpiſsime erraverit Janſenius, dum ſcripſit: *Semipelagianos in eo fuiſſe hæreticos, quod eam gratiam admiſerint, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Si enim Semipelagiani ob hanc cauſam fuerint hæretici, etiam S. Auguſtinum erraſſe contra fidem dicendum a Janſenio eſt, cum illam ſcilicet gratiam in hoc naturæ ſtatu, ut eſt modo viſum, ipſe quoque admiſerit.

VI.

234. Traditur demum in ſyſtemate Janſeniano, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro ſolis prædeſtinatis, proque illis dumtaxat ſanguinem ſuum fudiſſe. Contra autem ſenſit S. Auguſtinus. Docet enim primo, fore ut Chriſtus non unam tantum Mundi partem judicet, quia non una tantum ſuo ſanguine ab illo empta

(162) Lib. *de Corrept. & gratia* n. 32. *alias* cap. 11.

Digitized by Google

empta eſt. *Judicabit*, inquit, *orbem terrarum in æquitate, non* partem, *quia non partem emit* (163). Ergo ſecundum S. Auguſtinum non pro ſolis prædeſtinatis mortuus eſt Chriſtus, ſuumque ſanguinem fudit. Unam quippe dumtaxat Mundi partem, ut patet, Chriſtus Dominus ſua paſsione & morte tunc emiſſet. Docet ſecundo, Chriſtum fudiſſe ſanguinem ſuum etiam pro Juda. *Projecit* (Judas) ait ille, *pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium, quo ipſe a Domino redemptus erat* (164). Docet tertio, oraſſe Chriſtum ad Patrem etiam pro crucifixoribus ſuis. *De cruce*, inquit S. Doctor, *cum diceret Chriſtus: ſitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat*: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. *Sed illi quid propinaverunt ſitienti?* Acetum. *Acetum etiam* vinum vetus *dicitur. Merito de vetere homine propinaverunt, quia novi eſſe noluerunt* (165). Reprobi ergo ſunt, pro quibus ſecundum S. Auguſtinum tunc oravit. Hinc alibi etiam idem S. Doctor, *ſic*, inquit, *dilige inimicos tuos, ut fratres optes. Sic enim dilexit ille, qui in cruce pendens ait*: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. *Neque enim dixit*: Pater, vivant iſti multo tempore: me quidem occidunt, ſed ipſi vivant. *Sed quid ait?* Ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. *Mortem ſempiternam ab eis expellebat prece miſericordiſsima, & potentia præſtantiſsima. Multi ex eis crediderunt, & dimiſſus eſt eis fuſus ſanguis Chriſti* (166). Si multi itaque ex illis credidere:

 ergo

(163) Enar. *in Pſalm.* 95. n. 15.
(164) Enar. 2. *in Pſalm.* 68. n. 11.
(165) Enar. 1. *in eundem* n. 14.
(166) Tract. 1. *in Epiſt. Joannis* n. 9.

ergo non omnes, pro quorum æterna ſalute Chriſtus oravit Patrem, prædeſtinati fuerunt; adeoque &c. Docet poſtremo S. Auguſtinus, pro iis omnibus mortuum eſſe Chriſtum, qui originale peccatum, Adæ culpa, contraxerunt. *Ex hoc*, ait, *probavit* (Apoſtolus) *omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, infercio recuſanti: accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Vide* (Juliane; hunc enim ille alloquitur) *quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt* (167). Velit ergo nolit Janſenius, alterutrum concedat oportet, aut ſcilicet ſolos prædeſtinatos obnoxios eſſe originali peccato, aut non pro ſolis prædeſtinatis ſecundum S. Auguſtinum mortuum eſſe Chriſtum.

SCHOLION.

235. Plura ex S. Auguſtino colligit, obtruditque Janſenius, ut ſuadeat, Chriſtum Dominum pro ſolis prædeſtinatis ex illius ſententia mortem ſubjiſſe. Facile tamen illis omnibus fit ſatis, id unum ſi conſideretur, quod communiter docent Theologi, videlicet Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro omnibus *ſufficienter*, ſed pro ſolis prædeſtinatis *efficaciter*. Hac enim poſita diſtinctione, nihil prorſus faceſſere poteſt negotii, quod S. Auguſtinus dixerit, *neminem perire eorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt* (168), & Chriſtum *non pro Mundo*, hoc eſt, non pro reprobis, *ſed pro his quos ei*

(167) Lib. 6. *contra Julianum* n. 8. *alias* cap. 4.
(168) Epiſt. 169. n. 4. *alias* epiſt. 102.

Digitized by Google

ei Pater dedit, ſcilicet pro prædeſtinatis, *rogaſſe* (169). Senſus eſt enim, neminem perire ex his, pro quibus Chriſtus *efficaciter* mortuus eſt, proque illis Chriſtum *efficaciter* oraſſe, quos jam noverat a Patre prædeſtinatos.

VII.

236. Hæc cum ita ſint, luculentiſsime, mea quidem ſententia, demonſtratum manet, ſyſtema Janſenianum eſſe non poſſe ſyſtema S. Auguſtini; cum ſcilicet plane repugnet, ut Vir tantus pugnantia tradiderit. Id porro hac etiam brevi, ſed ſatis valida ratione confirmatur. *Illud ſyſtema* nequit eſſe S. Auguſtini, in quo efficacia divinæ gratiæ cum libero arbitrio facillime conciliatur. Id quippe, ut viſum eſt alibi, captu difficillimum, imo captum noſtrum plane ſuperans Auguſtinus ipſe appellat (170). In ſyſtemate autem Janſeniano contra res ſe habet. Nihil enim facilius captu eſt, quam voluntatem noſtram ideo ſub gratia, quantumvis efficaci, eſſe liberam, quia ab illa non cogitur, nihilque ſub ea agit reluctans, & invita. Ergo Janſenii ſyſtema nequit eſſe ſyſtema S. Auguſtini.

(169) Tract. 107. *in Joannem* n. 1.
(170) Lib. *de Gratia Chriſti* n. 52. *alias* cap. 47.

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Janſenii ſyſtema de Medicinali Gratia Chriſti tantum abeſt ab Auguſtini doctrina, ut imo Lutheri, Calvini, aliorumque damnatorum hominum placitis plane conſentiat.

256. Qui plenariam hujuſce propoſitionis demonſtrationem cupit, is Cl. Patrem Dechamps adire poteſt, & lib. 1. diſp. 1. *de Janſenii furtis* rem hanc adeo abſolutam perſpiciet, ut nihil deſiderari ſuperſit, quo concludi manifeſte queat, Janſenium revera fuiſſe hæreticorum purum, putumque plagiarium. Verum, ne in hoc nos penitus deficiamus, eo quod a Cl. Viro per extenſum actum jam ſit, bicolumne hic ſcriptum ſubjiciemus, in quo aliquæ dumtaxat deſcribentur ſententiæ, quarum comparatione, noſtræ propoſitionis veritas ad oculos patefiet. Primo quidem eas afferemus, ex quibus apparebit luculentiſsime, quomodo cum hæreticis Janſenio quoque ſolemne fuerit Scholaſticos ſpernere, de plena Auguſtini intelligentia ſe impudenter jactare, ac demum perbelle in præcipuis tradendis erroribus, ac errorum fontibus, convenire; ut tandem inferre quilibet poſsit, non ab Auguſtino, ſed a Luthero, Calvino, aliiſque damnatis hominibus ſuam Janſenium doctrinam hauſiſſe, & novis dumtaxat artibus, revera ſuis, diſsimulaſſe. Operi manum illico admoveamus.

Janſenius.	*Calvinus.*
Lib. Proæm. cap. 3. Quid aliud obſecro ſenten-	Lib. 1. Inſtitutionis cap. 16. n. 8. Hinc tanta Philo-

Janſenius.

tentias illas peperit, quæ divinam gratiam imperioſo nutui humanæ libertatis aptavit; niſi Philoſophia...... ? Semper Philoſophia, quemadmodum mater hæreticorum fuit, ita rerum divinarum arcanis definiendis, mater errorum eſt.

Ibidem cap. 6. Quibus definiendis (*loquitur de Scholaſticorum controverſiis*) non raro, magis Ariſtotelis commentatio, quam Spiritus Sancti revelatio præſidet.

Ibidem cap. 10. Itaque venerabilem ſtylum ejus (*Auguſtini*) arripui, nulliſque tædiis aut laboribus territus, volutationi, & lectioni aſſiduæ univerſorum

Calvinus.

loſophis objecta caligo; quod in ruina ædificium, & in diſſipatione aptas juncturas, quærebant....Qui vero (*loquitur de Papiſtis*) Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſsi, in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo, liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita, & cœleſtem doctrinam partiendo, plane deſipiunt, ut nec cœlum, nec terram attingant.

In antidoto Decreti Sorbonici *Sorbonicos deridens*: Probatur ſic, quia Magiſtri noſtri ſic determinaverunt per Ariſtotelem, & omnes Philoſophos, qui rationem in homine Dominam conſtituunt, loco Spiritus Sancti.

Idem lib. 3. de lib. arb. *adverſus Pighium*. Nunc vero hoc quoque a me fortaſsis requirent aliqui, ut quod gloriatus ſum de Auguſtino, illum prorſus noſtrum

Janſenius.

rum librorum ejus, iterum iterumque ſæpius repetitæ, per viginti duorum annorum ſpatium immerſus fui, hoc unicum ſpectans, ut..... genuinam doctrinam ejus, quantum luminis mihi Deus daret, radicitus intelligerem.

Calvinus.

ſtrum eſſe, nunc plenius, & pluribus teſtimoniis confirmem. Qua in re præſtanda non tam difficultate, quam prolixitate impedior...... Nos nihil quam Auguſtinum ſequimur....... etiam ſi crepet Pighius, nobis extorquere hoc non poteſt, quin Auguſtinus ſit noſter.

Idem lib. *de ætern. Dei prædeſt.* Auguſtinus ipſe adeo totus noſter eſt, ut ſi mihi confeſsio ſcribenda ſit, ex ejus ſcriptis contextam proferre abunde mihi ſufficiat

Lib. 2. *de ſtatu nat. lapſ. cap.* 2. Ignorantia etiam, quæ neceſsitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt invincibilis, non caret peccato; ut dogma fidei ab antiquis traditum.

Ibidem cap. 3. Ecce inexcuſabilem dicit (*Auguſti-*

Lutherus.

In cap. 12. *Geneſis tom.*6. Falſa eſt illa celebris Scholaſticorum ſententia de ignorantia invincibili excuſante...... tanta cœcitas eſt in Papæ Scholis, & Eccleſiis..... Quiſquis invincibilem hanc ignorantiam excuſationem mereri ſtatuit,

Janſenius.

ſtinus) omnem eſſe peccatorem, juſtamque damnationem ejus, ſive peccaverit, quia ſcire quid lex jubeat noluit, ſive quia ſcire non potuit.

Lutherus.

tuit, evertit Scripturam Sacram, & tollit è medio Chriſtum juſtitiæ ſolem, revelatum ideo ut hanc ignorantiam tolleret.

Calvinus.

Ibidem cap. 22. Aliud vero argumentum graviſſimum contra ſtatum puræ naturæ ex ignorantia illa invincibili juris naturalis, ex qua docet Auguſtinus infinita ab hominibus etiam ſubinde ſanctis peccata perpetrari.... De qua ignorantia videnda ſunt quæ ſupra..... videlicet, quod fidei catholicæ ſit, juxta Auguſtinum, peccata inde pullulantia vera eſſe peccata, & pœnis homines obnoxios conſtituere.

Lib. 4. *de ſtatu naturæ lapſæ cap.* 22. In illis locis, ubi Auguſtinus adverſus Manichæos diſputando dicit, neminem peccare in eo, quod caveri nul-

In cap. 12. *Lucæ.* Quaſi vero ad repellendum Dei judicium ſufficiat ignorantiæ clypeus.

Lib. 2. *Inſtit. cap.* 2. n. 25. Quare ut ſupra reprehenſus eſt Plato, quod omnia peccata ignorantiæ imputarit; ita & eorum eſt repudianda opinio, qui conſultam malitiam, & pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt. Nimium experimur quoties labamur cum bona noſtra intentione &c.

Lib. 3. *de lib. arbit.* Negat Auguſtinus, peccare in eo quempiam, quod caveri nullo modo poſsit. Inſpiciat locum, qui volet, an non de peccati initio

Janſenius.

nullo modo poteſt..... ſemper de origine mali loquitur, unde omnia mala in creaturam rationalem profluxerunt.

Lib. 3. *de Gratia Chriſti cap.* 14. Peccatores Dei mandata prætereuntes, ſunt culpæ rei, ſive illa facere poſſint, ſive non poſſint.

Ibidem cap. 17. Poteſt Deus idipſum homini poſt peccatum æterna ſua lege jubere, quod ante peccatum juſſerat, quamvis ei jam propria culpa factum ſit impoſſibile...... ut ſciat homo quid ſibi faciendum ſit, neque peccatis ſuis prætexat ignorantiam, dicendo ſe neſciviſſe quid a ſe peteret Deus..... *O homo in præceptione cognoſce quid debeas agere: in correptione cognoſce tuo te vitio non habere.*

Ibi-

Calvinus.

tio loquitur, quo ſcilicet convincat, non aliunde hanc, qua hodie præmimur, neceſsitatem, quam ex voluntario hominis lapſu proveniſſe.

Lib. 2. *Inſtit. cap.* 5. n. 1. Si quis diſceptare cum Deo velit, & hoc prætextu judicium ſubterfugere, quoniam aliter non potuit, habet paratam reſponſionem, non ex creatione eſſe, ſed naturæ corruptione.

Ibidem n. 4. Inſtant, fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſupervacaneum eſſe admonitionum uſum; ridiculas eſſe objurgationes, niſi ſit penes peccatorem parere. Similia olim cum objectarentur Auguſtino, libellum de correctione, & gratia ſcribere coactus eſt; ubi etſi copioſe illa diluit, ad hanc tamen ſummam adverſarios revocat: *O homo in præceptione cognoſce quid debeas agere; in correctio-*

ne

Digitized by Google

Janſenius.

Ibidem cap. 5. Cum Deus non præbet homini, ut animus legis impletione delectetur..... nemo opponat, orari ſaltem poſſe, ut iſta delectatio, quæ ſufficiat implendæ legi divinitus tribuatur; dico enim, non ſolum Judæis, ſed & Chriſtianis, non ſolum carnalibus, ſed & ſpiritualibus gratiam talem ſufficientem ad faciendum, quod jubetur, frequenter ſubtrahi, atque ita ſubtrahi, ut nec pro tali gratia adepiſcenda, deprecandi ſimilis ſufficiens gratia habeatur

Ibidem cap. 13. Ex quo fit, ut illum Apoſtoli locum, quo dicit, *fidelem eſſe Deum, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*, nullo modo tam indiſcrete intel-

Calvinus.

ne cognoſce, tuo te vitio non habere.

Ibidem cap. 7. num. 5. Quod autem impoſsibilem legis obſervationem diximus, id eſt paucis verbis explicandum ſimul, & confirmandum. Solet enim vulgo abſurdiſsima ſententia videri, ut Hieronymus non dubitarit anathema illi denunciare. Quid viſum ſit Hieronymo nihil moror; nos quid verum ſit inquiramus...... ejuſmodi argutia vexabant Auguſtinum Pelagiani, injuriam fieri Deo, ſi plus jubeat, quam per ejus gratiam præſtare queant fideles.

Ibidem cap. 2. n. 6. Hoc ſi recipitur, extra controverſiam erit, non ſuppetere ad bona opera liberum arbitrium homini, niſi gratia adjuvetur, & gratia quidem ſpeciali, qua electi ſoli per regenerationem donantur. Nam Phre-

Janſenius.

telligat, ut hoc in omnibus omnino fidelibus obſervetur. Noverat enim, hoc non exiguum eſſe divinæ gratiæ beneficium, quod propterea quia gratia eſt, non promiſcue cuilibet etiam credentium tribuat. Hæc igitur omnia pleniſsime, planiſsimeque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quam eſſe quædam præcepta, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis, volentibus, conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſsibilia, deeſſe quoque gratiam, qua fiant poſsibilia.

Lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 4. Alterum adjutorii ge-

Calvinus.

Phreneticos nihil moror, qui gratiam pariter & promiſcue expoſitam eſſe garriunt.

Ibidem cap. 3. num. 10. Qua gratia non quoslibet promiſcue dignatur Dominus, quemadmodum vulgo jactatur illud, ni fallor, Occamicum, eam nemini denegari facienti quod in ſe eſt.

Ibidem cap. 5. n. 6. Qui pro ingenti piaculo ducunt, ſi dicatur, legis obſervationem eſſe impoſsibilem, validiſsimo ſcilicet argumento inſiſtunt, fruſtra alias datam eſſe legem. Perinde enim loquuntur ac ſi nuſquam Paulus de lege loquutus eſſet. Quid enim quæſo, iſta ſibi volunt, legem propter tranſgreſsiones poſitam eſſe, legem peccatum efficere, ſubingreſſam eſſe, ut abundaret delictum.

Idem lib. 5. de Libero arbitrio tertiæ edit. Geneven-ſis

Janſenius.

genus eſt *quo*, ſimul ac datum fuerit, fit effectus, & ſi non datur nunquam fiet. Nempe quia tantæ neceſsitatis eſt, ut ſine illo non poſsit effectus fieri; tantæque efficaciæ ut hoc ipſo quo datur, continuo fiat.

Lutherus.

ſis pag. 203. *&* 204. Aliud eſt, inquit (*Auguſtinus*), adjutorium *ſine quo* aliquid non fit; & aliud eſt adjutorium *quo* aliquid fit. Primo itaque datum eſt homini adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet..... Auguſtinus non tantum poſſe nobis dari, ſed etiam velle, teſtatur..... ſi quis oblatam gratiam reſpuit, ubi illa, ſicuti Auguſtinus vocat, indeclinabilis, & inſuperabilis gratiæ actio?

Ibidem cap. 25. Hæc itaque eſt ratio & radix, cur nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat, ſed omnis efficiat, ut voluntas velit, & operetur....... *Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur.* Quod eſt perinde ac ſi apertiſſime diceret (*Auguſtinus*): nun-

Idem lib. 3. *Inſtit. cap.* 24. n. 1. *Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur.....* Quid eſt, omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me; niſi, nullus eſt qui audiat, & diſcat a Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre, & didi-cit,

Digitized by Google

Janſenius.

nunquam illa caret effectu ſuo, ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis, ſeu voluntatis ablata, qua ſola impeditur operatio, non careat effectu ſuo. Unde ſtatim adjicit: *quando ergo Pater auditur, & docet, ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum,* hoc eſt voluntatem duram, & inflexibilem.

Ibidem lib. 3. *cap.* 1. Dum igitur facit gratia Chriſti, ut omnis, qui audivit, ac didicit, veniat, profecto ſatis oſtenditur & poſsibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus.

Lib. 2. *de Gratia Chriſti cap.* 23. Laudem boni operis, bonæque voluntatis partiri cum Deo, impium eſſe ex eo patet, quod poſt lapſum hominis tota laus bonæ voluntatis, atque operis in ſolam gratiam refundenda ſit. . . . Quid eſt Deus operatur vel-

Calvinus.

cit, venit; profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit.

Ibidem lib. 2. *cap.* 3. n. 11. Neque ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt: omnis, qui audivit a Patre meo, venit ad me, quam ut efficacem a ſe ipſa Dei gratiam doceat, quemadmodum Auguſtinus contendit.

Lib. 3. *Inſtit. cap.* 24. n. 7. Quod ſi aperte impium eſt, inter Dei gratiam, & voluntatem hominis bonum opus partiri; non dubitemus noſtris voluntatibus nihil relinquere.

Lib. 2. *cap.* 3. n. 7. Ideo non recte a Chryſoſtomo ſcriptum eſt, nec gratiam ſine

Janſenius.

velle? ..... niſi Deus operatur ipſam noſtræ voluntatis determinationem. Non ergo ex homine homini eſt iſta ſuæ voluntatis determinatio, ſed ex Deo, gratia ſua hominem determinante.

Ibidem cap. 24. Quapropter Dei gratiam Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere.

Lib. 4. *de Statu nat. lapſ.* cap. 24. Peccandi vero neceſſitas, quam Auguſtinus tradit, ſublataque libertas benefaciendi, non repugnat arbitrii libertati ..... ſed in eo tota hallucinatio ſita eſt, quod cum audimus liberum voluntatis arbitrium, ſolemus imaginari indifferentiam quamdam voluntatis ad bonum, & malum, quam ſemper hominibus adeſſe mor-

Calvinus.

ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quiſquam poſſe operari; quaſi vero non ipſam quoque voluntatem operetur gratia.

Ibidem n. 10. Non enim docet Apoſtolus, offerre nobis bonæ voluntatis gratiam, ſi acceptemus, ſed ipſum velle in nobis efficere; quod non eſt aliud, niſi Dominum ſuo ſpiritu cor noſtrum dirigere, flectere, moderari, & in eo tamquam in poſſeſſione ſua regnare.

Ibidem. Movet (*gratia*) voluntatem non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt: *quem trahit volentem trahit*: quo inſinuatur, Dominum porrecta tantum, manu expe-

Janſenius.

mordicus aſſerebat Julianus, inficiabatur Auguſtinus, & ipſa veritas Catholicos inficiari cogit. Hæc imbecillitas imaginandi in Catholicis, & ſentiendi in Pelagianis ex Philoſophorum Gentilium inſtitutione nata eſt.

Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 6. Duplex autem in doctrina ejus neceſsitas reperitur, una quæ operatur effectum ſuum, etſi nolis, ſeu quantuncunque renitaris: altera qua ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine reniſu voluntatis. Prima repugnat voluntati, atque funditus perimit, non autem illa neceſsitas, quæ eſt ſimul voluntaria.

Ibidem cap. 18. Vides ergo, nihil omnino ad actum liberum requiri, niſi ut actus ſit voluntatis cum ratione deliberata agen-

Calvinus.

ctare, an ſuo auxilio juvari nobis adlubeſcat. Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem (*per indifferentiam*) inclinare.

Ibidem cap. 1. n. 10. Medium, quod Sophiſtæ imaginantur, cui obſequi, vel repellere liberum ſit, aperte excludi videmus.

Ibidem cap. 3. num. 5. Quod voluntarium, etiam liberum. ...... ut nec neceſsitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas, cum ſit illecta (*certe per delectationem*), excludere poſsit neceſsitatem. Eſt enim hæc neceſsitas quodammodo voluntaria. Poſtea dicit (*Bernardus*), nos premi jugo, non alio tamen quam voluntariæ cujuſdam ſervitutis: ideo pro ſervitute eſſe miſerabiles, pro voluntate inexcuſabiles, quia voluntas cum

Janſenius.

agentis, ſpontaneus, non coactus.

Ibidem cap. 24. Sexto, opus eſſe laude, vel vituperio dignum, meritorium, vel demeritorium ex hoc quod eſt voluntarium, ſpontaneum non coactum, tametſi ſit determinatum ad unum.

Ibidem lib. 7. *cap.* 1. Hactenus declaravimus generalem libertatis rationem, a qua dictum eſt liberum arbitrium commune bonis ac malis; in eo ſitam eſſe, quod immune ſit a neceſsitate coactionis, ut Sanctus Bernardus, Magiſter ſententiarum, & ceteri loquuti ſunt; vel *a neceſsitate, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolumus efficit id, quod poteſt*, ut S. Auguſtinus, quamvis idem diceret, loqui maluit.

Ibidem cap. 3. non poterit amplius de ejus (Auguſtini) mente dubitari; qua

Calvinus.

cum libera eſſet, ſervam ſe peccati fecit.

Ibidem cap. 4. num. 1. Diſtinctio inter coactionem, & neceſsitatem porſita fuit, unde liqueret, eum, dum neceſſario peccat, nihilo tamen minus voluntarie peccare.

Lib. 2. *Inſtit. cap.* 3. n. 5. Hæc igitur diſtinctionis ſumma obſervetur, hominem, ut vitiatus eſt ex lapſu, volentem quidem peccare, non invitum, nec coactum; affectione animi propenſiſsima, non violenta coactione, propriæ libidinis motu, non extraria coactione.

Ibidem n. 14. Quod autem alibi dicit (*Auguſtinus*), non tolli gratia vo-

 lun-

Janſenius:

qua eum ſentire, & conſtanter docere diximus, libertati arbitrii ſolam neceſsitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium, ſeu ſpontaneum, hoc ipſo eſſe liberum. Hoc enim ipſum (*delectatio ſive cæleſtis ſive terrena*), quod voluntatem ſponte velle, ſeu conſentire facit, hoc eam, ut vidimus, etiam liberam facit.

Ibidem lib. 6. cap. 34. Sed ſicut ex iſtiuſmodi Scripturæ teſtimoniis perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret, ergo Angeli, ergo beati homines, ergo Demones libertatis expertes ſunt, ergo ipſe, Chriſtus Dominus ..... ergo neque recte concluditur; actum rationalis voluntatis

Calvinus:

luntatem, ſed ex mala mutari in bonam, & cum bona fuerit, adjuvari; ſignificat tantum, hominem non ita trahi, ut ſine motu cordis, quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intus ſic affici, ut ex corde obſequatur. ...... Docet quod per eandem gratiam, impreſſo delectationis impetu, ad perpetuitatem conformetur, quod illa gubernante, nunquam excidat, deſerente, protinus corruat.

Ibidem n. 5. Si liberam Dei voluntatem non impedit, quod neceſſe eſt illam agere; ſi diabolus nonniſi male agere poteſt, voluntate tamen peccat; quis hominem ideo minus voluntarie peccare dicet, quod ſit peccandi neceſsitati obnoxius...... Hinc certe agnoſcunt lectores, nihil me novum afferre, quod olim ex piorum hominum conſenſu prodidit Au-

Digitized by Google

Janſenius.

tis ſolius coactionis expertem, non eſſe liberum.

Ibidem cap. 38. Veteres non obſtante immutabili neceſsitate; omnem omnino rationalem, voluntatem, hoc eſt voluntatis motum, & liberam, & electivam ſui objecti poſuerunt, ſola excluſa violentia, coactioniſque neceſsitate. . . . . . . Fidenter dico; quicunque doctrinam iſtam a nobis traditam, erroris in ſimulare auſus fuerit, non Auguſtinum, non Bernardum, ſed Philoſophiam Ariſtotelis, ducem, ac patronam habiturus eſt.

Calvinus.

Auguſtinus, & mille fere annis poſtea in Clauſtris Monacorum retentum fuit. Lombardus autem, quum neceſsitatem a coactione diſtinguere neſciret, pernicioſo errori materiam dedit.

Lutherus.

Lib. de Servo arbitrio. Sequitur nos neceſſario operari: neceſſario vero dico, non *coacte*: hoc eſt, homo cum vacat ſpiritui Dei, non quidem violentia, velut captus obtorto collo, nolens facit malum; ſed ſponte, & libenti animo facit.

Digitized by Google

Janſenius.

Lib. 8. *de Gratia Chriſti cap.* 21. Objicietur fortaſſis adverſus iſtam gratiæ, & liberi arbitrii concordiam, eam a ſententia Calvini non differre...... Reſpondetur, non omnia, quæ hæretici docent, ſunt hæretica...... Hæc ſunt, quæ Eccleſia in Calvino, quantum ad hanc materiam gratiæ, & liberi arbitrii improbavit. Primum eſt, quod Calvinus negat, eſſe in homine boni, & mali electionem.......... Quintum denique eſt; quod fronte retecta tandem docet, non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſumque nomen inane, & exterminandum eſſe.

Ibidem lib. 6. *cap.* 5. Itaque libera eſt voluntas, hoc eſt volitio, ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera. Implicat enim contradictionem, ut voluntas non ſit libera, ſicut implicat, ut volendo, non veli-

Martinus Bucerus.

Lib. de Concordia doctrinæ. Pacem futuram eſſe non dubito, Catholicos inter, & Lutheranos, ſi ſola *coactio* libertati repugnat. Quod enim Catholici dicunt, hominem eſſe liberi arbitrii, intelligi debet de arbitrio libero a *coactione*, non a neceſsitate. Quod vero dicunt Lutherani, hominem non eſſe liberi arbitrii, accipiendum eſt de libero arbitrio a *neceſsitate* non a *coactione*.

Calvinus.

Lib. 2. *de Libero arbitrio adverſus Pighium.* Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium, & fateor, & aſſevero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu *liberum* vo-

Janſenius.

velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc eſt, ut voluntas non ſit voluntas... Ecce a radicibus oſtenſum, impoſsibile eſſe, ut volitio non ſit in noſtra poteſtate, vel non ſit libera.

Lib. 3. *de Gratia Chriſti cap.* 20. Prima igitur expoſitio eſt, ut dicatur, omnes homines velle ſalvos fieri, accommodata ſcilicet diſtributione, omnes qui videlicet ſalvantur..... Secunda expoſitio eſt, quam etiam præformaſſe videtur Auguſtinus, in verbis Apoſtolicis intelligendam eſſe diſtributionem, non pro *ſingulis generum*, hoc eſt pro omnibus omnino ſingularibus hominibus, ſed *pro generibus ſingulorum*, hoc eſt pro omni genere hominum; pro Judæis, & Gentibus &c. quia ex omni genere hominum aliqui præde-

Calvinus.

vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nil moror.

Lib. 2. *Inſtit. cap.* 2. n. 7. Liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed quia male *voluntate* agit, non *coactione.*

Ibidem cap. 3. n. 5. Ideo ſimpliciter velle, hominis; male velle, corruptæ naturæ; bene velle, gratiæ. Porro quod libertate abdicatam voluntatem dico, neceſsitate in malum vel trahi, vel duci, mirum eſt ſicui videatur aſpera locutio, quæ nec abſonum habet quippiam, nec a Sanctorum uſu aliena eſt. Offendit autem eos, qui inter *neceſsitatem*, & coa-

Digitized by Google

Janſenius.

deſtinati ſunt, ac ſalvi fiunt.

Ibidem cap. ultimo in fine. Hinc etiam fluxit, quod nunquam locum illum Apoſtolicum *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* ad omnes omnino homines extendi paſſus fuerit (*Auguſtinus*).....illa extenſio tam vaga modernorum Scriptorum, non alio ex capite, quam ex iſta generali voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ, omnibus conferendæ, præparatione fluxit: quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia, veluti machinam a Semipelagianis introductam repudiavit.

Ibidem ad initium. Sed aliud argumentum pro gratia ſufficienti omnium proferri ſolet, quia Chriſtus eſt Redemptor omnium, juxta illud primæ ad Timotheum ſecundo capite: qui

Calvinus.

coactionem diſtinguere neſciunt.

Lib. 3. de Æterna Dei prædeſt. verſus finem. Senſus Pauli cuivis non contentioſo ſatis facilis eſt, ac dilucidus.....Quis non videt, ordinum potius, quam ſingulorum hominum? neque vero ratione caret trita illa diſtinctio, non ſingulos generum, ſed genera ſingulorum notari.....Nunc jactet Pighius, Deum velle omnes ſalvos fieri.....agitatus olim a Pelagianis fuit locus iſte: clare patet, quam ſecure Auguſtinus hanc objectionem contempſerit.

Lib. de Occulta Dei provid. non procul a fine. Quod citare ſoletis ex Paulo, Deum omnes velle ſalvos fieri, quam nihil errori veſtro ſuffragetur, alibi planum feciſſe mihi videor,

Janſenius.

qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. ..... Reſpondetur & hoc argumentum, ſicut omnia præcedentia, jam olim ad nauſeam uſque a Pelagianis, præſertimque a Maſſilienſibus inculcatum fuit, ut mirum ſit, Recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere.... hinc genuinius, veriuſque reſpondemus, Chriſtum, dici, *ſe dediſſe redemptionem pro omnibus*, hoc eſt pro univerſa ſua Eccleſia toto orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus &c. Itemque pro omnibus, hoc eſt pro hominibus omnium nationum, linguarum, & gentium.

Ibidem verſus finem. Quiſquis ergo perit, non ille, ex Auguſtini mente, Chriſti ſanguine redemptus eſt

Calvinus.

decor. Nam certo certius eſt, Paulum illic non de ſingulis hominibus agere, ſed intelligere ordines, & genera vocationum

Andreas Vuilletus inſignis Calvini breviator

In ſynopſi Papiſmi, lib. de Lap. hominis. Apoſtolus, ut teſtatur Auguſtinus, per omnes homines, omne hominum genus intelligit, ut ſuperiores, inferiores, reges, principes, ſubditos, ut clare ex præcedentibus liquet. Eodem ſenſu dicitur & Chriſtus dediſſe ſemet redemptionis pretium pro omnibus, ideſt pro omnium hominum genere.

Ibidem de reparat. gener. human. Si Deus omnes homines ſalvos fieri vellet, cur non omnes ſalvarentur? nam ejus voluntati quis reſiſtit? Neque hic vetuſtiorum Pelagianorum valet effu-

Digitized by Google

Janſenius.

eſt..... Quæ ſane cum in Auguſtini doctrina, perſpicua certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute, mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, patrem oraſſe ſentiatur. Scivit enim quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat; ſcivit hoc decretum neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, nec ſeipſum velle mutare.

Ibidem cap. 20. Sic explicuerunt eum hoſtes gratiæ Pelagiani, & Semipelagiani. Fons enim erroris iſtius Pelagius, in Commentario Epiſtolæ iſtius ad Timotheum explicat, *Deum velle omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, ſi tamen ipſi vocanti

Andreas Vvilletus.

effugium, Dei voluntatem non impleri, ſcilicet quia homo adverſatur: ita enim Deo homines potentiores conſtituerentur.

Theodorus Beza.

Lib. deætern. Dei prædeſt. Primum affers eum Pauli locum, in quo dicitur, velle Deum, ut omnes ſalvi fiant. Verum hæc fuit Pelagianorum objectio; ne tibi primum in mentem veniſſe putes.

Idem in Apol. Collo. mompelgartenſis. Paratus ſum non ſolum ad publicam revocationem, ſed etiam ad duriſsimam pœnam, ſi quis ex veteri Scriptore demonſtraverit, quemquam damnari poſſe, pro quo Chriſtus ſatisfecerit; ſive eum pro infidelibus mortuum eſſe.

Calvinus.

Lib. 3. Inſtitut. cap. 24. n.

Digitized by Google

Janſenius.

ti Deo conſentire voluerint. Hoc eſt primum expoſitionis iſtius non leve præjudicium, quod omnibus de gratia errantibus placeat. . . . Secundum ejus præjudicium eſt, quod omnes antiqui, & genuini defenſores gratiæ, illam expoſitionem tamquam diſſonantem a veritate reprobarunt. Inter quos primus eſt Sanctus Auguſtinus, qui nunquam illam, niſi quando Semipelagiano errore fallebatur, admittere voluit.

Lib. 10. *de Gratia Chriſti cap.* 2. Ex principiis Auguſtini quiſquis jam facile videt: primo non poſſe ſtatui, quod Recentiores plerumque ſolent, voluntatem quamdam generalem, qua Deus velit omnes homines, in damnatione primi peccati poſitos, ſalvos fieri: ex qua voluntate non ſolum generalia redemptionis reme-

Calvinus.

n. 16. Adducitur Pauli locus, ubi tradit, Deum velle omnes ſalvos fieri. Reſpondeo primum ex contextu palam fieri, quomodo velit. Utrumque enim copulat Paulus. quod velit ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Si hoc æterno Dei conſilio fixum eſſe volunt, ut ſalutis doctrinam percipiant, quomodo factum eſt, ut privaverit Deus Evangelij luce multos populos, & nunquam pura doctrinæ, & pietatis cognitio ad eos pervenerit, alii vix obſcura quædam rudimenta guſtaverint? Hinc jam elicere promptum erit quorſum tendat Paulus. Præceperat Timotheo ſolemnes in Eccleſia precationes pro regibus, & principibus concipere, quum autem abſurdum nonnihil videretur orationes ad Deum fundi pro genere hominum (quia non tantum a Christi corpo-

Janſenius.

media, ſed etiam ſufficientia adjutoria omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicuti enim talia ſufficientia non dantur omnibus, imo nulla omnino poſt lapſum ſunt, ita nec voluntas illa generalis, ex qua promanare dicuntur ..... Videt quarto, hoc ipſo quoque reliquos, qui ſic ab illo numero liberandorum ſecluſi ſunt, & negative reprobati, etiam poſitive reprobatos dici poſſe. Non enim ſic præteriti ſunt a Deo, ut quodammodo manſerit voluntas ejus, de ipſorum ſalute, vel perditione, ſuſpenſa: ſed ſic, ut fuerit voluntas fixa eos relinquendi in iſto ſtatu, ex quo ceteros liberare ſtatuebat; ille autem citra dubium perditionis, ac damnationis eſt ſtatus.

Ibidem cap. 3. Manifeſtiſsimum eſt, nullam agnoſcere Auguſtinum reprobatio-

Calvinus.

pore alieni omnes erant, ſed ad regnum ejus opprimendum totis viribus enitebantur) ſubjicit, acceptum id eſſe Deo, qui velit omnes homines ſalvos fieri. Quo nihil aliud profecto ſignificat, quam nulli hominum ordini viam ad ſalutem præcluſiſſe.

Ibidem cap. 23. num. 1. Multi quidem, ac ſi invidiam a Deo repellere vellent, electionem ita fatentur, ut negent quemquam reprobari; ſed inſcite nimis, ac pueriliter, quando ipſa electio, niſi reprobationi oppoſita non ſtaret. Dicitur ſegregare Deus quos adoptat in ſalutem; fortuito alias adipiſci, vel ſua induſtria acquirere, quod ſola electio paucis confert, pluſquam inſulſe dicetur. Quos ergo Deus præterit, reprobat: neque alia de cauſa, niſi quod ab hæreditate, quam filiis ſuis præ-

Digitized by Google

Janſenius.

tionis cauſam, niſi maſſæ perditæ meritum, ſeu peccatum originale, quo tota maſſa periit: & hoc eſſe cauſam, non tantum negativæ reprobationis, ſeu non prædeſtinationis, ſed etiam poſitivæ.

Ibidem cap. 4. Quod ſi vero comparative de reprobationis cauſa diſquirendum eſt; cur ex duobus, quorum uterque originali culpa maculatus eſt, hic non, iſte reprobatur a Deo: rei illius nulla omnino cauſa ex parte hominis a nobis dari poteſt, ſed pendet a puro beneplacito Dei.

Ibidem cap. 5. In hoc autem poſtremo loco (*Auguſtini*) palam vides, ipſam quoque derelictionem, ſeu deſertionem, qua Deus non miſeretur, nec gratiam tribuit, qua peccata caveantur, eſſe effectum reprobantis Dei. Nam ideo talibus miſericordiam, & gra-

Calvinus.

prædeſtinat, illos vult excludere.

Ibidem cap. 23. n. 10. Quærunt qui fiat, ut ex duobus, quos nullum meritum diſcriminat, alterum prætereat in electione ſua, alterum aſſumat Deus. Ego viciſsim rogo, putentne in eo, qui aſſumitur eſſe aliquid, quod Dei animum ad ipſum inclinet? Si nihil fatebuntur (quod neceſſe eſt), ſequetur Deum non hominem intueri, ſed a ſua bonitate rationem petere, cur illi benefaciat. Quod igitur hominem unum eligit Deus, altero rejecto, id non provenit ab hominis reſpectu, ſed a ſola ejus miſericordia, cui liberum eſſe debet proferre ſe, & exerere ubi, & quoties placet

Ibidem cap. 22. n. 11. Si non poſſumus rationem aſsignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam

Janſenius.

gratiam in tempore negat; quia æquitate occultiſsima abjecit eos, ne perveniant ad regnum ſuum.

Ibidem lib. 9. cap. 6. Hæc eſt igitur ratio cur Auguſtinus ſimulatque peritior factus, electionem gratiæ, ſeu gratuitam, ſub ratione electionis, etiam in æqualibus locum habere poſſe didiciſſet, plurimis in locis explicat; id eatenus eſſe verum, quia Deus per ſuam gratuitam electionem, illam ipſam diſtantiam facit, atque ita eligit, atque diligit; non aliquid aliud quod in hominibus eligendis invenit, ſed id quod in illis ipſemet facit.

Ibidem lib. 3. cap. ultimo circa medium. Et alio in loco docet (*Auguſtinus*) pro illis tantum eſſe paſſum Dominum, quos paſſione ſua oves fecit.

Quam doctrinam Sanctus Auguſtinus ex ſacris litteris

Calvinus.

niam ita illi placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem. Quum enim dicitur Deus vel indurare, vel miſericordia proſequi quem voluerit, eo admonentur homines nihil cauſæ quærere extra ejus voluntatem.

Ibidem n. 10. Si electio, teſte Paulo, fidei mater eſt, in eorum caput retorqueo argumentum, ideo non eſſe generalem fidem, quia ſpecialis eſt electio.

Ibid. Ideo Chriſtus alibi dicit, oves ſequi paſtorem, quia noverunt vocem ejus, alienum vero non ſequi, quoniam non agnoſcunt vocem alienorum. Unde autem iſta diſcretio, niſi quia divinitus perforatæ ſunt illis aures? nemo enim ſe ovem facit, ſed formatur cœleſti gratia.

Ibid. lib. 2. cap. 2. n. 4. Habet Chryſoſtomus alicubi: quoniam bona, & mala in

Janſenius.

ris videtur didiciſſe, quæ frequentiſsime inculcant, Chriſtum pro fidelibus ſuis, ovibus ſuis, populo ſuo ſalvando, mortem ſubiiſſe.

Ibidem cap. 20. Quod pro iſta Recentiorum interpretatione (*nimirum Deum omnes velle ſalvos fieri, quantum in ſe eſt, aut ſi etiam ipſi velint*) multi veteres proferuntur, non multum ei conciliat authoritatis. Quid enim juvat, quod iſtum ſenſum Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, aliique Græci ſecuti eſſe dicantur, cum Chryſoſtomus, quem ſequi ſolent, ante ſubortas de divina gratia difficultates, commentarios ſuos exaraverit; nec ulli

Calvinus.

in noſtra Deus poteſtate poſuit, electionis liberum donavit arbitrium, & invitos non retinet, ſed volentes amplectitur. Item: ſæpe qui malus eſt, ſi voluerit, in bonum mutatur: & qui bonus, per ignaviam excidit, & fit malus, quia liberi arbitrii eſſe naturam noſtram fecit Dominus; nec imponit neceſsitatem, ſed congruis remediis oppoſitis, totum jacere in ægrotantis ſententia ſinit. .... Dixerat autem prius, ut non totum ſit divini auxilii, ſimul nos aliquid afferre oportet. ..... vides certe iis ſententiis homini plus quam par erat ad virtutis ſtudium illos eſſe largitos .... Certe quas retulimus ſententias, eſſe falſiſsimas, poſt conſtabit. Porro tametſi Græci præ aliis, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus, in extollenda humanæ volunta-

Janſenius.	*Calvinus.*
ulli imperfectius de gratia quam Græci locuti ſunt, nec ulla difficultas de gratia magis lubrica ſit, quam iſta, in cujus intelligentia & ipſe Auguſtinus, uſque ad Epiſcopatum hallucinatus eſt?	tatis facultate modum exceſſerunt; veteres tamen omnes, excepto Auguſtino, ſic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquuntur, ut certi fere nihil ex eorum ſcriptis referre liceat.

PATRUM GRÆCORUM BREVIS VINDICIA.

257. Non valeo ſane hic calamum cohibere, quin Sancti Auguſtini plura afferam teſtimonia, quibus calumnia adverſus Græcos Patres, & præcipue magnum S. Joannem Chryſoſtomum ultimo loco a Calvino, & Janſenio prolata, diſsipetur, ac manifeſtum omnibus fiat hujuſmodi iniquos viros nonniſi temere, atque impudentiſsime diſcipulorum Auguſtini nomen ſibi vindicaſſe. Quod quidem eo vel maxime præſtandum eſt, quod noſtris quoque temporibus nequaquam deſint, qui Magno Eccleſiæ Patri Chryſoſtomo, ea qua poſſunt ratione, inſultare neutiquam erubeſcunt. Conſulatur enim vero Index Operibus S. Doctoris appoſitus in editione ultima Pariſienſi anni 1718. Pluribus in locis, ubi de Gratia agitur, Lectores monet indicis author, caute Chryſoſtomum legendum fore, ſignanter, diſtinctiſque characteribus ſubdens: *Lege caute*. Hæc magna eruditio in antiquioribus, quas vidi, editionibus, ſane deſideratur: hæ tamen abundant, ubi illa deficit, in indicandis iis S. Scripturæ textibus, quibus S. Pater

uſus

uſus eſt, non omittentes præcipue illam S. Pauli ſententiam primæ ad Timotheum cap. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quæ revera, ut a Chryſoſtomo intelligitur, Calvini, & Janſenii nondum natis erroribus maxime adverſatur. Nemo equidem non videt, notam illam in bono etiam ſenſu accipi a nobis poſſe: verum quare in alterius Patris editione eamdem nequaquam placuit apponere? Fortaſsis quia nullus in eo paſſus occurrat, qui pravo in ſenſu queat intelligi? Non ſane. Is dumtaxat, qui in hujus noſtri ſæculi viciſsitudinibus peregrinus omnino ſit, ignorare poterit, cur aliis libentiſſime, atque etiam meo judicio prudenter parcens Indicis Author, voluerit, ſevera nimis cum Magno Chryſoſtomo diligentia abundare. Commoda ſunt hæc, quæ Eccleſiæ a ſyſtematibus, a partium ſtudiis, a Scholaſticis contentionibus veniunt nimis acerbis. Ut igitur ora obſtruantur loquentium mandacium, videamus quid de Græcis Patribus, quid de Chryſoſtomo præſertim, S. Auguſtinus, nulli ſyſtemati, ſed Eccleſiæ dogmatibus addictus, pronunciaverit.

Lib. 1. *contra Julianum Pelagianum* n. 14. *ait:* Non eſt ergo cur provoces ad Orientis Antiſtites, quia & ipſi Chriſtiani ſunt, & utriuſque partis terrarum fides iſta una eſt, quia & fides iſta Chriſtiana eſt.

N. 15. Sed non tibi deerit magni nominis, & fama celeberrima illuſtris Epiſcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam latinam tranſlata uſquequaque claruere. Sedeat ergo cum iſtis Patribus etiam S. Gregorius (*Nazianzenus*), & cum eis tuæ criminationis inanem patiatur invidiam; dum tamen cum eis contra novitiam pe-

peſtem veſtram, medicinalem proferat & ipſe ſententiam.

N. 16. An tibi parva in uno Gregorio Epiſcoporum Orientalium videtur authoritas? Eſt quidem tanta perſona, ut neque ille hoc, niſi ex fide Chriſtiana omnibus notiſsima, diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, niſi hæc ab illo dicta ex regula notiſsimæ veritatis. Sed ſi vis addimus huic & S. Baſilium; imo, velis nolis, addendus eſt...... Ideo non ait S. Baſilius, ipſam voluntatem hominis, ſive ſubſtantiam, vel naturam, malum a ſe poſſe ſeparare; ſed *ab ea facile poſſe ſeparari*; ſic verba ſua librans, ut & Manichæos, contra quos agebat, refelleret, & contra divinam gratiam, humanam ſuperbiam non extolleret.

N. 19. Sed dic non ſufficere. Habemus alios Orientales Epiſcopos quatuordecim..... quos uno loco ſimul inventos in iſtum conſeſſum introducere valeamus.

N. 20. Tu interim habes in conſpectu, non ſolum Occidentis, verum etiam Orientis Epiſcopos. Nam qui nobis deeſſe videbantur, plures Orientis invenimus: omnes uno eodemque modo credunt.

N. 21. Sed quid muſsites novi. Dic jam, dic, audiamus. In extremo tui operis, de quo nunc agimus, ideſt in quarti libri parte noviſsima: *Sanctus Joannes*, inquis, *Conſtantinopolitanus negat eſſe in parvulis originale peccatum. In ea quippe homilia, quam de baptizatis habuit*: *Benedictus*, inquis, *Deus, qui facit mirabilia ſolus; qui fecit univerſa, & convertit univerſa &c.*

N. 22. Itane iſta verba S. Joannis Epiſcopi audes tamquam a contrario tot taliumque ſententiis colle-

legatum ejus oponere, eumque ab eorum concordiſſiſsima ſocietate ſejungere, & eis adverſarium conſtituere? Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Abſit inquam, ut Conſtantinopolitanus Joanes de baptiſmate parvulorum, eorumque a paterno Chirographo liberatione per Chriſtum tot ac tantis Coepiſcopis ſuis, maximeque Romano Innocentio, Cartaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſsimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalva fidei compage, non conſonant, & alius alio de una re melius dicit, & verius. Hoc autem de quo nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta.

N. 23. Vis audire quid etiam ipſe de hac re apertiſsime dixerit? Ecce etiam ipſum numero illi adjungo Sanctorum. Ecce inter meos TESTES, vel inter noſtros conſtituo JUDICES, quem putaſti patronum tuum. Ecce & ipſum dicturus es Manichæum. Ingredere Sancte Joannes, ingredere, & conſide cum Fratribus tuis, a quibus te nulla ratio, & nulla tentatio ſeparavit. Opus eſt & tua, & maxime tua ſententia, quoniam in tuis litteris iſte juvenis inveniſſe ſe putat, unde tot tantorumque Coepiſcoporum tuorum ſe arbitratur percellere, & evacuare ſententias. Quod ſi vere tale aliquid inveniſſet, & quod ipſe ſentit, te ſentire claruiſſet, nunquam te unum (pace tua dixerim) tot & talibus præferre in ea cauſa poſſemus, de qua nunquam fides Chriſtiana, & Eccleſia Catholica variavit. Sed abſit, ut tu aliud ſaperes, & in ea tam præcipuus emineres...... Sed ut conferamus ei verum beneficium, fálſum ejus non curemus opprobrium.

Digitized by Google

N. 30. Convinceris undique: luce clariora ſunt teſtimonia tanta Sanctorum. In quorum Conventum te introduxerim conſpice. Hic eſt Mediolanenſis Ambroſius..... Hic eſt Conſtantinopolitanus Joannes, quem tu in numero eruditorum, ac Sanctorum excellentiſsimum in hac ipſa tua, cui reſpondeo, diſputatione poſuiſti. Hic eſt Baſilius..... Hic ſunt & ceteri, quorum te movere debeat tanta conſenſio. Non eſt iſta, ſicut ſtilo maledico ſcribis, *conſpiratio perditorum*. In Eccleſia Catholica doctrinæ ſanæ ſtudiis claruerunt; ſpiritualibus armis muniti, & accincti ſtrenua contra hæreticos bella geſſerunt.

N. 31. Non tibi, ſicut calumniaris, *ſolum populi murmur opponimus*....... Sed ecce, quo te introduxi: Conventus Sanctorum iſtorum non eſt multitudo popularis: non ſolum filii, ſed & Patres Eccleſiæ ſunt. Ex illo numero ſunt, de quibus prædictum eſt: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*; *conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. Ex qua filii generati ſunt, ut hæc diſcerent; ejus patres facti ſunt, ut docerent.

Ibidem lib. 2. n. 37. Iſti Epiſcopi ſunt, docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi defenſores adverſus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bono judici tribuiſti, non potes invenire quod ſpernas. Si Epiſcopalis Synodus ex toto Orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic facile ſedere. Quia nec iſti uno tempore fuerunt: ſed fideles, & multis excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus per diverſas ætates temporum, locorumque diſtantias, ſicut ei placet, atque expedire judicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de aliis, atque aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente, & Occidente congregatos vides....

Digitized by Google

des..... Quanto tibi eſſent iſti judices optabiliores, ſi teneres catholicam fidem, tanto tibi ſunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cujus lac, & cibum parvis magniſque miniſtraverunt, quam contra inimicos, etiam Vos nondum natos, unde nunc revelamini, apertiſsime, ac fortiſsime defenderunt. Talibus poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit.

Ibidem lib. 3. n. 2. Sed obſecro te, quomodo (*dicti Patres*) cauſam veſtram, qui damnaverunt, antecœperunt odiſſe, quam noſſe? Qui eam proculdubio, quia noverant, oderant. Noverant enim vos dicere, nihil mali parvulos habere naſcendo, quod purgari debeat renaſcendo. Noverant vos dicere, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari; ut jam gratia non eſſet gratia, quia non gratis daretur, ſed ſecundum debitum redderetur..... Hæc in vobis noverant, & rectiſsime oderant.

Animadversio.

258. Poſtquam breviſsimum Calvinianæ, & Janſenianæ doctrinæ ſpecimen exhibuimus, ex quo mira, quoad præcipuos errores, ac errorum fontes in re noſtra, conſenſio relucet, hic animadvertere nequaquam pigeat, utriuſque damnatæ doctrinæ Sectatores eamdem viam tenuiſſe, ut ſe a Prædeſtinatianorum hæreſi purgarent. Calviniani quidem, cum opinionem ſuam ab hujuſmodi errore ſecernere minime poſſent, audaci conſilio ſtatuerunt, fidem hiſtoricorum, circa Prædeſtinatianorum exiſtentiam, rejiciendam fore, quamvis ab

Au-

Auguſtini ætate ad ſeculum uſque millesimum ſexcenteſimum hæreſis Prædeſtinatiana ab Orthodoxis fuerit impugnata. Primus qui hæreſim hanc inter fabellas recenſuit, quidam fuit Jacobus Uſſerius, Hibernorum Calviniſtarum anteſignanus. Is etenim, duplici libro Dublinii edito, quorum alter prodiit anno 1631. cui titulus eſt: *Goteſchalci, & Prædeſtinatianæ controverſiæ ab eo motæ, hiſtoria*, alter vero anno 1639. inſcriptus: *Britannicarum Eccleſiarum antiquitates*, acriter Catholicis Scriptoribus inſultat, quod Prædeſtinatianorum opinionem, tamquam hæreſim proſcribant, contendens, non alios fuiſſe Prædeſtinatianos, quam qui Auguſtini doctrinam adverſus Semipelagianos propugnarunt. Janſenius ſimiliter optime noſcens, doctrinam prædeſtinationis ab ſe traditam, a damnata Calvini doctrina minime ſecerni, eadem via, ab invidia, quam ex illa Prædeſtinatianorum hæreſi ſibi conflari cernebat, liberare ſe ſtuduit, Scriptores nimirum, qui illius hæreſis meminerant, tamquam Auguſtinianæ doctrinæ calumniatores mordaci ſtylo traducens. Quam immerito, id Janſenius cum Calviniſtis præſtiterit, quotque falſitatibus caput ultimum Libri octavi de hæreſi Pelagiana, ſcateat, videre eſt apud Cl. P. Dechamps (171) & Cl. P. Aſſermet (172), qui Prædeſtinatianæ hæreſis exiſtentiam, ejuſque damnationem, adeo probant manifeſte, ut nihil ſane reliquum ſit deſiderare. Ceterum mirabuntur non pauci, voluiſſe Janſenium fruſtra penitus in hoc laborare. Quamvis etenim demus, prædeſtina- tio-

(171) *De hæreſi Janſeniana* lib. 1. diſp. 7. cap. 6. & 7. & lib. 2. diſp. 7. cap. 4. & 5.

(172) Part. 2. tract. *de Gratia* quæſt. 2. & 3. a pag. 270. *uſque ad* 353. *edit. Pariſienſ.*

Digitized by Google

tionis doctrinam a ſe traditam, neutiquam in Prædeſtinato, & Goteſchalco fuiſſe damnatam; quid ipſi utilitatis? Neminem latet, in Calvino atro carbone fuiſſe ab Eccleſia notatam. Niſi dicamus, voluiſſe Janſenium ſub Prædeſtinatianorum nomine Calvini doctrinam tueri, quam adoptaverat.

CONCLUSIO

259. Meo videri, ea, quæ hucuſque retulimus, ſatis ſuperque oſtendunt, Janſenii ſyſtema de medicinali gratia Chriſti tantum abeſſe ab Auguſtini doctrina, ut imo Lutheri, Calvini, aliorumque damnatorum hominum placitis plane conſentiat. Cum etenim hi Catholicæ doctrinæ ſubverſores illud ipſum, quoad præcipua dogmata, aperte doceant, quod, admiſſo Janſeniano ſyſtemate, dandum a nobis neceſſario eſt; manifeſtum relinquitur, & Janſenianum ſyſtema illis plane favere, indeque a viro Catholico, ſine crimine violatæ fidei, propugnari nullatenus poſſe. Non enim tuta fide, ſalvaque religione, defendi poteſt ſyſtema, cujus fundamentalibus admiſsis principiis, damnata dogmata neceſſum eſt approbare.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM
QUÆ IN PRIMA, ET SECUNDA PARTE continentur, in quo numerus marginalis citatur.

A.

ADjutorium ſine quo non *negatur a Janſenio in ſtatu naturæ lapſæ: inde error juris & facti reſpectu Maſſilienſium. n. 155. Idem adjutorium explicatur a Janſenio contra mentem S. Auguſtini. n.* 232.

Adamo, & Angelis conceſſa fuit gratia, ſecundum Janſenium ſine qua non, *qua uti poterant, & non uti: eam vero negat homini lapſo dari. n. 156. S. Auguſtinus e contra. n. 229.*

Agens dicitur neceſſario *agere tripliciter. n. 2.*

Antecedens neceſſitas operandi alia contrarietatis, ſeu ſpecificationis: alia contradictionis, ſive exercitii: alia ſimplex: alia coactionis. n. 7. 8. 9.

Amor, & timor ad omne recte factum ducit, & ad omne peccatum, ſecundum S. Auguſtinum. n. 201. 202. 203.

Animo æqualiter affecti duo homines, cur unus cadat videns alicujus corporis pulchritudinem, alter vero in pudica voluntate perſeveret, ſola voluntas aſſignatur ab Auguſtino. n. 211. 212.

S. Ambroſius docens, virginitatem martyres facere, è medio tollit delectationem cœleſtem, relative ſuperio-

rem

rem ; & moralem neceſſitatem perſeverandi in virginitate, quam admittunt Auguſtiniani. n. 189.
Immeritò nihilominus tamquam Janſeniſtæ traducuntur; etenim eorum ſyſtema nondum fuit ab Eccleſia reprobatum. n. 162.
Arbitrii definitio a Scholaſticis tradita, vocatur a Janſenio ignota Auguſtino, diſcipulis, & poſteris ad multa ſæcula. n. 109.
Arnaldus, Paſcalius, Irenæus, aliique negare auſi ſunt, propoſitiones quinque damnatas, in Auguſtino Janſenii contineri. n. 176.
S. *Auguſtinus nunquam docuit, libertatem a coactione ſufficere ad merendum, & demerendum.* n. 229.
Neque intelligendus eſt de delectatione indeliberata, quando ait: quod amplius nos delectat &c. 205. 206. 207.
Auxilia ſufficientia omnibus dari negat expreſſè Janſenius cum Calvino. pag. 333. 348.

B

Beatorum, Angelorum, Dæmonum, libertate utitur Janſenius, Calvini exemplo, ut libertatem hominis cum neceſſitate conciliet. pag. 340.
Beza, Deum velle omnes ſalvos fieri, Pelagianorum objectionem vocat; idemque docet Janſenius. pag. 346.
Bilancis inſtar, ſecundum Janſenium, ſe habet humana voluntas, quæ tamquam majori ponderi, ſuperiori cedit delectationi. n. 52. 53.
Bonum eſt neceſſario, vel malum, quidquid modo agimus, ſecundum Janſenium. n. 94. uſque 99.

Digitized by Google

C

Calvinus eamdem libertatem a coactione *admiſit, quam tradidit Janſenius.* pag. 342.
Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, manifeſte ſequitur ex Janſeniano duarum delectationum principio. n. 164.
Hunc errorem revera in ſuo Auguſtino docuit Janſenius. n. 165.
Expreſſe id opponitur divinæ Scripturæ. n. 199.
Ut falſum ſit Janſenianum dogma, non eſt neceſſe, ut Chriſtum dicamus mortuum pro quolibet reprobo. n. 166.
Ad declinandum hunc errorem, non ſufficit ſi dicatur, etiam reprobis merito paſsionis Chriſti eam a Deo gratiam conferri, quam Janſenius, ejuſque partiarii parvam *appellant.* n. 168. 174.
Conſectaria viginti neceſſario admittenda in ſyſtemate Auguſtiniano. n. 189.
Rationibus iiſdem probantur, quibus probantur conſectaria ſyſtematis Janſeniani, mutato vocabulo neceſsitatis, & impoſsibilitatis phyſicæ, *in neceſsitatem, & impoſsibilitatem* moralem. n. 190.
Contradictio Janſenianorum in diſtinctione juris, *&* facti. n. 178.

D

Delectatio ſive cæleſtis, ſive terrena, ſecundum Janſenium, eſt indeliberata; & ab alterutra moti ſemper neceſſario operamur. n. 44. *uſque* 49.
Abſque illa nihil poſſumus. n. 42.
Contrarium docet S. Auguſtinus. n. 201. 209.
Delectationi intenſive ſuperiori, neceſſario, ſecundum

Digitized by Google

Janſenium aſſentimur: ſi æquales ſint, voluntas nihil operatur. n. 50. *uſque* 54.
Expreſſe adverſatur hoc S. Auguſtino. n. 204.
Delectatio, ſecundum Janſenium, non eſt victrix abſolute, ſed relative: eadem eſſe poteſt victrix, & victa. n. 55. 56. 57.
Delectatio cœleſtis relative ſuperior terrena, adeo neceſſaria eſt in ſyſtemate Janſeniano ad bene agendum, ut ſine ipſa phyſice impoſſibile ſit bene operari. n. 78. *uſque* 83.
Abſque illa neceſſario peccamus, urgente tentatione. n. 84. 85. 86.
Cum illa impoſſibile phyſice eſt, ut male operemur. n. 87. *uſque* 93.
Adverſatur hiſce principiis S. Auguſtinus. n. 204.
Deum præcipere impoſſibilia docet Janſenius. n. 129. 130. 131.
Similiter, Deum nolle omnes ſalvos fieri. n. 172. 173.
Textum Apoſtoli iiſdem verbis explicat ac Calvinus. n. *pag.* 344. 345. 346.

E

Eccleſiæ judicio ſtandum eſt, etiam in rebus facti, quidquid dixerit Contenſonius. n. 178.
Jure ac merito quinque propoſitiones damnavit in ſenſu Janſenii. n. 179. 180. 181.
Electionis, & reprobationis, quam tradit, doctrinam, a Calvino didicit Janſenius. pag. 349. 350.
Quos Deus non eligit, poſitive ſecundum Janſenium, hoc ipſo reprobat, & reprobationis cauſam, cum Calvino, ab uno peccato originali deſumit. pag. 348. 349.
Æqualium, & inæqualium delectationum conflictus, qua

quæ ut pondera in bilance, ſe habent reſpectu voluntatis. n. 50. uſque 54.

F

Fataliſtis aperte favet Janſenius. n. 59. 194.
Facilia admonemur a Deo, ut agamus: in difficilibus vero quid petamus, docet Auguſtinus. n. 225.
Fraus Janſenii, & Janſeniſtarum detegitur a Tournely, & Graveſonio, quando difficultatibus preſſi, videntur admittere veram potentiam. n. 120.
Fruſtra leges dantur, fruſtra objurgationes, laudes, exhortationes adhibentur, ſi Janſenii ſyſtema admittatur. n. 193.

G

Gratia alia actualis, alia habitualis. n. 28.
Gratia actualis, penes potentiam, quam confert, ſufficiens dicitur; penes actum qui elicitur, efficax, & inefficax. Ibidem.
Gratia catholice ſufficiens explicatur. n. 29.
Alia ſufficiens phyſice, alia moraliter; alia proxime, alia remote. n. 30. 31.
Gratia efficax, & inefficax quid ſit. n. 35. uſque 41.
Secundum Janſenium, gratia Chriſti actualis, in indeliberata cœleſti delectatione eſt ſita. n. 67. 68.
Efficacem gratiam ponit Janſenius in delectatione cœleſti relative ſuperiori. n. 69. 70. 71.
Non eſt intrinſecus diverſa ab inefficaci. n. 74. 75.
Gratia parva Janſeniana ad quid valeat. n. 138.
Gratia quælibet poteſt dici efficax. n. 143. 144.
Gratiam negare, cui humana voluntas poſſit reſiſtere, non tantum hæreſim ſapit, ut docet P. Serry, ſed eſt hæreticum. n. 163.

Ad-

Admiſſa ſola gratia efficaci in ſtatu naturæ lapſæ, omnes Janſenii propoſitiones ſunt admittendæ. n. 185. 186. 187.
Græci Patres vindicantur a calumniis Janſenii, & Calvini, authoritate S. Auguſtini. n. 257.

I

Janſenius nullam gratiam admittit in homine lapſo, cui voluntas poſſit reſiſtere ſi velit, vel ſi velit poſſit obtemperare. n. 156. 157.
Fatetur Eccleſiam improbaſſe in Calvino, quod negaverit liberum arbitrium. Calvinus tamen liberum arbitrium admiſit eodem modo, quo Janſenius. pag. 342.
Janſenius ſibimet contradicit, quando videtur admittere liberum arbitrium. n. 110.
Non vero quando admittit gratiam inefficacem. n. 141.
Quæ eſt cæleſtis delectatio gradibus inferior terrena. n. 72.
Janſeniani magnam *vocant gratiam efficacem*, parvam *vero vocant, inefficacem.* n. 77.
Janſenianæ hæreſeos radicem notat P. Serry. n. 152.
Ignorantia invincibilis, ſecundum Janſenium, non excuſat a peccato. pag. 330. 331.
Hunc errorem didicit a Calvino, & Luthero. Ibidem.
Impoſſibile tripliciter dicitur, ut agens operetur. n. 1.
Impoſſibilia non præcipit Deus. n. 196.
Impotentia implendi Dei præcepta, ſecundum Janſenium, tanta eſt, ut neque ad orationem pateat recurſus. n. 134. 135.
Indifferentia agendi duplex accurate diſtinguenda. n. 14.
Eam expreſſe negat Janſenius, cum Calvino. pag. 337.
Infallibilitas actus, ſub delectatione ſuperiori Janſeniſtis

multum ſapit, ac parum curant, ſive phyſica, ſive moralis dicatur neceſſitas. n. 188.
Inſufficiens gratia phyſice, & moraliter, quid ſit. n. 32. 33. 34.

L

Libertas alia a neceſſitate, alia a coactione; alia contrarietatis, alia contradictionis. n. 10. 11.
Libertas Philoſophica, & electionis. n. 13.
Libertas a coactione clare explicatur. n. 15. 16. *uſque* 25.
Sola libertas a coactione a Janſenio admittitur. n. 102. 103. 104. 105. 112. 114. 151. 152.
Eam didicit a Calvino, Luthero, & Bucero. pag. 341. 342.
Oppoſitum docet Divina Scriptura. n. 292.
Lutherus falſam vocat Scholaſticorum ſententiam de ignorantia invincibili excuſante. pag. 330.

M

Malum neceſſario operamur, ſecundum Janſenium, delectatione cœleſti relative ſuperiori deſtituti. n. 84. 85. 86.
A malo neceſſario declinamus ſub delectatione victrici. n. 87. *uſque* 93.
Molinianis nihil penitus eſt cum Semipelagianis. n. 162.
Manichæiſmum profitetur, qui Janſenianum principium duarum delectationum, & ſolam libertatem a coactione admittit. n. 195.
Moralis neceſſitas bene operandi, & moralis impoſſibilitas ab Auguſtinianis admiſſa, non ita facile diſtinguitur a neceſſitate, & impoſſibilitate phyſica. n. 188. 189. 190. 191.
Verum nondum reprobatum eſt ab Eccleſia eorum ſyſtema

Digitized by Google

ma ; nonniſi injuria Janſeniſtæ *idcirco vocantur*. *n.* 262.
Mortuum eſſe Chriſtum pro omnibus, pretii ſufficientia, non autem animo redimendi, fuit cavillatio Calvini, quam adoptavit Janſenius. *n.* 199.

N

Neceſſitas operandi metaphyſica, phyſica, & moralis. *n.* 2.
Alia antecedens, alia conſequens. *n.* 3.
Antecedens, alia ſimplex, alia coactionis. *n.* 8. 9.
Utramque S. Anſelmus explicat. *n.* 4.
Neceſſitas antecedens dicitur abſoluta, & conſequentis ; conſequens dicitur hypothetica, & conſequentiæ. *n.* 5. 6.
Neceſſitas obſequendi vividiori delectationi, ſecundum Janſenium, eſt antecedens. *n.* 58. 59.
Eſt vera, realis, & phyſica. *n.* 60. *uſque* 66. & 113.
Neceſſitas peccandi in individuo, debet admitti in ſyſtemate Janſeniano. *n.* 100.
Eandem neceſſitatem docent Janſenius ; & Calvinus. *n.* 198.
Neceſſitas moralis non videtur ſufficiens ad declinandam ſuſpicionem Janſeniſmi. 188. 189. 190. 191.
Nota Janſeniſmi ut declinetur, quid non ſufficiat, & quid neceſſe ſit. *n.* 184.

O

Obſervationes quatuor in ſyſtema Janſenii, quibus errores, conſequentiæ, ac cenſuræ exponuntur. *n.* 175.
Subterfugium juris, & facti impugnatur. *n.* 177.

Ora-

Orationis quoque gratia aliquando deficit, ſecundum Janſenium. n.134.135.

P

Principia fundamentalia Janſenii. n.42.43.50.
Principium duarum delectationum Janſenii, non poteſt admitti, quin quinque admittantur damnatæ propoſitiones. n. 80. *uſque* 184.
Potentiam reſpicit delectatio victrix Janſenii. n.111.
Potentia abſoluta & relativa attente diſtinguenda, ne a Janſenianis decipiamur. n.118.119.132.133.
Poſſe a Deo gratiam recipere, qua præcepta impleamus, non eſt poſſe ea implere. n.136.137.
Potentia phyſica implendi Dei mandata, abſque cœleſti ſuperiori delectatione, non ſatis conſtat. n.191.
Propoſitiones quinque Janſenii revera continentur in ipſius Auguſtino. Prima n.129.
Adverſatur Divinæ Scripturæ. n.196.
Pontificum cenſuræ adverſus Janſenii propoſitiones, & Janſenianorum cavillationes. n.176.
Philoſophia mater errorum, & hæreticorum nimis temere vocatur a Janſenio. pag.329.

Q

Quarta Janſenii propoſitio in ipſius Auguſtino continetur. n.155.156.
Rite ab Eccleſia proſcripta. n.161.162.
Eam tradit etiam P. Serry. Ibidem.
Quinta propoſitio pariter continetur in Auguſtino Janſenii. n.165.

Au-

Adverſatur Divinæ Scripturæ. n. 199.
Quatuor tantum modis, ſecundum Janſenium, nobis poſſibilia obſervatu ſunt Dei præcepta. n. 131.
Quæſtio juris, & facti dogmatici ad Eccleſiam pertinet. n. 161. 162.
Janſeniani oppoſitum docent. n. 177.
Verum in hoc ſibimetipſis contradicunt. n. 178.

R

Relativa ſola victrix delectatio, ſecundum Janſenium, reddit nobis præcepta Dei obſervatu poſſibilia. n. 130.
Reſiſtere gratiæ ſupponit relativam potentiam aſſentiendi, & cooperandi. n. 145.
Gratiæ, cui moraliter poſſibile eſt conſentire, docent Auguſtiniani, nunquam reſiſti. n. 189.
Adverſatur hoc S. Auguſtino. n. 226. 227.

S

Senſus quinque propoſitionum Janſenii. n. 128. 139. 142. 149. 153. 164.
Secunda Janſenii propoſitio continetur in ipſius Auguſtino. n. 140.
Adverſatur Divinæ Scripturæ. n. 197.
Syſtema Janſenianum, ſeu principium duarum delectationum pro graduum ſuperioritate invincibilium jure ac merito ab Eccleſia proſcriptum, quidquid multis dicat quidam fabulator, cui bene quidem eſt, quod latet anonimus; ceterum periculum eſſet, ne ex fabulatore fabula fieret. n. 185.

In ipſo ſyſtemate omnis interior gratia Chriſti, vel efficax eſt, vel ita inefficax, ut ad bene operandum non ſufficiat. n. 115. 116. 121. 122. 123.
Semipelagianorum error ſecundum Janſenium. n. 155.
Scholaſtici inſimulantur a Calvino, & Janſenio, tamquam gratiæ ſubverſores, pro ſtabilienda arbitrii libertate. pag. 329.
Sufficiens gratia juxta Eccleſiæ doctrinam. n. 120.
Sufficientia gratiæ relativa, *&* abſoluta, *accurate diſtinguenda.* n. 117.

T

Tertia Janſenii propoſitio continetur in ipſius Auguſtino. n. 150. 151. 152.
Adverſatur Sacræ Scripturæ. n. 198.
Teſtimonium illud S. Auguſtini: quod amplius nos delectat &c. *omnino contra mentem S. Doctoris explicatur a Janſenio de delectatione indeliberata.* n. 204.
Thomiſticam etiam, non ſolum Molinianam, gratiam ſufficientem, negat Janſenius. n. 124. 125. 126.

V

Velle Deum omnes ſalvos fieri explicatur a Janſenio non pro ſingulis generum, *ſed* pro generibus ſingulorum, *ſic edoctus a Calvino.* pag. 343. 344.
Victrix gratia ſemper efficax, non econtra. n. 147. 148.
Violentia ſola opponitur libertati, ſecundum Janſenium. n. 104.
Voluntarium, & ſpontaneum minime diſtinguuntur. n. 26.

Vo-

Digitized by Google

371

Voluntas ſub delectatione ſuperiori, ſecundum Janſenium, non eſt libera libertate exercitii, ſeu a ſimplici neceſsitate. n. 107. 108.

Voluntas non ſemper operatur propter delectationem. n. 201. 202.

Digitized by Google

Digitized by Google

005677152

Digitized by Google

Digitized by Google

fol. 111 animadv. 12

Digitized by Google